JURIS ECCLESIASTICI MAXIME PRIVATI INSTITUTIONES COMMODA...

Raphaele Pecorelli

JURIS ECCLESIASTICI

MAXIME PRIVATI

INSTITUTIONES

JURIS ECCLESIASTICI
MAXIME PRIVATI
INSTITUTIONES

COMMODA NOVAQUE METHODO ADORNATAE

QUIBUS DISCIPLINA HUJUS REGNI ADDITUR
ET DOGMATA IPSA RELIGIONIS PASSIM VINDICANTUR

AUCTORE

RAPHAELE PECORELLI

PRESBYTERO NEAPOLITANO

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO UTRIUSQUE JURIS ORDINARIO PROFESSORE
ET REGII COLLEGII NEAP. UNIVERSITATIS SACRAE TEOLOGIAE MAGISTRO.

VOLUMEN I.

PRODROMUS THEOLOGICO-CANONICUS.

EDITIO ALTERA

Auctior atque expolitior.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA XAVERII GIORDANO
1847.

ANTELOQUIUM.

Declinante saeculo XVIII incredulitas, qua nihil ferocius fingi potest, eo devenit, ut suos ipsos sectatores confusione afficeret; ex fructibus enim suis, qualis fuerit execrabilis arbor, omnium oculis occurrit. Anima, aeternitas, Deus, religio rursus in pretio haberi coeperunt. Sperabatur inde, ut saeculo, quo vivimus, res optatis responderent votis Ecclesiae, quae jam tum ostium reseravit suum dispersis superbia, ad audiendam vocem veri Pastoris: *Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.* Sed proh foedum facinus! dissensione nam facta inter homines propter hos sermones, cum Judaeis superbis clamitant: *Daemonium habet, et insanit.* Haeres hoc saeculum illius, quod lapsum jam est, ante omnia subjectionem ludibrio habens, insolentius omnem impetere conatur auctoritatem, ac potissimum sacram, cui omnis alia innititur. In hoc se adhuc de fide, et Ecclesia non recte sentire demonstrat. Sane *ubi Caput supremum non est*, ait D. Thomas, *una fides non est;* et *ubi Petrus*, dixerat jam S. Ambrosius, *ibi Ecclesia.* Mala sua interim hoc saeculum luget, quum ex spiritu rebelli, quo incitatur, indifferentia religionis, quae ab illo procedit, quoquoversus grassatur, atque inter se ipsi haeretici digladiantur, ut nullo colligari pacis vinculo patiantur, omniaque suo marte fingant, ipsamque rempublicam in ultimam pene ruinam vocare videantur.

Quis interim ad memoriam non revocet verba Concilii Toletani IV, clericis praesertim insinuanda, quibus eorum animo confirmato subsidiariam manum secundum proprium ministerium pro virili Ecclesiae praebere adlaborent? *Sciant clerici scripturas sanctas, et canones, ut aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.*

Quapropter cum optimum sit consilia, et actiones suas tempore moderari, neminem aegro animo laturum putamus, si ad scientiam canonum promovendam, opus adlaboraverimus, quo in Juris Ecclesiastici Praelectionibus, ipsi articuli fidei apte, et obiter quidem, sed graviter, et quantum res patitur, attinguntur, probanturque. Sane non inutile duximus, in hac sparta, quam adornandam suscepimus, Clericos promptiores reddere non in addiscendis canonibus tantum, sed et in pugnando contra illos, qui vel apertiore bello, vel occultiore consilio, insaniendo potius, quam philosophando, divina, humanaque omnia animo effraeno, ac independenti permiscere, ac foedare, ipsumque Ecclesiae regimen adpetere, et conviciis proscindere non desinunt.

Non dubitamus interim fore morosiores quosdam, qui inclamabunt: *cui non dictus Hylas*! Ast reminisci juvat, quod in institutis ante scriptis multa desunt, ea scilicet, quae ex novis legibus juri canonico accesserunt, quae tamen turpe est Clericos ignorare. Deinde nostrum laborem, atque industriam ut inutilem non traducent, si sibi in mentem revocaverint haec verba S. Augustini: *Utile est plura a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide.... ut ad plurimos res ipsa perveniat ad alios sic, ad alios autem sic.* Fatemur quidem permultos in hoc genere scribendi pro dignitate versatos, hinc nec nova nos pro-

ferre, nec ignota, indictaque primum: quinimo de iis, quae ab aliis fusius disputata sunt, disputationem instituimus; ita tamen, ut dicamus nove, etsi nova non dicamus. Hoc unum tamen monitum volumus, ut si quis materiam non aequam viribus Auctoris videat; muneri tamen, quo fungitur, non imparem judicet, ita quidem ut sibi, si non rebus, sufficiat. Ne autem moremur amplius, opus quale lucem adspiciet, quaque forma, breviter expediemus.

Totum quatuor voluminibus comprehendetur, quorum primum, tamquam Prodomus Theologico-Canonicus, aliis tribus praepositum, Jus Canonicum universim spectat. Reliqua triplici legum Ecclesiasticarum objecto respondent personis nempe, rebus, et judiciis. In his conscribendis tam novae disciplinae praecepta communia tradere ordinatim satagemus, quam vetera, quae illius veluti fundus et praesidium sunt. Opportunis in locis municipales leges, Concordata, mores, res judicatas, quae peculierem politiam hujus Regni Neapolis spectant, opportune adnectemus; ne, dum commune jus novimus, patrium ignoremus; turpe vero est jus, in quo versamur, ignorare. Caeterum moles scripti nec offendat quemquam; Praelectiones enim, commoda etsi, planaque methodo quatuor in voluminibus scriptae sint, si notas tamen, citationes, et quae abundantius ad eruditionem sunt dicta, in illis discernas, intra anni scholastici orbem, et tradendo percurri, et percurrendo tradi facile possunt.

Difficultatibus, molestiisque quamplurimis viam nostram implicandam esse facile praevidemus. Ast ab his jam nunc nos expeditos volumus verbis ipsius S. Aug. (1): *Si in toto opere aliquid vel incau-*

(1) *Epist. 143. ad Marcellin. num. 2.*

tius, vel indoctius a me positum est, id non solum ab illis merito reprehendatur, verum etiam a meipso. Nam nimis perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat. Sicubi ergo pro humana conditione deflexisse deprehendimur, illud, quaeso, sibi persuadeant omnes nos paratissimos esse, quidquid emendandum amice monuerint, incunctanter corrigere ac recantare. Ne ipsi quidem dubitamus, quin viris doctis plura occurrant, in quae censoriam virgam exerant. Ast quae in nostram culpam conferunt, etiam atque etiam rogamus, ut, dum imperitiae auctoris tribuant, simul eidem humanitate sua parcant. Si quae vero laude digna sint, Deo tribuant, *quoniam Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.*

Illud denique non omittendum putamus, quod in priore hujus operis editione, quia nimis festinanter actum est, ut aliis satisfaceremus, nobis ipsi non satisfecimus; quare haec altera editio, quam Deo favente aggredimur, majore studio ac diligentia accurabitur, quo in rebus auctior, in verbis expolitior evadat.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM

DE ECCLESIA, SACRISQUE LEGIBUS.

CONCLUSIO PRIMA.

Origo, et Natura Ecclesiae designantur.

ECCLESIA non magis a religione differt, quam animatum corpus ab anima; coetus enim fidelium, quo nomine Ecclesia venit, nonnisi ad religionem exercendam convenit. Igitur ut vera religio origine sua, atque essentia ex natura peti non potest, nec pactis hominum, ac Principum politicorum legibus, ipsis incredulis jam non abnuentibus; ita et Ecclesia nonnisi ex consiliis petenda est divinae sapientiae, ac divitiis bonitatis ejus. De Deo quidem sentire, ut satis sit ad salutem assequendam, cuique hominum numquam licuit, ne ipsis quidem sanioribus philosophiae antesignanis, qui illum indicando adumbrare, tenendo nunquam declarare potuerunt. Ad haec ipsum genus humanum infirmum suapte natura, egenum sua inopia, coecum tenebris suis rapiebatur quidem in aliquid, a quo auxilium sibi speraret; revelatione attamen destitutum eo progressum est, ut foedissima idololatria corruptum, religiònem fabularum plenam, sectisque dispersam sibi in animo formaverit, nec non sacerdotio, rebus sacris, ac legibus superstitiosis, et erroribus instructam.

Hinc necesse fuit, ut Deus ipse, revelata religione, hominibus se ipsum lege scripta agnoscendum daret; jam enim e cordibus illorum exoleverat; imo et *novissime* misericordia motus, et tactus miseriis, quibus involutus homo ipse erat, *loquutus est nobis in Filio* (1), *qui dedit semetipsum pro*

(1) Heb. *XII*. 2.

nobis, *ut nos redimeret ab omni inquinamento*, *et mundaret sibi populum acceptabilem*, *sectatorem bonorum operum* (1), quem sanguine suo acquisivit, et Ecclesiam Dei nominavit (2). Haec igitur jam (3) promissa Christo in haereditatem, et possessionem non est nisi regnum (4), cujus ipse Rex mansuetus (5): ovile, cujus ipse solus pastor (6): Corpus, cujus ipse idem est Caput (7), et quidem colligatum sua gratia, sicut origine divinum, ita essentia supernaturale. Re quidem vera ordinare illud ad finem sanctificationis per gratiam, ac salutis per gloriam, ejus dumtaxat esse poterat, cujus est auctoritas suprema, et independens: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* (8). Hinc fideles, qui Ecclesiam efformant, in societatem Domini nostri Jesu Christi vocati, Dei agricultura, Dei aedificatio (9) (*a*) dicuntur; indeque Rationalistae ab ea desciscentes, atque simul a Religione Apostatae, post Scepticismum Kantismo, Sansimonianismo, Schlegelismo adhaerentes, inverecunde Pantheismum inclamant.

(*a*) S. Augustinus conc. 3. in Psalm. 36. ait. *Omnes*, *qui ab initio fuerunt justi*, *caput Christum habent*: *illum enim esse venturum crediderunt*, *quem nos venisse jam credimus*, *et in ejus fide et ipsi sancti sunt*, *in cujus et nos*, *ut esset et ipse totius caput Jerusalem*; et S. Gregorius hom. 19. in Evang. postquam Ecclesiae variationem per quinque aetates distinxit ab Adam nempe usque ad Noe; a Noe usque ad Abraham; ab Abraham usque ad Moysen; a Moyse usque ad adventum Christi; ab adventu Christi usque ad finem Mundi; *quis*, inquit, *Patrisfamilias similitudinem rectius tenet*, *quam conditor..... qui habet vineam universalem scilicet Ecclesiam..... quae quot Sanctos protulit*, *tot palmites emisit*.

Indicium ergo crassae ignorantiae, vel abjecti animi praeseferunt, qui non lumine revelationis, sed sua ratione infirma, imo et subornata ducti, de Ecclesia tractatus, systemata, et leges emittunt, indeque nihil vident in ea, quod non carpant, non parvifaciant, non pro abusu, et superstitione habeant; inter quos profecto eminet de Pradt, cujus opera erroribus redundantia, nescio quid novi adstruere conantur. Risu autem excipienda illa *Ecclesia Francica*, quam commentus est in Gallia Chatel Sacerdos, qui suo marte omnia effinxit, ut caput societatis sine capite se constitueret.

(1) *Tit. II. 14.*
(2) *Act. XX. 28.*
(3) Psal. *II. 131:*
(4) Matth. *XII. 21.*
(5) Matth. *V.*
(6) Joann. *X. 6.*
(7) Coloss. *I. 18.*
(8) Psal. *83.*
(9) *I. Cor. 3.*

CONCLUSIO SECUNDA

Christus legibus sacrosanctis Ecclesiam colligavit suam.

Respublica quaelibet, etiamsi suis circumscripta sit finibus, legum praesidio destituta, neutiquam recte stare potest. In quavis hominum societate aut unum aut plures esse oportere, qui praesint, administrentque rempublicam, omnibus patet; si enim cuique facere, quod libuerit, impune liceret, neque in tanta multitudine, ubi boni, improbique sint, magistratuum auctoritate in officio cives legibus continerentur, et magna perturbatio, incredibilisque in civitate confusio oriretur: *ubi non est gubernator, corruet populus*, ut in Proverbiis legitur(*a*). Ergo Ecclesia in aeternum duratura, ac per totum terrarum orbem diffusa, suis sane sacrosanctis legibus teneatur magis necesse est, ut in ea, testante Apostolo (1), *omnia honeste, et secundum ordinem fiant*. Legibus namque occurritur abusibus, qui sensim irrepunt, cum portae Inferi longius distent, quam ut potenter carnales a malo retrahant (*b*).

Ita sane jam praedictum (2) reperitur, quod filius Dei constitutus Rex sit super montem Sion, Ecclesiam scilicet, praedicans praeceptum ejus; huncque filium apprehendendo, disciplinam ejus apprehendet quisque, ne quando irascatur ille in impios, et rebelles, ille, cui serviendum cum timore, ne pereamus, atque de via justitiae exterminemur. Ita quidem ipse Dei filius homo factus, translato sacerdotio, et legis translatione facta, quae Sinagogae erant, antiquatis, Evangelio providit legibus convenientibus Ecclesiae suae, cujus divinus Hierarcha Apostolos, ac discipulos immediate erudivit, ut per ipsos sive tradito sive scripto verbo credenda, aut facienda cognoscerentur (*c*).

(*a*) Est itaque recte instituta civitas, in qua, qui imperium tenet, condere leges, de litibus judicare, punire improbos, insectari vi, armisque repellere hostes valeat; qui subjecti sunt, honorem Principi adhibent, atque imperata faciunt.

(*b*) Consule S. Thomam I. 2. qu. 95. in c. et ad 4. et art. 5. in corp. Vide etiam Grotium *de jure* B. et P. l. 1. c. 3. ac Puffendorfium l. 6. *de I. et G.* cap. 3.

(*c*) Christus scriptis suam doctrinam non commendavit 1.° propter suipsius dignitatem, cui perfectior doctrinae modus competit, qui est motio, atque impressio cordis: hinc *Signavit super nos lumen vultus sui*: hinc ipse

(1) *I. Cor. XIV.*

(2) Psal. *II.*

CONCLUSIO TERTIA.

Sacrarum legum objectis enucleatis, origo scientiae juris canonici notatur.

Leges Ecclesiae respondere debent religioni, quam ipsa Ecclesia exercet, et uti suum finem habet. Legum sacrarum itaque objecta ab ipsa religione sunt desumenda. Haec autem objective sumpta est complexio veritatum theoreticarum, et regularum practicarum ad cultum Dei, et hominum salutem pertinentium, quibus et quid credendum, et sacra politia habetur, quae scilicet mores instruit, et disciplinam docet, ut ad Evangelii praecepta actiones componantur, externumque quoddam regimen in Ecclesia teneatur. Tria ergo sacrarum legum objecta sunt: doctrina, mores, et disciplina. Doctrina continet dogmata fidei; mores sunt actiones Christianorum, quae ad sanctissimam doctrinam componi debent; disciplina complectitur ritus liturgicos, et exteriorem Ecclesiae administrandae formam.

Complexio vero earumdem veritatum, quae nimirum fidem, mores, et disciplinam spectant, apto ordine digesta, sacra facultas dicitur, et disciplina, generatim Theologia (a) Prima

Evangelio non solum indicat, quid credendum, sed ad implendum adjuvat; ut observat D. Thomas: 2.° quia doctrina Christi scribi debet ut *lex Spiritus vitae* Rom. VIII. v. 5. *non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in lapidibus, sed in tabulis cordis.*

(a) Primus qui ex PP. cognomen Theologi habuisse fertur, Sanctus Gregorius Naziaz. fuit ann. circiter 370; quamquam vero jam ex Apostolorum aevo theologia extitit, tamen per illa tempora in interpretatione scripturarum versabatur, et Catachesis dicebatur, et Catechistae doctores ejus. Nulla igitur per priora tempora ratio systematica tradendae Theologiae invenitur; et Patres potius quam theologi appellabantur illi, a quibus instructio haberetur fidelium, nec non sanctificatio eorum, insuper et confutatio errorum. Saeculo octavo Theologiae Epitome visa fuit in operibus S. Joann. Damasceni *De fide Orth.* Saeculo nono polemicorum theologorum nonnulla scripta prodiere. Systemata dein quaedam theologica nomine sententiarum conscribenda sumpsit Petrus Lombardus primus omnium saeculo XII. Sanctus Thomas vero saeculo XIII. scripsit summam Theologicam vere auream: et Sanctus Bonaventura in libros sententiarum; hinc scholae prodiere Thomistarum, et Scotistarum.

Ad haec Theologia in Agonisticam divisa fuit, seu Gymnasticam, quam nostri polemicam inde dixere, et haec disputat adversus haereses, ac infideles; ac in Dogmaticam, quae tota in docendo versatur. Demum Orationes Agonisticae dictae fuere Diatribae seu exercitationes; Dogmaticae autem homiliae, et Sermones.

Ecclesiae tempestate cum cor unum, et anima una erat fidelium, stabili ordine, et pro re nata omnes eaedem veritates exponebantur. At cum caritatis ardor deferbuit, cumulus expositionum fidei, et canonum exauctus fuit; insuper magis abundans Clerus, frequentesque fuere Ecclesiae; necesse fuit etiam ratione temporis, et morum, ut dogmatis distinctio, ac disciplinae servaretur (*a*). Hinc facta divisione illorum, quae Theologiae erant, atque hac in partes scissa, uni quidem veritates theoricae attributae fuere, seu dogmatum expositio, atque defensio; aliis praecepta morum, et disciplina: quamquam nulli fines adeo stabiles, ut non altera in alterius disciplinae fundos saepe invaderet ob nexus veritatum, et idemtitatem doctrinae, ne dicam et ob imperitiam, et aemulationem quorumdam doctorum (*b*).

Binae ergo exortae scientiae quasi germanitate conjunctae, ac origine; fine, et ordine sejunctae; quarum una theologiae nomen a saeculo XII retinuit, ut dogmata vindicaret; altera, juris canonici nomine adsumpto, res ad mores (*c*), et disciplinam pertinentes docet; quaeque Theologia rectrix ac practica recte etiam dicitur (*d*); proindeque rectius, quam scientia,

(*a*) Ipsi Patres in Synodis consueverunt fidei, et politiae regulas seorsim tractare, et quae contra Haereticos attingerent fidem, symbolis complecti coeperunt, epistolis Synodicis, Anathematismatibus, aut Capitulis; quae autem politiam, canonibus. Mos is fuit retro conciliorum. Tridentinum vero, proposita primum per capita fidei doctrina, tum eam per canones definivit.

(*b*) Joan. Gerson in decretis Consid. X apposite sic se habet. « Dominus opus non haberet Juristis aliis, quam Theologis, si homines secundum virtutes theologicas, quae sunt fides, spes, et caritas, sponte vellent regulari. Sufficere, dixit Augustinus in Enchiridion, has virtutes ad salutem omnium hominum...... Sic instituta videtur et gubernata fuisse Ecclesia primitiva sufficienter ab Apostolis, ac deinde per successores varios usque ad DD. sanctos inclusive per quadrigentos annos et amplius, quibus temporibus non erat distinctio theologorum, et canonistarum, sicut canones sacri nulli essent ultra tenorem expresse traditum in Evangeliis, et caeteris libris canonicis. Hi vero canones, si bene inspiciamus, non sunt nisi conclusiones elicitae, vel illatae ex principiis theologicis, idest ex Evangelio, et aliis libris canonicis per illos, quibus dixit Christus, qui vos audit, me audit, *Luc. 5.* Nihil igitur admirandum, si ad eosdem pertinebat cognitio, et legislatio conclusionum illarum canonicarum, ad quos pertinebat notitia principiorum ».

(*c*) Ad mores: scilicet relative ad communitatem Ecclesiasticam, cujus sunt membra fideles; et ejus imperio subjacent, atque Foro. Theologiae enim moralis est absolute de moribus fidelium agere singulorum.

(*d*) Idem Cancellarius Parisiensis (tom. IV. pag. 891. v. 2.) rationes affert, ne Theologia a juris scientia divulsa omnino habeatur: « veritates omnes,

Jurisprudentia sacra nominatur: Prudentia enim est species intellectualis practicae (*a*).

CAPUT II.

DE JURE CANONICO.

CONCLUSIO PRIMA

Jus canonicum definitur, ipsiusque definitio interpetratur.

Jus canonicum (*b*) dicitur, quod ab Ecclesia per Episcopos, et praesertim per Romanum Pontificem explicatum, sancitum, et approbatum est ad rectam Christianorum institutionem.

» inquit, tanto putantur magis, vel minus pertinere ad Theologiam, et ad » ejus professores, quanto proximius, vel remotius possunt inferri ex prae- » dictis (scilicet ex his, quae ad jus divinum, et Evangelium pertinent) » praeter has veritates; et regulas oportuit multa explicari ad regimen Ec- » clesiasticae disciplinae, quae non poterant expresse deduci ex Scriptura; » sed oportuit fieri limitationem per auctoritatem humanam. Exemplum in » uno, per quod sciatur in ceteris. Confessio Sacramentalis est de lege E- » vangelica proprié dicta; sed quod fiat hoc tempore, vel illo, et apud » suum certum Sacerdotem, est de jure positivo. Talia sunt innumera in his, » quae spectant Dei cultum...... Necesse fuit, ut poenae variae pro variis de- » lictis ferrentur: constat autem hujusmodi institutiones esse arbitrarias » ut plurimum, quae licet conformitatem habeant quamdam ad divinam le- » gem; nihilominus non ita pertinent ad illam, quin aliae poenae non pos- » sint institui, stantibus illis principiis, et hoc est jus, quod appellamus pu- » re positivum, vel humanum...... Manifestum est, ad quam facultatem » spectat judicare de haeresibus: constat, quod ad Theologiam; modum » vero puniendi determinat facultas decretorum; executionem judices magis » sciunt....... Concludimus, quod Theologiam a canonibus excludere nihil » aliud est, quam suos sibi oculos evellere. Similiter canones velle destrue- » re est corpus proprium Ecclesiasticae politiae deformiter habituare: quae- » rere qualis scientia plus expediat Evangelica, vel Canonica, est quaerere » quod in corpore membrum ad directionem suam plus exponitur vel oculus, » vel aliquod aliorum ».

(*a*) Philosophiae ergo expertes nec recte, nec sine erroribus res canonicas sibi tractandas assumunt. Nec mirum inde erit, si de fidei veritatibus agentes, de Hyerarchia sacra, de Christi Vicario, de juribus Episcoporum, de Sacramentis, neglectis floribus fimo insidiantur, non vident nisi rugas, atque naevos in eis.

(*b*) In derivationem vocis *jus* philosophice inquirentes, adnotamus cum

Ecclesiam in aeternum duraturam, atque oppugnatam iri simul praedixit Salvator; proindeque, praeter Evangelium, quo illam colligavit, sacram potestatem instituit per Episcopos, et praesertim per Romanum Pontificem exercendam, ut possit eidem occurrere, uti tempus fuerit; quod mox demonstraturi erimus. Hinc recte dictum fuit *jus canonicum*, complexiò scilicet sacrarum legum recto ordine digesta, *explica-*

Sancto-Isidoro *C. I. dist. 3.* jus dictum, quia justum est. Ulpianus consonat *L. I. D. de just. et jure.* Hinc definitur ars boni, et aequi, quod scilicet arctis praeceptis regulas aequitatis, et justitiae concludit. Grammatice vero alii a jubendo illud derivant, quia jura dicebantur jussa; antiquis enim a juso seu jusso fluxit jubeo; seu cogere; sicut a juso jusum, seu pressum. Quare jus idem est ac succus, et apud latinos jus succulentam substantiam denotat, qua res quaepiam ita talis est, ut esse alterius non possit, atque hinc jura moraliter sumpta, proprietates sunt individuorum. Quoniam autem divina Providentia, ac suprema universi lege, hujusmodi proprietates singulis quibusque rebus inditae sunt, atque ordinatae conservantur; hinc pro lege ipsa talium proprietatum ordinatrice jus acceptum est, et generatim jura pro legibus usurpata. Praeterea legibus fit cuique propria facultas, sive habilitas agendi, recipiendi, aut acquirendi, activa scilicet, vel passiva: jus proinde dicitur ipsa facultas, et definitur: facultas cuique lege competens, vel activa nimirum contrahendi, alienandi etc.; vel passiva, habilitas nempe recipiendi donationes, beneficia etc.

Hisce positis facile erit intelligere illud jurisperitorum effatum: *hoc juris est: hoc jure utimur*, ad designandam obligationem quandam, vel facultatem. Item apud illos *jus* denotat sententiam judicis, atque locum, ubi causae agitantur. Complexe demum *jus* acceptum significat conjunctionem, sive complexionem plurium facultatum moralium, plurimumque obligationum ex eodem fonte manantium, vel ad idem subjectum, aut ad eundem finem pertinentium. Unde jus naturale, Ecclesiasticum, civile, oeconomicum, criminale. Complexio isthaec recto ordine digesta, systema juris dicitur. Insuper jus vel utilitatem singulorum promovet, et jus privatum dicitur; vel salutem reipublicae, et jus publicum audit.

Canonicum sonat idem ac regulare a verbo graeco canon, quod latine regulam dicimus. Canon vero est architectorum, aliorumque artificum instrumentum, quo lineae diriguntur; atque etiam norma ac regula, ad quam opus omne in mechanicis, ac liberalibus artibus exigendum est. Regula porro est, quod regat, vel quod normam recte vivendi praebeat *Isid. in can. 2. dist. 3.* Sunt qui ab hebraeo Kanec deducunt, quod *cannam* seu calamum sonat, sumiturque pro mensoria arundine, ut et vox *cane* apud provinciales, et *canna* apud nos. In utroque jure vero plurimae sunt Canonum significationes. Canon dicitur annua, vel menstrua pensitatio, quam emphiteutae, aliique debitores censuales persolvunt et dominis directis, et creditoribus; sicut et ea, quam subditi praestant nomine tributorum Principi. In antiquis Conciliis etiam usurpatur pro matricula seu syllabo clericorum. In sacris ritibus canon missae dicitur, quae a D. Ambrosio dicta est *regula consecrationis*, a D. Basilio *secretum*.

Antonomastice demum canones significant ecclesiastica praecepta seu leges, quibus fides, et politia ab Ecclesia diriguntur, quae hoc vocabulo usa est, sive quod abhorreret ab imperioso nomine legis, sive ob dignitatem sui juris, sive ne vocabulis Synagogae jam mortuae uteretur.

tum, *sancitum*, *vel approbatum*. Exprimit enim divinas, et humanas leges; illas tantummodo explicando, has constitutionibus sanciendo, vel consuetudine approbando. Vides ergo allatam definitionem suo genere, et differentia specifica constare. In ea quoque sua causa efficiens, materialis, ac finalis expressa cernitur. Ad hunc finem relatum jus canonicum, quamvis veritatum revelatarum principium non sit, sed testis, interpres, ac veluti canalis, nec ultra leges positivas per se non excurrat; recte tamen quae fidei sunt, et Dei praecepta, etiam comprehendere diximus, quod jure meritoque factum esse, melius ex dicendis patebit.

CONCLUSIO SECUNDA.

Differentia signatur juris sacri a civili.

Et sane differunt 1.° origine, et auctoritate: jus canonicum enim a Deo, ut collatore gratiae supernaturalis datum fuit Ecclesiae, quae in proponenda, ac declaranda doctrina fidei, et morum divino spiritu regitur; quo privilegio tamen non gaudet civilis potestas, unde jus civile originem capit; nam Deum, ut societatis auctorem principium habet; 2.° fine: juris enim canonici est homines dirigere, ut honeste secum ipsis vivant, juste cum proximo, pie cum Deo ipso, et ita, ut bonitas comparetur aeterna; hinc sanctificationem animarum, et cultum Dei intendit. Jus civile securitatem praecipue hujus vitae, vitae quietem, et temporaneam felicitatem spectat; 3.° materia: intuetur quidem civile jus caduca, et profana mundi; canonicum sacra, et spiritualia: utrumque vero suo genere summum, et independens, quia nec alterum alteri subordinatum, nec limites a D. O. M. sibi impositos transgredi potest. *Quae enim sunt Dei, Deo, quae Caesaris, Caesari* tribuenda Christus ipse docuit (1) (a).

(a) Quo autem sensu haec intelligenda veniunt, uberius suo loco dicemus.
(1) Matth. c. *XXII*.

CONCLUSIO TERTIA.

Regulae traduntur servandae in collisione, si qua ex utroque jure sit.

Quoniam christiani sunt cives, utrique potestati proinde subditi, legibus sese collidentibus aliquando possunt esse obstricti: hisce casibus servandae sunt sequentes regulae.

I. Si de jure maxime naturali, et divino positivo aliter leges civiles statuant, aliter canones; hi tenendi, ac illis praeferendi sunt. Hujusmodi enim canones declarationes sunt juris divini a legitima auctoritate profectae. Hinc ad Divinum jus declaratum pertinent, et parem obtinent auctoritatem (a).

II. In iis, quae potestatem divinitus institutam exigunt, aut ab eadem, religionis causa, constitutae antiquitus sunt, puta quae sacramentorum administrationem, pios ritus, statum religionis, aut Clericorum beneficia Ecclesiastica respiciunt, Jus canonicum observandum, sicut et quando de consuetudine, aut civili lege agitur, quae sine peccato observari non potest. In spiritualibus enim, et ubi de salute animae agitur, jurisdictio Papae est universalis, et independens. Hinc leges civiles peccatum foventes censentur correctae per canones. Lex vero correpta non amplius lex est, ut Glossa advertit (1), et Fagnanus (2).

III. Si qua in causa profana jus canonicum a civili discrepet, ut alterum cum altero conciliari non possit, tum quodvis servandum in jure suo (b).

IV. In materia profana, aut adiaphora si jus alterutrum obscurum, aut anceps sit, alterum ab altero clariori illustrari debet; aut, si quid decisum in uno, non item in altero reperitur, mutuo veluti obsequio adjuvatur, ac suppletur. Revera canones ex utroque allegantur; quod ex pluribus colligitur, et praesertim ex c. *Si in adjutorium* 1. dist. 10. quod sic se habet: *Si in adjutorium vestrum terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus; fecit hoc Paulus cum adversus injuriosos civem Rom. se protestatus est.*

(a) Leges ergo usuras adprobantes, occisionem uxoris adulterae, praescriptionem cum mala fide, et si quae sunt aliae similes, a jure canonico abrogatae, vel correctae, ita a fidelibus tenendae sunt.

(b) Impedimenta matrimonii a jure civili posita quoad effectus civiles ergo servantur; etsi cum illis, quae sunt juris sacri, non conciliantur.

(1) *L. ult. ff. ad L. Corn. de falsis.* (2) *C. cum esset de Testam.*

CAPUT III.

DE JURIS CANONICI PRINCIPIIS.

CONCLUSIO PRIMA

Principiis hujus disciplinae distinctis, principium cognoscendi proponitur.

Principium ex D. Thoma (1) est illud, *a quo aliquid procedit*: ex Aristotele vero (2) *est primum, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* Igitur, ut in hac disciplina canonica recte procedatur, nostrum erit heic distinguere principia ejus, nimirum *essendi, existendi, et cognoscendi*: et quidem principium *cognoscendi* hic propositionem quamdam generalem significat, quae continet in se notiones directrices ad explicanda praecipua hujus scientiae capita, sicut et in aliis. Quod sic se habet: *De jure Ecclesiastico, ejusque partibus singulis convenienter divinae fidei dissere*: etenim in omni tractatione religionis, qualis certe est Jurisprudentia sacra, principium immotum, et primum divina fides est, qua Christiani instituuntur ad cultum Dei promovendum, et ad salutem assequendam aeternam. Fide enim novimus Christum, et Ecclesiam ejus. *In scripturis*, ait Augustinus (3), *didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam*; nonnisi fide lucescit sapientia opposita humanis cupiditatibus, mundi illecebris, rectusque ordo actionum. Fides est, de qua Joan. (4) ait: *haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra* (a).

Ita sane *de fide catholica*, ejusque praecipuo objecto *Summa Trinitate*, ante omnia primus titulus primi libri decretalium instruit, ubi nomine fidei non intelligitur actus fidei, quo firmissime amplectimur per assensum ea, quae divinitus revelata, nobis ab Ecclesia proponuntur credenda; sed obje-

(a) *Fides nostra*: non Ethica quidem illa, quam melius dixeris *Ethnicam* doctrinam politicorum, qui nomen Christianorum tenentes, prudentiam carnis conciliare cum spiritu nituntur, et quorum opera, vera fide labente, universam vidimus vacillare canonicam disciplinam; imo affligi, vulnerari, atque destrui.

(1) *1. p. q. 33. art. 1.*
(2) *3. Metaph. cap. II.*
(3) *Epist. 166.*
(4) *Ep. I. c. V. 4.*

ctum fidei articulorum, quos Ecclesia a quibusdam per publicam professionem teneri exterius praecipit (*a*). Hos articulos Concilii Tridentini Pius IV, qui illos confirmavit, in certam formulam redegit. Igitur forma professionis non est arbitraria, sed fieri omnino debet coram eo, qui a Concilio denominatus est, nempe a provisis de Canonicatu, aut dignitate in Ecclesia Cathedrali fieri debet *coram Episcopo*, *aut ejus Vicario*, *et coram Capitulo*; secus professio censetur non facta ad effectum, ut quis fructus faciat suos; actus enim sine forma, quam habet a lege, est nullus (*b*). Insuper animadvertendum, quod de novo si quis Canonicatum acquirat, vel dignitatem in ea ipsa Cathedrali, in qua antea habuerat, renovetur, oportet professio fidei: supposita bona fide ad *S.* Sedem recurri debet pro impetranda absolutione a fructuum jam perceptorum restitutione, si quis ob consuetudinem professionem fecerit coram solo Capitulo; ex S. Congr. decr. ann. 1786 a Pio VI approbato die 8 aprilis ejusdem anni. Legitimum autem impedimentum sine dubio excusat, ex. gr. morbus. Ignorantia vero, imprudentia, oblivio in re legibus praescripta, quae est juris clari, non admittitur, nec absentia a loco excusat, in quo est facienda professio, quia potest delegari alius ab Episcopo; tum professio per procuratorem speciali ad id mandato instructum fieri potest.

(*a*) Hi autem sunt 1.° promovendi ad Episcopatum, 2.° provisi de canonicatibus, et dignitatibus in Ecclesia Cathedrali intra duos menses a die pacificae, et fructiferae possessionis, 3.° provisi de beneficiis curam animarum habentibus pariter intra duos menses a die adeptae possessionis, 4.° praelati locorum regularium, 5.° doctores, magistri, regentes, et qui quamque artem, aut disciplinam sacram, vel profanam profiteri volunt, item qui ad gradus literarios, et licentiam docendi in Academiis promoveri cupiunt, ubi tamen sunt usu receptae constitutiones *Injunctam* Pii IV, et Pii V *In sacrosancta* ann. 1564 ubi hic §. 2. reddit rationem hisce verbis: *Occurrere cupientes, ne simplicia nonnullorum adolescentium res novas audiendi cupidorum ingenia in naufragos blandientium haeresum scopulos imprudenter impingant.* Haec ratio quantum urgeat hac nostra aetate, nemo non videt.

(*b*) Provisi de canonicatu, vel dignitate in Ecclesia cathedrali, item de beneficio curato, aliter non faciunt fructus suos post illud bimestre perceptos, donec illam professionem emittunt, sed eos tenentur, non obstante professione postea emissa, erogare in pauperes, aut in Ecclesiae fabricam, et probabilius ante sententiam judicis; nam non est lex poenalis, sed conditionalis.

CONCLUSIO SECUNDA

Auctoritas divina, aut divinitus instituta principium sunt existentiae Juris Canonici.

Ecclesia Christi nec essentia, nec origine a natura petenda est (1). Ergo nec leges, quibus subsistit. Hinc nonnisi auctoritas divina, aut auctoritas divinitus instituta Ecclesiae in aeternum duraturae, et visibilis, *principium sunt legum ejusdem.* Unde Christus missus legifer noster, sicut legibus sacris colligavit Ecclesiam (2), ita eodem munere legislatorum misit Apostolos suos, ut regerent illam: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (3). Ad rem redit ipse D. Thomas, et docet (4), ea per se Christum praecepisse, quae sunt necessaria necessitate medii, vel praecepti ad salutem aeternam assequendam, reliqua sui Vicarii arbitrio definienda commisisse, et Apostolorum suorum; tum ut suaviter, et modo hominibus congruo omnia ordinarentur; tum quia non poterant omnia ita statui, ut essent immutabilia. A potestate divina, aut divinitus instituta sunt ergo leges ecclesiasticae (*a*).

Praeterea Principia existentiae sunt, per quae contingens aliquid, et mutabile habet existentiam. Igitur juris canonici, quod existit ad rectam Christianorum institutionem, ex antea dictis non est principium nisi Deus ut gratiae collator, et ii, quibus eamdem dedit potestatem suam. Unde Chri-

(*a*) Novatores cupiditate magis, quam ratione ducti, leges humanas injuste conditas sive sacras sive civiles blaterarunt. Praeter ceteros maleferiatus homo Lutherus dixit: *ab omnibus liberi sumus.* Hujus resonantes vocem alii novis legibus nihil opus esse docuerunt, cum Christum unum esse Christianorum legislatorem plane constet. At contra Potestatibus parendum esse docet Paulus ad *Rom. 13.* et *1.* ad *Corinth. 11.* jubens: *ut omnia ordine fiant, quia non dissensionis Deus est, sed pacis*, certe potestatem leges condendi Principibus inesse demonstrat. Fatemur quidem novis legibus non opus esse, quae tamen pugnent cum legibus a Christo latis, cum ob id inter veras leges accenseri non possint; at ex hoc inferri nequit non opus esse legibus ad commoda, atque utilitates civitatis spectantibus, ipsique Evangelio maxime consentaneis; Christus enim non omnia explicite sanxit, quae quibusvis temporibus, et rebus publicis essent opportuna; sed haec lege humana declarari, et statui voluit, cum tempus, et ratio moneret, ab his, qui summae rerum praepositi essent, scilicet a Principibus in civitatibus, et a Pastoribus in Ecclesia, de quibus mox redibit sermo. Id enim per leges humanas, quae pro temporum, et rerum varietate mutari possunt, fieri potuit, non per legem Evangelicam, quae constans, firma, nec mutationi est obnoxia. Confer S. Thomam I. 2. qu. 97. art. 1.

(1) *Vide Concl. I. cap. I.*
(2) *Concl. III. ejusd. cap.*
(3) Joann. 20.
(4) *I. 2. q. 108. num. 1. et 2.*

stus ait (1) : *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra; euntes ergo docete omnes gentes..... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Hinc nec ex ethnicorum libris, nec ex morali Philosophia petendas sacras leges nemo non videt.

Re quidem vera de Religione, de supernaturali Ecclesia, deque rebus a libera Dei voluntate pendentibus agitur, de quibus opportune D. Thomas (2) subdit : *in his, quae sunt supra naturam, soli auctoritati creditur, et quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum naturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus revelata sunt.*

CAPUT IV.

DE ECCLESIAE REGIMINE.

CONCLUSIO PRIMA

Ex notis Ecclesiae necessitas sacri regiminis demonstratur.

De individuis pro arbitrio disseri non potest ; ergo nec de Ecclesia Christi. Ex characteribus ergo sicut a falsis sectis recte discernitur (a) ; sic et ejus regimen distinguitur, quod naturae, ac fini ejusdem accomodatum sit, oportet. Theologia hos characteres demonstrat, et vindicat. Jurisprudentia sacra eosdem tamquam proprietates jure meritoque tenens, in ipsis rationes fundamentales imperii sui statuit, ac demonstrat.

Synodus Constantinopolitana I, et Tridentina hunc articulum exhibent vel maxime ad dogmata religionis pertinentem : *Credo unam* (b), *sanctam, catholicam, et Apostolicam Eccle-*

(a) Consentiunt non modo Catholici, sed et Novatores ; hi tamen suis intendentes sectis, duas notas statuerunt ; et praecipue, quae sibi melius convenirent, praedicationem nimirum Evangelii, et legitimum usum Sacramentorum. Catholici autem etsi alii plures, alii pauciores, illas Costantinopolitanae Synodi plus, minusve explicitas docuere.

(b) Ipsa enim Ecclesia, quae designata fuit scripturis sanctis, uti sponsa, hortus, sagena omne genus piscium congregans, item dicta vestis inconsutilis, ovile unum, et regnum, atque populus, nonnisi una distinguatur, necesse est. *Da unum*, ait Augustinus, *et populus est ; tolle unum, et turba est.* Hinc Christus pro eadem Ecclesia orans *Joan. XIII. Pater Sancte*, dixit, *serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.* Una Ecclesia est unitate fidei, sacramentorum, quibus communicant fideles sui, et regiminis, cui subjacet ; Christus enim ipse, cum Apostolos misit *Matth. XXVIII.* pro-

(1) Matth. 28. (2) *P. I. q. 106. 1.*

siam (*a*). Hisce notis Ecclesiam distinguimus, non quae fingi, aut esse possit, sed eam, quam Christus suo sanguine acquisivit, ut sponsam ejus a meretricibus, Domum Dei a speluncis latronum, Ecclesiam suam a Synagogis Satanae, Congrega-

pagaturos Ecclesiam, *euntes*, dixit, *docete*, et certe fidem, de qua Paulus sic habet: *Una fides*, et paulo post; *ut occurramus in unitatem fidei*; dein idem Christus subdit: *Baptizantes* etc. ast unitate baptismi in unum corpus sumus juxta illud Pauli *1. ad Corinth. 12. In uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus.* Loquens item de Eucharistia dicit, *unum corpus sumus omnes*, *qui de uno pane participamus.* Non te autem moveat, quod de his duobus Sacramentis, et non de aliis sermo sit; nam per illa sive mystico, sive reali ac vero corpori Christi specialius communicamus. Demum additur: *Docentes servare omnia*; subditi enim legitimis Pastoribus, et praesertim uni Romano Pontifici primatu jurisdictionis praedito, unitatem habemus corporis unius Ecclesiae.

Ecclesia Christi est sancta. Caput enim ipsius est ille, de quo Daniel cecinit *XIX. 24. Et ungatur sanctus sanctorum.* Finis ejus sanctus: *elegit enim nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in caritate Eph. I.* Media, quibus utitur, sunt sancta *Heb. XXII. 12. Jesus enim, ut sanctificaret per suum sanguinem populum... passus est*: ex quo sanguine sacramenta manarunt. Sancta est doctrina ipsius; manet enim in Ecclesia *spiritus veritatis.* Sancta ob vitam, et mortem eminentiorum ejus membrorum, et gloria miraculorum, quibus inclaruerunt. Cui sanctitatis adjuncto nihil quidem officit aliquorum membrorum improbitas, ut minime officit civitati, ut dicatur dives, exercitui, ut habeatur bellicosus, genti, ut dicatur exculta, multitudo pauperum, timidorum, et imperitorum, qui in illis possent reperiri.

Catholica Ecclesia consideratur et successive, et permanenter: ab Hierosolymis enim Apostoli incipientes ejus propagationem, ingenti multitudine ipsam longe majorem, quam aliae sectae unquam fuerint, reddiderunt, et ita ut *in omnem terram exiverit sonus eorum*, ut legitur in psalmo 18. et ipse Apostolus testatus est *Ad Rom. 10. 18.* Universitas vero Ecclesiae (monitum volumus) non mathematice, sed moraliter sumenda. Ipse quidem Deus et defectiones in ea, et schismata fore praenunciavit. Illam demum ne pendere putes ex numero summorum imperantium fidem tenentium; ante enim conversionem illorum catholica erat Ecclesia, sicut revera est. Quod vero sit Ecclesia Christi Catholica, patet ex Psalmo 11. ubi ipse Deus alloquitur Christum: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Nec ipse nisi ad omnes gentes misit Apostolos, de quorum ministerio ad Rom. scribens Paulus dixit: *Fides vestra annuntiatur universo mundo*; *ad Rom. 8.* Lege Augustinum *Epist. 49. Col. 115. et libr. de unit. Eccl. t. 9.* qui totus est in eo, ut ex lege, Prophetis, Joann. et ex actib. Apostolorum catholicam esse Ecclesiam Christi contra Donatistas ostendat. Tria autem requiruntur, ut Ecclesia dicatur Apostolica 1. ut quoad doctrinam nihil credat, nisi quod Apostoli a Christo edocti tradiderunt; 2. perpetua Pastorum succesio, quae ab Apostolis exordiatur; 3. legitima missio per manuum impositionem Episcopalem. Quod vero sit Apostolica, ex Apostolo demonstratur *Ad Ephes. c. II. 30.* Haec enim superaedificata ibi dicitur *super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum*: imo *super hanc petram*, dixit Christus *Matth. XVI. 18.*, *aedificabo Ecclesiam meam.*

(*a*) Ex eo quod saepenumero Ecclesia Christi vocatur Romana Catholica, quidam auctor garriendi occasionem arripuit, docens vocem illam *Romanam*

tionem orthodoxorum a conventiculis Sectariorum internoscere hinc liceat. Ab his porro notis ita distinctis ex articulo fidei, necessarium in Ecclesia sacrum imperium derivare, nostrum hic erit evincere.

Et primo ex unitate Ecclesiae: Fides, ex cujus unitate una est Ecclesia, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (1); sed firmissimo tamen assensu tenenda, qui proin sine sacro imperio, a quo fides ipsa proponatur, explicetur, et sensu suo indicetur, haberi non potest, ergo ec. In obscuris quidem homines suo ingenio, et studio relictos sine regimine, in diversas abire sententias experientia docet. Illo enim ablato, quisque, quod suo sensui non convenire videret, omnino non crederet. Protestantes ipsi, et Schismatici, utpote dissociati ab eodem sacro imperio, in suis variationibus hoc ipsum probant.

Nec eadem communio iisdem sacris rebus esset, qua una Ecclesia dicitur, ubi unum non esset sacrum regimen. Non enim omne, quod ad societatem pertinet, omnium sociorum est, ubi unus non sit, qui regat, quique, quod eorum interest, non curet, et faciat. Demum ipsae societates familiares, atque civiles, etsi eisdem legibus vivant, non ob id unam efformant familiam, et in unum corpus coalescere intelliguntur, nisi sicut et communibus juribus, sic et uno, eodemque imperio gubernentur. Eo vel magis ergo Ecclesia una dici non potest, nisi subjecta sit legitimis pastoribus, et praesertim uni Pontifici primatum habenti super omnes, quo unum fit regimen.

Idem unum sacrum imperium necessarium natura ipsius Ecclesiae ostendit, quatenus est sancta. Sanctitas enim do-

pugnare cum altera *Catholica*, propterea quod haec quidpiam universale, illa singulare significat. Id autem scripsisse videtur, ut Jansenisticae potius factioni in Hollandia, quam veritati faveret; quippe ibi veri catholici, ut a Jansenistis distinguantur, Romani Catholici vocantur. Verum quod ad rem pertinet, observandum, quod Ecclesia dicitur universalis non tamquam genus, quod plures species, et individua continet, sed quia dum est una, ac unica, atque individua, eadem et Catholica seu universalis, quippe quae semper, quae ubique, quae apud omnes, quae tempore, loco, multitudine, antiquitate, universitate, et consensu, novitati, parti, et paucorum errantium dissensioni praefertur, quaeque Romana nuncupatur, quia tota supra petram seu Petrum, et ejus successores a Christo aedificata fuit; et, ut Fleuryus ait in Cathechismo Historico l. 2. p. 2. lect. 9., verae Ecclesiae nota est conjunctio cum Sancta Romana Sede.

(1) *Hebr. 11.*

ctrinae nisi ex una fide non habetur; proindeque, sicut una fides, ita et sanctitas imperio sacro conservatur, et regitur. Ab illo, inquam, quod solum prae omnibus damnavit theses omnes honestati morum repugnantes, et canones sancivit de sanctis saucte tractandis, de vita, et honestate Clericorum, de primaevo spiritu conservando in religiosis Ordinibus (1), et decrevit item *omni constitutioni derogandum*, *quae absque peccato non potest observari*. Quod quidem ab Apostolo jam traditum habemus, qui ait (2): *de cetero*, *fratres*, *quaecumque sunt vera*, *quaecumque pudica*, *quaecumque justa*, *quaecumque sancta.... si qua virtus*, *si qua laus disciplinae*, *haec cogitate etc*. Accedit, quod revera, qui in Ecclesia romana catholica prodigiis, et miraculis, indubitatis monumentis sanctitatis emicuerunt, solum fuere illi, qui subjectos se tenuere eidem uni regimini, eique firmissime adhaeserunt. Fide ab ipso proposita se sanctificarunt, repudiantes etiam effusione sui sanguinis ea, quae ab inimicis ejus probantur, et probantes, quae ab illis repudiantur (*a*).

His adde nec catholicam esse Ecclesiam sine illa sacra potestate, et imperio. Ut enim universalis sit, omnia loca, et praecipuas terrae partes, atque omnia tempora complectatur, necesse est; ita ut quod aetate Apostolorum tenebat, id teneat, et insignior qualibet alia secta pateat; quod, nisi regente sacra potestate, obtineri non potuisset; glutine enim sacerdotum, quod sacro habetur regimine, ait Cyprianus, omnes, et singuli dispersi inter sese, uniti in commune centrum catholicae unitatis tendunt, atque subductae ab ea, nec unitati illius adhaerentes singulae sectae, nec Catholicae Ecclesiae sunt, nec sese dicere audent. Hinc quaerenti peregrino, ubi Ecclesia conveniat catholica, nullus haereticorum, ut advertit Augustinus, vel basilicam suam, vel domum ostendit; ostendit tamen Romanam Ecclesiam, quae illa sacra summa potestate regitur.

Apostolica demum Ecclesia Christi est, quae et doctrinam, et potestatem Apostolorum tenet; quae quidem sine perpetua successione suorum pastorum, et sine legitima missione co-

(*a*) Inepte ergo Voltairius, et Rousseau blasphemi dixerunt deformatam Ecclesiam Romanam, et vitiis obrutam. Quae enim vitia in ea sunt, nunquam a doctrina ejus, et sacro regimine proposita dimanarunt, nec eo duce dimanare potuerunt.

(1) *Can. fin. de praescript.* (2) *Philipp. IV. 8.*

rumdem ab uno summo, et sacro regimine, nec comprehendi animo possunt. Hoc non minus pro comperto est, quam quod et eodem summo regimine Apostolicarum Ecclesiarum discretio facilis sit nobis. Etsi enim traditio Apostolorum in toto mundo manifestata sit in omni Ecclesia, ut facile sit omnibus, qui vera velint videre, illam agnoscere; valde tamen longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones Episcoporum, et legitimas missiones illorum, qui doctrinam tenuerunt Apostolorum, maxime postquam aliquae illarum ab Apostolis fundatae defecerint; praeter quam quod nec intellectui omnium cujusque aetatis, et conditionis erit accommodata haec discretio. Quapropter ad Romanam Ecclesiam, ubi primatus sedet regiminis, erit recurrendum, et id speciali ex causa, quae in Ecclesiis ab aliis Apostolis fundatis non obtinet. « Ad hanc enim (ait Irenaeus (1) Apostolicorum patrum auditor) Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos, qui undique sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est, quae ab Apostolis est, traditio ». Hac deducta ab Apostolis usque ad Eleutherium, qui tunc duodecimo loco Episcopatum Romae tenebat, subjungit. « Hac ordinatione, et successione, ea, quae ab Apostolis in Ecclesia traditio, et veritatis praedicatio, pervenit usque ad nos, et est plenissima haec ostensio, unam eamdemque victricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata ».

Favet Augustinus etiam, qui (2) loquens de Innocentii I definitione contra haeresim Pelagianam ad Africanos missa ait: *quid enim potuit ille vir sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, et Romana tenet perseveranter Ecclesia?*

Hisce positis argumentum sic paucis instruitur: Apostolicarum Ecclesiarum fides, et traditio una esse debet cum Romana; item et legitima successio Episcoporum est illorum, qui se tenent sub regimine illius, utpote ceteris omnibus praefectae a Christo, ob *potentiorem principalitatem* ejus, ut Irenaeus praemonuit, nimirum ob primatum jurisdictionis ejus. Ergo illae Ecclesiae, quae fidem, et traditionem Romanae Sedis tenent, fidem, et traditionem tenent Apostolica-

(1) *Lib. III. c. III. contra Haereses.*
(2) *Lib. I. c. II. in Julianum.*

rum Ecclesiarum ; illi Episcopi legitimi successores habendi sunt Apostolorum, qui caput, et ducem habent Romanum Pontificem. Quod comprobatur ex illo apud omnes recepto axiomate, *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

Jure hinc, meritoque, quod proposuimus, probatum remanet, scilicet Ecclesiam Christi unam, sanctam, catholicam, et Apostolicam, sacro imperio, atque proprio regimine fundatam esse, cujus exercitium si impeditur, etiam verae religionis, verumque imperii exercitium impeditur; sacro imperio reapse diruto, religio, et Ecclesia Christi solvitur. Hoc sacrum regimen autem, quod necessarium Ecclesiae ex sui natura demonstratur, ex sua etiam constitutione deducitur, nempe indefectibili; item ex periculis libertatis conscientiae, atque ab existentia haeresum, et levitate mentis humanae, ob insufficientiam medii examinis, et ob existentiam revelationis. Illo etenim posito, in tuto omnia posita manent.

Hinc mirum non est, quod Protestantes confidentissime hoc Imperium sacrum evertere conati sunt; vocem enim Ecclesiae contempserunt. Quapropter inepte, ut antea demonstratum fuit, opponunt satis in scripturis sancita, ac definita esse, quae ad Ecclesiasticam disciplinam spectant: praeterea sacram potestatem naturali libertati dicunt oppositam, cum nemo invitus cogi possit ad Evangelii officia: demum ipsas poenas in Evangelio indictas, solvendas tamen non in hoc saeculo, sed post mortem, Imperium in Ecclesia hujus saeculi destruere blaterant.

Parum ingenii, judicii nihil quisque videt in his, quibus veritati refragari conantur Protestantes. Quoad primum enim spectat, negatur omnia esse, et singillatim in scripturis sacris definita: multa insuper habentur, in quibus judicium Ecclesiae necessarium esse patet; eo vel magis quod, judicio Ecclesiae sublato, ipsae scripturae sanctae in discrimen vocantur, et, posthabita loquentis Ecclesiae potestate, unas tantummodo scripturas, per se quidem silentes, explanatas non haberemus, nisi a spiritu privato, ad libitum scilicet, quod et illas inutiles redderet? Num jus civile audent inutile dicere, eo quod juris naturae principia per se patent?

Ad secundum respondet Augustinus (1): *ubi est, quod isti*

(1) *Lib. ad Bonif. de corret. Donatist. seu Ep. 175. c. 6.*

clamare coeperunt; liberum est credere; et non credere; cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum: agnoscant in eo prius cogentem Christum, et postea docentem, prius ferientem, et postea consolantem. Et mox (1): *cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios, ut redirent, si perditi filii et coegerunt alios, ut perirent.... sed a Christo coactum ostendimus Paulum.* Imitatur itaque Ecclesia suo imperio Dominum suum, nec naturali proinde libertati se opponit.

Ad tertium respondeant nobis adversarii, num inutiles, et frustraneae poenae temporales contra facinorosos aeternis mancipandos suppliciis? Quod si rectum jus criminale dicunt; nec jus Ecclesiasticum damnare possunt.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ecclesiae definitione tradita, et propugnata, idem sacrum in ea regimen comprobatur (*a*).

Ecclesia Christi est coetus fidelium unius, ejusdemque fidei professione, et sacramentorum eorumdem communione colligatorum, sub regimine legitimorum Pastorum, atque in primis summi in terris Vicarii Christi Romani Pontificis (*b*).

Ecclesia quod sit coetus fidelium, quos Christus una fide, et communione eorumdem Sacramentorum colligavit, ex dictis antea patet (2).

Ultimam partem tamen allatae definitionis criminationibus suis Launojus Parisiensis, ejusdemque furfuris Theologi dicunt peccatum esse Petri Canisii, et Roberti Bellarmini; eo quia antiquae definitioni subjectionem legitimis Pastoribus, et

(*a*) Ecclesia a graeco Encaleo, latine evoco, ab hominum evocatione dicitur. Synagoga a Synago graece, latine congrego. « Ecclesia, ait Augustinus, » ex vocatione appellata est; Synagoga vero ex congregatione; convocari e- » nim magis hominibus congruit, congregari pecoribus: hinc Christiani ad » aeternae felicitatis promissionem more hominum erant vocandi, Judaei » terrenarum promissionum pabulo, ritu pecudum erant congregandi ».

(*b*) Etsi alii aliter definiere Ecclesiam, prout alias, vel alias dotes ejus, aut proprietates considerarunt; externam nos partem ejus definimus nempe corpus, non quod anima interior pars ejusdem non sit nobilior, puta dona Spiritus Sancti, Fides, Spes, Caritas, sed ut occurratur heterodoxis declinantibus se subjicere Ecclesiae visibili capiti Romano Pontifici. Theologiae autem est, reliquas partes ejus distinguere, atque vindicare ab erroribus Pelagianorum, Donatistarum, Wiclefianorum, Calvinistarum, et Lutheranorum etc.

(1) §. 23. (2) *Vide concl. I. et II. cap. I.*

praecipue Romano Pontifici adnexam voluerunt: ad Concilium enim Tridentinum usque, coetum, aut convocationem fidelium simpliciter definitam dicunt; illudque additamentum ad statum, non ad naturam Ecclesiae pertinens, supervacaneum esse definitioni. Inepte tamen; jam enim demonstratum fuit ad naturam Ecclesiae pertinere sacrum imperium, proindeque ejus essentiale. Accedit quod notam novitatis minime effugiunt ipsi potius adversarii, quam ea inusti dicantur Canisius, et Bellarminus. Illi enim distinctionem prorsus novam inter statum, atque essentiam Ecclesiae invexerunt; at Bellarminus non expressit illo additamento, nisi extrinsecam corporis Ecclesiae naturam, urgentibus summis difficultatibus, quibus premebatur Ecclesia; quod profecto nec a veteribus negatum fuit. Patres enim cum illam dixerunt esse coetum fidelium, Ecclesiam definire noluerunt, sed a falsis tantum Deorum religionibus, aut sectis aliquibus secernere studuerunt. Hinc veritatem essentialem Ecclesiae, nempe subjectionem fidelium Romano Pontifici debitam et docuerunt potius, et propugnarunt. Ita Ignatius Martyr (1), Cyprianus (2), et alii (*a*).

Re quidem vera posita hac subjectione Romano Pontifici debita, qui sacrae organicae auctoritatis est centrum, Ecclesia se unam, indefectibilem, vitaque foecunda praeditam monstrat, unde semper, atque ubique se divinam prodit. Contra quia ab illa Protestantes defecerunt, in societate unitate carente, infoecunda, et minime universali ipsos degere nemo non videt, nec ipsimet id fateri verentur; ipse enim Boehmerus non obscuris verbis id testatus est (3): « Patet, » inquit, non dari universalem Ecclesiam Protestantium, » sed plures particulares Ecclesias Protestantium; sola enim » unio in eandem fidem, quae liberi assensus est, ad illam » non sufficit, sed requiritur *unio in unam eamdemque so-* » *cietatem* ». At apud eosdem Protestantes nec ipsa fidei unio reperitur; namque ex quo a vera Christi Ecclesia discesse-

(*a*) Cum saepe saepius Ecclesia novas formulas fidei ediderit, novaque vocabula contra crescentes errores ad usum deduxerit, ut illam certius servaret, non est reprehendendus Bellarminus, qui non dissentiente vetustate, uti monitum est, immo urgente necessitate, aliquid novi addidit in definienda Ecclesia.

(1) *Epist. ad Ephesios n. 2.*

(2) *Epist. 69. ad Florentium Pupianum.*

(3) *Princ. Jur. Can. §. 6.*

runt, adeo in fide variarunt, ut de eorumdem variationibus Historiam bene longam conscribere potuerit clarissimus Bossuetus. Ex his nemini mirum esse debet, si dum summum sacrum imperium Romani Pontificis evertere moliuntur, saecularibus Principibus hoc ipsum tribuere non dubitent, ex quo omnino fieri nequit, ut ipsi veram unitatem obtinere possint; quippe qui a principio Ecclesiae minime conveniente illam repetunt.

CONCLUSIO TERTIA

Sacrum ipsum regimen ratio est et argumentum indefectibilis, visibilisque Ecclesiae.

Regimen, quod Christus instituit, in aeternum duraturum, atque indefectibile fore promisit, ac declaravit Apostolis, eorumque successoribus, cum dixit (1): *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem saeculi*. Regimen ergo indefectibile, indefectibilem ostendit Ecclesiam, ob quam illud institutum creditur. Hinc Christus ipse, qui dixit (2), *vae Mundo a scandalis! necesse est enim, ut veniant scandala*, idem ait (3), *supra firmam petram* (sive Petrum) *aedificabo Ecclesiam*, et conclusit (4), *et portae Inferi non praevalebunt adversus eam* (5).

Quod vero visibilis sit Ecclesia, ex eadem ejus subjectione ad sacrum regimen nemo non videt. Et quidem jam talis praenuntiata fuit Ecclesia, in vertice nimirum montium posita, ut possint fluere ad eam omnes gentes, inter sese dicentes, *venite* (quasi per digitum illam monstrantes, ut ait Augustinus) *ascendamus ad montem Domini*: reapse signis sensibilibus colligata fuit, puta praedicatione, sacramentis, et visibili regimine, ita ut non possit (*a*) intelligi, nisi sit visibilis.

(*a*) Gravissimus ergo illorum error, qui putant imperium in hominem ita esse divisum a Deo civilem inter, atque Ecclesiae potestatem, ut haec animis, illa corporibus imperet. Error, qui invisibili Ecclesiae Protestantium suffragatur; et quo ipsa societas civilis destruitur. Imperaret enim haec soli corpori, nullumque proinde obsequium haberet; sicut Ecclesia solis animis imperando nec animos ipsos regeret, nec spiritu facta carnis mortificaret.

(1) Matth. *XVIII. c. VII.*
(2) Matth. *XVI. 14.*
(3) *Ibid. 18.*
(4) Matth. *XXVIII.*
(5) Matth. *XVI. 18.*

CAPUT V.

DE INSTITUTIONE SACRI REGIMINIS.

CONCLUSIO PRIMA

Essentiale regimen Ecclesiae Christus designavit.

Solius Christi erat non tantum constabilire Ecclesiam suam propugnaculo veritatis adversus fidei hostes, sed et certa quadam externi regiminis specie illam condecorare. Solius enim arbitrii, et potentiae ejus est definire modum, et constituere nuncios, per quos voluntatem, et veritates a se revelatas notas facere velit hominibus. Non enim exigere quisque potest, ut sibi loquatur Deus, aut interpres ipsius et ejusdem potestatis operator dici potest, nisi designatus ab illo. Hoc vero ipse per se praestitit, ne Ecclesiae deesset, et ad illud munus vocavit, quos ipse voluit (1): *Vocavit autem* (2) *discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit, Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream etc.* Hos vero in novissima coena sacerdotes constituit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem* (3) (4), *sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Quam potestatem tamen dudum antea promiserat eis (5) dicens: *amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis.* Insuper (6) ex illis duodecim ipse Christus unum elegit tamquam principem, et caput ipsorum, eique Petri seu Petrae indidit nomen, cui confitenti prae omnibus aliis Apostolis Christum esse filium Dei, respondit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater*

(1) Matt. *III. 5.*
(2) Luc. *VI.*
(3) *Conc. Trid. Sess. XXII. c. 1.*
(4) Joann. *XX. 21.*
(5) Matth. *XVIII. 17.*
(6) Matth. *XVI. 15.*

meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (a), *et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae Inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni coelorum* (b), *et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* (c).

(a) Vide, quod unus unum alloquitur Christus, qui ait: *ego dico tibi, tu es Petrus* etc. Quia enim unus non est petra, a Christo dicitur, et efficitur petra Ecclesiae.

(b) *Claves regni coelorum*: claves nimirum totius Ecclesiae, quod quidem non dixit, cum alligandi, et solvendi potestatem omnibus simul cum Petro Apostolis dedit. Etsi enim haec et a Catholicis potestas clavium dicatur; in sacris tamen literis nomine clavium non invenitur expressa, nec clavium totius Ecclesiae, ut Maldonatus in Evangelium Matthaei observat.

Dixit vero *claves* ob supremam ei datam potestatem ex sensu ipsarum scripturarum. Isai. enim XX. 22. Deus dedit Eliacim iisdem verbis summam potestatem dicens: *dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et nemo erit, qui claudat, et claudet, et non erit, qui aperiet.* Luc. vero XI. ad significandam summam auctoritatem interpretandi scripturam dixit Christus: *Vae vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae.* Et Apoc. II. ut indicaret se omnium maximum in Regno Dei, clavem domus David se dixit habere. Hoc et ex sensu ipso communi deducitur; traditione enim clavium Regni summum imperium designatur.

Sanctus Bernardus ad Eug. lib. 2. de Consid. c. 8. ajebat, « sunt quidem » alii Coeli janitores, et Gregum pastores.... habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed » et Pastorum, unus omnium Pastor; unde id probem, quaeris? Ex verbis » Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, et indiscrete totae commissae sunt oves? *Si amas me*, Petre, *pasce* » *oves meas.* Quas? illius vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut certi » Regni? *Oves meas*, inquit; cui non planum non designasse aliquas, sed » assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte praesen» tes erant ceteri condiscipuli, cum committens uni, unitatem omnibus com» mendaret in uno grege, et uno Pastore.... Inde est, quod alii singuli singu» las sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Jacobus, qui vide» batur columna Ecclesiae, contentus est Jerosolymis, Petro uni universita» tem cedens.

(c) Nonnisi inepte Protestantes contra insurgunt asserentes, quod Simon appellatus sit Petrus seu Cephas h. e. petra; ita tamen, ut nihil singulare ob id datum sit ei a Christo, cum et in ceteros Apostolos cadere hoc nomen possit; imo revera ipsi fundamenta dicti etiam fuerunt Ecclesiae in scripturis sacris. At eorum temeritas sic magis elucet, qua vim contra sacrorum codicum sententias faciunt, et Patrum, et Traditionis auctoritatem elevant. Eccur etenim mutatum nomen Simonis a Christo, si nihil singulare ei dedisset? nunquam enim mysterio caruit mutatum nomen alicujus. Abrahamo mutatum, ut quid erat, significaretur Gen. 17. sic et Josue c. 3. sic et aliis. *Fundamenta* Apostolos appellatos non negamus, *ad Ephes. II.*, sed Petrae nomen illis datum non fuit, in qua erat aedificata Ecclesia, certe quod rem non obtinuerunt eandem. Peculiare fuit Petro *Tu es Petrus.* Peculiaris ergo auctoritas ei tradita fuit, nisi forte Deum, qui in veteri testamento serio egerit, ludere in novo Protestantes voluisse putent. Nec autem ullo modo potuisset quisque

Eidem denuo Christus dixit (1) : *Simon Joannis diligis me plus his... Pasce agnos meos.... pasce oves meas*. Et alibi (2): *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quid clarius ? quid luculentius unquam fuit hisce verbis ? nemo inde non videt, sacrum regimen institutum esse a Christo.

Re quidem vera non sine mysterio soli Petro, qui solus Simon Joannis vocabatur (disertis verbis excludens ceteros Apostolos illa comparatione : *diligis me plus his*) promisit claves (3), et dixit : *Pasce agnos meos* (4), *pasce oves meas* nimirum ut intelligeremus illud ipsum reipsa dari Joannis capite ultimo, quod fuerat promissum Matth. capite XVI. et eidem illi Simoni dari, quod fuerat ante promissum, nempe summum imperium in Ecclesia. *Pasce oves*. Quid ? Pastores ovium num solum pabulum ministrant, ut dicas cum Luthero, hoc etiam ab inferiore pastore praestari? nonne regunt etiam, et baculo cogunt, ut pareant ? etenim in scripturis non raro pascere accipitur pro eo, quod est regere, ut Psalmo 2. legitur: *Reges eos in virga ferrea* : in hebraeo *pasce eos*. Insuper universam Ecclesiam hisce iisdem verbis *oves meas* significatam quis non videt ? Adhaec bis Christus dixit (5) : *Pasce agnos meos, pasce oves*. Hinc commisit Petro curam agnorum, scilicet populi, qui nullam habet curam pastoralem: commisit et curam pastorum, scilicet ovium; proindeque totius Ecclesiae e populis, et pastoribus constitutae. Addesis illud pronomen *meas* certe ad omnes simpliciter extendi; nec enim ullus est in Ecclesia, qui se Christi ovem non glorietur. *Pasce*, igitur dixit Petro, *oves meas*, idest curam habe mei ovilis.

Apostolorum *Petra* dici ratione eadem, atque Petrus. Quae enim dicta, decreta, constituta sunt de Petro a Christo, nec de unoquoque Apostolo, nec de omnibus simul dici possunt. *Fundamentum Apostolorum*, dixit Apostolus, sed quid ex hoc prodesse adversariis possit, non videmus. Revera num Apostolos pares auctoritate dicet quis Christo, quia fundamentum dictus fuit Christus I. *ad Corinth. III.* Fundamentum aliud praeter Christum dixit Paulus, scilicet praecipuum, qui et petra angularis est, ut ostendat quod nullus lapis alius, nullumque fundamentum Apostolorum, aut Prophetarum possit cum illo comparari. Ita Christus Simoni peculiari quodam modo nomen addens Cephae, affirmansque super eum se Ecclesiam aedificaturum, talem esse honore, dignitate, firmitate petram indicavit Petrum, qualis Petra, et fundamentum nullus esset reliquorum Apostolorum. Hinc subdit : *Et Tibi dabo claves Regni Coelorum.*

(1) Joann. *XXI. 15.*
(2) Luc. *XXII. 32.*
(3) Matth. *XVI.*
(4) Joann. *v. 15. et v. 17.*
(5) Joann. *cit. loc.*

Ergo si unum est Christi ovile, docente Joanne (1) *erit unum ovile, et unus pastor*, certe universum gregem suum Petro commisit Christus.

Absurdum vero plane videtur, quod Richerius sequens Buddei sententiam (2) more impiorum, verborum lenociniis virus evomens dixit: Sacrum imperium immediatius, essentialius datum fuisse primario toti Ecclesiae, ut per unum ministerialiter exerceretur; ita ut Romano Pontifici, atque aliis Episcopis et ministerio, et quoad executionem tantum conveniat (3). Quod quidem ex allatis scripturae verbis jam eversum manet; Christus enim aperte distinxit Petrum, et fundamentum ab aedificio, Pastores ab ovibus, et agnis, eum, qui confirmat, ab illis, qui confirmantur; quare addit: *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam*, *tibique* (non Ecclesiae) *dabo claves Regni Coelorum* (*a*).

Hinc a Domino, non ab Ecclesia constitui rectores et pastores clare innuit parabola de servo, quem *Dominus constituit super familiam suam* (4). Paulus unum corpus esse Ecclesiam docet (5), quorum membra alia divinitus posita, ut praeessent distinctis muneribus, alia, ut subessent, omnia tamen junctim ad salutem, integritatemque pertinerent; item docet et ipsum Dominum constituisse (6) alios Prophetas, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores et Doctores. Tandem num gratiae quis auctor, nisi Deus? nam gratia Dei ministri Ecclesiae dantur. *Attendite vobis*, (dixit Paulus, cum Antistites Asiaticarum urbium accivit Miletum (7)) *et universo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, et ad Titum scribens (8), eundem se Cretae reliquisse testatur, ut Presbyteros civitatibus daret, quin Ecclesiarum

(*a*) In Synodo Pistoriana renovatum hunc errorem confixit Pius VI in Bulla *Auctorem fidei*. Sic enim habetur num. II. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus*, *qui sunt ejus ministri pro salute animarum*, sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur Ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas — haeretica. Insuper num. III. propositio, quae statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale* sic explicata, ut Rom. Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem accipiat, qua velut Petri successor, et verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae caput pollet in Ecclesia — haeretica.

(1) Joann. *X*.
(2) *Lib. IV. Instit. Theolog. cap. IV.*
(3) *Confer* Petavium *lib. III. de Eccl. Hierarch. cap. XIX. Theolog. Dogm.*
(4) Matth. *c. XXIV. v. 45.*
(5) *Epist. I. ad Corinth. c. XII.*
(6) *Ad Ephes. c. IV. v. 11.*
(7) *Act. c. XX. 17.*
(8) *Cap. I. v. 5.*

ullam, quae in urbibus iisdem vigebant, mentionem faceret.

Ne autem quis ineptire voluerit cum Boehmero, aliisque blaterantibus potestatem a Christo traditam Apostolis fuisse extraordinariam, et solum illorum propriam, advertat, oportet, eamdem potestatem clavium datam fuisse illis non ut Apostolis, sed ut Episcopis; ea enim ad Ecclesiae aedificium usque ad consummationem saeculi duraturum necessaria est, ne portae inferi praevaleant adversus eam, utque populorum grex Pastorem suum, a quo confirmetur, agnoscere possit. Impia igitur cogitatio est illa Boehmeri, quae Domino Jesu eam rerum negligentiam tribuit, ut operi, ad quod missus fuerat, haud satis providisset; porro Dei perfecta sunt opera.

CONCLUSIO SECUNDA

Ecclesia Christi est Status ad instar Reipublicae a Republica distinctus.

Status dicitur societas summo, et independenti imperio prædita intra fines sibi praefixos. Igitur Ecclesiae, cui ex demonstratis ex sui natura convenit summum imperium, Status, et Respublica sit, oportet. Regnum enim origine divinum, essentia supernaturale est Ecclesia, simulque natura visibili, gratia indefectibili. *Regni ejus*(1), ait Angelus, *non erit finis.* Hinc Christus ejusdem absolutus Rex et liber constitutus ex psal. 2. in coelum ascensurus, ministros, et dispensatores sui Apostolos constituit, ajente Paulo(2): *Sic nos existimet homo, sicut Dei ministros, et dispensatores mysteriorum Dei*; attamen non alia potestate praeditos, nisi sua ipsius, independenti nempe, et summa. Ipse etenim Christus postquam Apostolis dixit (3): *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra*, subdidit: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos...... docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Age facultatem baptizandi, atque constituendi in doctrina fidei ecquo modo exercebant Apostoli, nisi eo praediti imperio, quo uti Status, et Respublica distincta Ecclesia intra fines sibi praefixos se exhiberet, ita ut de successoribus eorum recte scripserit Psal-

(1) Luc. *I.* 33.
(2) *I. Corinth. 4.*
(3) Matth. *XV.* 3.

tes : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, *constitues eos principes super omnem terram*? Porro si talis non fuisset Ecclesia ipsis contra dicentibus Principibus saecularibus dilatata ad fines orbis terrae, quî videri potuisset et indefectibiliter constituta? Revera quia Status est independens, exercitui ordinato comparata (1) suum Regem habet: corpore humano espressa seu *muliere sponsa* (2) et suum exhibet convenientem sponsum: *Navis* dicta seu *Arca Noe* (3) unum habet gubernatorem, unde unam se manifestat: *Ovilis* nomine designata a Joanne illis verbis (4): *sit unum ovile*, *et unus pastor*, unum retinet Pastorem: *Domus* appellata (5) ab uno Domino et Oeconomo provisa, atque recta illud memorat a Christo Petro dictum de ipsa: *Quis putas fidelis servus*, *et prudens*, *quem constituit Dominus super familiam suam.* Civitas, ut Philosophus docet (6), dicitur eadem specie, donec in illa remanet eadem forma Reipublicae, idest, idem communis gubernationis modus. Ergo Ecclesia, quae, ipsis Magdeburgensibus fatentibus (7), a Christo Pastore et Rectore summo adhuc visibiliter mortali vita fruens regebatur summo, et independenti imperio, nisi eamdem formam retineret, et modum regiminis, scilicet summum habens imperium, quod a ministris Christi exerceretur in ea, eadem civitas dici non posset, nec eadem Christi Ecclesia. Hinc tamdiu Ecclesia Christi est, quamdiu Status, et Respublica manet.

Nos non latet collegiale systema Protestantium, quo de gradu Status deturbare Ecclesiam studuerunt, relicta tantum ei potestate statuendi actiones quasdam intra fines Collegii. Ipsi enim post Grotium *de jure Naturae*, *et Gentium* autumarunt prorsus voluntaria hominis coitione Respublicas, Civitates, et Status coaluisse, summumque imperium in iis publicae incolumitatis causa constitutum, a quo omnes aliae societates, tanquam a toto partes, omnino penderent, ipsa non exclusa Ecclesia (*a*).

(*a*) Justus Ennicius Boehmerus territorialis systematis sectator Principibus saecularibus regimen Ecclesiae totum addicens, ut ab ordine Hierarchico omnem divinam potestatem eliminaret, pactum sociale tunc temporis in scientia juris communi plausu exceptum, etiam Ecclesiae attribuit;

(1) *Cant. 6.*
(2) *Cant. 7.*
(3) *I.ª Petri III. 20.*
(4) *Epist. I.*
(5) *Timoth. I.*
(6) *L. III. pol. c. 2.*
(7) *L. I. c. 7.*

Systema futile tamen, quod et fundamenta destruit auctoritatis Principum, et verum Auctorem omnium potestatum Deum negat, a quo, ut sacrae docent literae, *omnis potestas*: *per quem Reges regnant*, et qui sanguine suo, non voluntaria coitione hominum acquisivit Ecclesiam, ipsius se dedit *caput*, *et Regem*, nulli profanae potestati subditam voluit, sed summo, atque proin independenti imperio praeditam instituit fini ejusdem accomodato, quod in Petro, et Apostolis posuit. Hinc omnem rationem Collegii exclusam ab ea docuit. Collegium enim nisi venia Principis coire non potest; at Ecclesia fundata, et confirmata fuit, invitis Principibus, atque contra obnitentibus: Collegium intra certae civitatis, ac provinciae fines contineri debet: Ecclesia Christi est universalis: ad nutum Principis est illud, ut si quae suboriantur caussae, ob quas reipublicae interest, ut dissolvatur, id certe fieri possit: Ecclesia usque ad consummationem saeculi duratura nunquam deficiet. finis Collegii demum idem adstruit, utpote toto coelo diversus a fine Ecclesiae; cui feliciora dedit Christus ipse saecula, quibus vis Imperatorum debacchata fuit ad ipsam perdendam.

Ast adversariorum inter se se dissidentium, qui illud idem systema figmentis, ac fabellis propugnare student, deliramenta expendere necesse est. Et primum Status in Statu, ajunt, concipi non potest; duo enim summa inter se pugnant. Ecclesia ergo pendere debet a Statu civili (*a*).

His facile erit respondere, quod repugnant quidem duo summa imperia, ubi ejusdem generis sint, unde rerum con-

ex quo Ecclesia sic ab eo definitur: libera, et aequalis societas mutuo ejusdem membrorum pacto instituta, et in qua etiam expresso vel tacito singulorum pacto in communitatem omnis potestas derivatur. Unde factum est, ut varia hujus potestatis jura dicerentur, atque haberentur uti jura mera *Collegialia*. Hanc autem collegialem Communitatem a Statu distinctam liberam atque independentem ab initio principiis aequitatis se ipsam rexisse commentus est Boehmerus, ejusdem dein jura Catholicam Hierarchiam invasisse: tandem illam haec eadem jura recuperasse, et sponte in Principem transtulisse.

(*a*) Spectrum jam hoc ab aliquibus inter Protestantes ipsos explosum est. Sufficiat prae omnibus Wolfii jur. Nat. Tom. VIII. §. 65. monitum. « Sunt e» quidem, ait, qui absurdum dicunt duplex summum imperium in eadem ci» vitate: sed cur absurdum sit, nulla ratione solida evincunt. Sane absurdum » minime reputant, quod populus quaedam jura ad imperium spectantia sibi » retineat, in quibus dependere non vult a rectorum voluntate ». Hoc tamen mirum, quod et qui catholico nomine censeri volunt, inter quos profecto eminet de Pradt jam Archiepiscopus Mechliniensis, anfractibus ipsis, et hac via obliqua versantur in arctanda, ne dicam, atterenda sacra potestate.

fusio, et perturbatio veniret, non vero ubi diversi generis sunt, uti sunt illa Ecclesiae, et civilis potestatis: aliae etenim sunt partes unius; aliae alterius, et suum habet unumquodque certum, atque definitum genus, in quo summum est. Cum ergo pluribus in Republica constitutis Principibus, quorum unus alteri non subest, praescribi pugnantia possent, si circa eandem rem eorum versaretur potestas; non est hinc, cur haec timeantur imperio Ecclesiae summo in Statu civili posito. Civile civium commodum, et civilem potestatem respicit; imperium Ecclesiae res sacras, atque divinas. Num Principem summum in administranda Republica ob id et summum Philosophum dicimus, et architectum? Ceterum ipse Christus contradictoria non vidit haec imperia, cum docuit (1): *Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, quae sunt Dei, Deo* (a). Qui ergo in ordine physico voluit, ut animus consociaretur corpori, in ordine justificationis, ut naturam gratia perficeret, idem voluit, ut in ordine morali duo imperia principio divina, genere summa, fine diversa, regimine separata felicitatem hominum veram junctis viribus compararent, praesentem alterum, alterum futuram. Demum nonne cum dialecticae regulis pugnant adversarii, qui, quod controvertitur, quasi certum sumunt? Summam potestatem fatemur Regum in civilibus: at in sacris eandem esse ipsis, certe non sequitur: ab uno enim in aliud genus argumentum ducere non licet.

Nec autem facile dixeris, Ecclesiam esse Statum in Statu, si ideam partis, et totius non velis confundere; prioris, et posterioris. Ecclesiae enim universalis pars est, et quidem ea minor quisque Status civilis; omnes vero, ut nunc quidem sunt, antiquitate etiam superantur ab Ecclesia super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum aedificata, proindeque dicendum, quod illi in Ecclesia potius sint, non contra. Ambrosius *de Basilicis non tradendis* ad rem ait: « Principes sunt, qui civilem Statum repraesentant; sed » ipse (Princeps) per Baptismum in Ecclesiam intrat, non

(a) Distinctum confitemur imperium Ecclesiae a civili; attamen non sejunctum, ut absurde docuit de Lamennais. Christus enim mirificam concordiam, atque foedus inter utrumque imperium posuit, ut Religio officia jubeat praestanda Principi; Principatus jura custodiat Religionis, sicque dum saluti internae jus canonicum intendit, non recedit a salute externa fidelium, quam jus civile promovet, atque provocat, intendens externae saluti civium.

(1) Matth. *XXII*.

» Ecclesia in Principem ; nec omnis Status civilis, qui nunc » quidem est, antiquitate superat Ecclesiam fundatam a Chri- » sto supra fundamentum Apostolorum, et Prophetarum ». Et alibi : « Bonus Imperator intra Ecclesiam est , non supra Ec- » clesiam (1) ». Esto : sit Ecclesia Status in Statu , erit certo non ita , ut Protestantes autumant , sed , uti Pelusiosta docet (2) , ut anima in corpore ; nec ideo quia Ecclesia Status sit in Statu , ille , qui civili praeest Statui , idem Religioni ; qui Civitati , idem et Ecclesiae. Sic argumentum roborat D. Thomas (3) : « Dicendum, quod potestas saecularis subditur spiri- » tuali sicut corpus animae ; et ideo non est usurpatum judi- » cium, si spiritualis Praelatus se intromittat in temporalibus, » quantum ad ea , in quibus subditur ei saecularis potestas ». Confer etiam ipsius S. Doct. opus, quod est *de Reg. Princ.* (4). Sed hoc melius sequenti conclusione.

CONCLUSIO TERTIA

Potestas sacra non est Principum saecularium.

Quoniam non parum refert cavere , ne fundamentum domus Domini suffodiatur , aut ne Pastor abigatur a custodiendo grege , adhuc fas erit dimicare contra illos , qui hoc saeculo praecellentes, homines vesani , contra Ecclesiam Dei incitata laicorum Principum potestate , horum potius blaterant esse regimen supremum Ecclesiae , quod tamen eis omnino nullo modo datum intelligitur. Et re quidem vera nec a populo istud sacrum imperium habent Principes , uti post Grotium sentire videntur quidam illorum : tali enim potestate destitutus numquam illis dare potuit ; nec a Deo ut Auctore Naturae ; omnem naturam enim , et ordinem transcendit illud ; quod cum sit spirituale , non sine execrando simoniae scelere comparare quis auderet pretio temporali vel in se, vel quoad functiones ejus ; nec a Deo ut gratiae Auctore, qui venit , ut *vitam habeant , et abundantius habeant* (5) , et a quo

(1) *Ep. XXI. ad Valent.*
(2) *Lib. III. Epist. 249.*
(3) *2. 2. q. LX. a. 4. ad 3.*
(4) *Cap. 7. et 14.*
(5) Joann. *X.*

proinde proficiscitur sacrum imperium; hoc enim nunquam concessum Principibus saecularibus: quoniam in sacris tabulis aut traditionibus nihil hujus potestatis, atque imperii habetur, sed quidquid illis antea competebat juris quoad civilem Statum, id expleri jussit Christus, cum inquit: *Date Caesari, quae sunt Caesaris*. Novam vero potestatem sacram, quae infinite distat a civili, ne quis suspicari possit, quod deferret ad eos Principes, mox addidit: *Et quae sunt Dei, Deo*: quae nimirum ad divinam religionem spectant, atque Deum, non Caesari, sed Deo, illis scilicet, qui ministri sunt ejus constituti, danda sunt (1). Imo missurus Apostolos ad evangelizandum, de Principibus politicis inquit (2): *Cavete ab hominibus. Ad Praesides, et ad Reges ducemini in testimonium illis, et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis... quid loquamini.*

Nihil ergo de potestate sacra communicavit Christus Principibus temporalibus, nec eorumdem proin opera usus est in fundanda Ecclesia; nihil Pilato Praesidi Romano, nihil Herodi, nihil magistratibus Romanis contulit potestatis suae; quinimo totam, et exclusive uni Petro praesertim, et Apostolis contulit. S. Joan. Damascenus de hac disserens ad rem (3) ait: « Attende, quid dicat Apostolus: quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Pastores, et Doctores ad perfectionem Ecclesiae: non adjecit Imperatores. Verbum locuti non sunt Reges, sed Apostoli, et Prophetae, Pastoresque, et Doctores... Tibi parebimus, o Imperator, in his, quae ad hujus saeculi negotia pertinent.... Verum ad res Ecclesiae statuendas Pastores habemus, qui nobis verbum loquentur, atque ecclesiastica instituta tradiderunt ».

Ad haec praeter originem, et ipse finis maxime sacrae potestatis, hanc non esse Principum demonstrat; sacra potestas enim non alium finem spectat, nisi ut Ecclesia Christi sit, maneatque una, sancta, catholica, et Apostolica. Atqui si politico principatui alligata esset sacra potestas, Christi Ecclesia non esset *una*, sed tam multiplex, et discolor, quam ipsa est terrenorum principatuum multitudo, et varietas: nec *sancta* esset, propterea quod nulli politico regimini assistentiam

(1) Matth. *XXII*.
(2) Matth. *X*. *17*.
(3) *Orat. II. de imag.*

Sancti Spiritus promisit Christus : nec *catholica* , sicut nulla saecularis potestas est Catholica , seu per terrarum orbem exporrecta : denique nec *Apostolica* , cum nemo unus politicorum Principum vel successionem ab Apostolis, vel doctrinae depositum ab iisdem acceptum jactitare omnino possit. Ergo etc.

Ipsi fontes demum , unde principia juris Ecclesiastici petenda sunt , clamant contra falsos politicos sacri regiminis hostes ; Sanctae etenim scripturae non solum , uti monitum fuit , sed et Pontificum constitutiones , sanctorum Patrum , antiquorumque DD. sententiae , definitiones utriusque juris , monumenta publica imperantium , et imperiorum in hoc conveniunt , ut scilicet nihil potestatis sacrae Principibus esse affirment. Ex adverso nusquam legitur Presbyteros , et Episcopos , quos Apostoli in urbibus , atque provinciis populi Romani instituere consueverant, magistratus voluntate aut confirmatos , aut de gradu dejectos ; synodosque , quas Apostoli celebrarunt , coactas , adprobata decreta , Hierarchiam constabilitam , gradus varios , variasque classes Christianorum distributas , rem denique ullam , quae ad disciplinam Ecclesiae pertineret , sancitam fuisse non dicam potestate (nam est id gravissimum) sed consensu Principum. Nonne haec omnia ab Apostolis , atque post hos , ab Episcopis , qui in eorum locum successissent, quin a potestate civili penderent, administrabantur ? Ipsos demum Principes summos , atque sapientissimos sese in numero ovium , non pastorum recensuisse omnibus constat , palamque professos esse ad se quoque , atque dignitatem suam pertinere illud Evangelii (1) : *Si Ecclesiam non audierit , sit tibi sicut ethnicus , et Publicanus* : ac illud Pauli (2) : *obedite Praepositis vestris , et subjacete eis.* Inde fuit, quod illi, qui ex adverso in Sacrarium aperire aditum tentarunt terrenis Principibus , in numero haereticorum censebantur , et ab Ecclesia rejecti , condemnatique fuere.

Judicium ipsius facultatis Parisiensis , quod Pius VI in celebri Brevi circa Cleri constitutionem civilem (3) cum laude citat , et approbat , extremam admovet manum huic argumento. « Ut de disciplina agamus , inquit Pontifex , quis unquam est inter catholicos , qui affirmet ecclesiasticam disciplinam immutari a laicis posse ? ... Cum anno 1560 Fa-

(1) Matth. *XVIII. c. 17.* (2) *Ad Hebr. XII. 17.*
(3) *Brev. ad Cardin. Rupefucalium 10 Mart. 1791.*

» cultas Parsiensis ad examen adduxisset ea, quae Franci-
» scus Grimaldet Advocatus Regius retulerat ad conventum,
» seu Status apud Andegavenses collectos; inter multas pro-
» positiones ab ipsa reprobatas, sequens etiam reperitur. —
» Le second point de la religion est en la police et discipli-
» ne sacerdotale, sur lequel les rois et les princes chrétiens
» ont puissance d'icelle dresser, mettre en ordre, réformer
» icelle corrompue (a). Haec propositio est *falsa, schismatica,*
» *potestatis ecclesiasticae enervativa*, *et haeretica*, et probatio-
» nes ad illam sunt impertinentes ».

Fracti certamine, certandi animum non reliquerunt falsi politici, et de patria quasi bene merentes, re tamen vera nullam ei, ipsisque Principibus magis exitialem perniciem afferentes, nobis opponunt systema illud territoriale, quod ad ravim usque non desinunt repetere (b): systema e penu primorum Protestantium depromptum ad conciliandam sibi gratiam Principum; quorum ope, et armis tum maxime indigebant: systema, quod sic concinne exprimitur: cujus est regio, illius est religio, quodque comprobatum vidimus a Pufendorfio ajente: *Princeps Ecclesiae in civitate sua sedem concedit* (1).

Sed utinam, qui ita sibi belle disputare videntur, et recte saperent, et bene disputarent! Apage: sit Religio, cujus est Regio: sacram potestatem divinitus institutam esse, atque distinctam origine, essentia, fine a potestate politica, et independentem ab ea ipsi adversarii fateantur, oportet, illam scilicet, quae, sicut et religio, non jure concessionis, et gratia Principum, sed jure seu facultate apostolis, et successoribus data est a Christo, cui omnis potestas in coelo, et in terra a Patre est, quique, *ite*, *praedicate*, *baptizate* (2), dixit illis. Unde *obedire oportet Deo magis, quam hominibus* responderunt, cum abstinere a praedicando jussi sunt. Erit igitur Religio, cujus est Regio: erit, ut eam amplectatur, tueatur, et veneretur: erit juxta sui naturam independens; erit enim talis, qualis a Christo fuit instituta.

(a) Latine vertitur: « Secundum religionis objectum est in politia, et di-
» sciplina sacerdotali, de qua reges et principes christiani potestatem ha-
» bent eam constabilire, et disponere, atque corruptam reformare ».

(b) Vide, quae notavimus concl. II. c. V. de illo noviter invento adversariorum principio: Ecclesia est Status in Statu: huc enim recidit, quod profligavimus ibi.

(1) *De habitu relig.* §. 44. (2) Matth. *XXVIII.* 19.

Alterum, quod contra in medium proferunt, ex jure cavendi depromunt. Unio enim, ajunt, Sacerdotum cujusque regni cum Papa, Ordinum religiosorum potentia, atque opes formidanda sunt, et inimica securitati civili. Igitur jus cavendi, illaque inspiciendi, examinandique Princeps necessario habet, quod jus tribuit ei sacram potestatem. Nostrum heic non est principium unionis illius, et medium exponere: item quae opes sint Religiosorum, expendere; quae potentia illorum, quis usus ejus sit, quae bona, societas civilis obtinuit ex illis; immo quae mala sunt derivata e persecutione illorum, quos timent, et quorum opes inhiantes compilarunt; res enim per se patet, atque ex experientia ipsa jam constat. Heic potius ex principiis ipsis juris cavendi, quibus credunt palmam praeripere, molestiam, et ruinam eis afferemus. Et re quidem vera ex Pufendorfio ipso, homo jus habet utendi mediis, quae sana ratio dictat ad ipsius conservationem necessaria. Hinc in legem naturae peccabit, si cautionem suam ulterius, quam ratio sana dictat, extenderit. Cum ergo de voluntate alterius, et conatu in perniciem sui nondum peculiariter constat, sana ratio non probat, ut illum oppressum eat, cum potius longe aptiora sint remedia pacem cum eodem firmandi. Nonne ergo sola communis hominum ambitio est, quae utique suos gradus habens statim hominem homini professum hostem facit? Num sola suspicio, ne quis amicitiam adversum alterum simulet, aut animum suum mutet, probabilem mihi causam praebet eundem occupandi? Nonne si una Civitas alteram vi, aut insidiis velit occupare, ideo tantum quia commune cum ea dominium non habet, a quo compesci possit, si ipsam aliqua laeserit, omnium confessione nefas habetur? His contra adversarios perpensis, facile erit eorum sophismata diluere.

Quod tertio assumunt, sic habet: Religio est medium felicitatis civilis; ergo illam conservet, necesse est, Princeps mediis omnibus, quibus possit. Ultro heic damus, quod Principis sit adhibere omnia media, quae sunt ad religionem servandam. Sed quis unquam conservari illam cogitet perverso ordine, negligendo sacrum imperium, cui ipsa Religio innititur, postponendo ipsius negotia profanis? num recte sic argumenti ratio instituitur: ad rem meam facit transire per fundum alienum; ergo jus est mihi transeundi per illum: potior facultate construendi domum: possum ergo struere in agro alieno? Conservent ergo Principes Religionem me-

diis , sed sibi datis , et justis ; inter quae nec negatur eis et turbas impedire (*a*) ; numquam vero jura Ecclesiae divinitus concessa coercendo , sed homines protervos , atque audaces , qui illam turbare non verentur : insuper utrique parti litigantium nec deesse eis dicimus potestatem imponendi silentium ; in causa vero religionis ita , ut utramque ad forum competens , et tribunal Ecclesiae amandent.

Uno verbo sic religionem conservent Principes, ut Episcopi possint dici, uti Costantinus M. se dixit, extra tamen, non intra Ecclesiam ; indeque suis constitutionibus statuta sacrorum canonum adjuventur , quae proin leges canonizatae a DD. appellantur , et vim obtinent in foro Ecclesiastico , perinde ac canones ipsi. Ita religionem conservent , ut defensores sint, et advocati illius. Hanc potestatem distinguens Illustris. Arch. Cameracensis Fenelonius sic sapienter docuit (1) : « Verum quidem et Principem pium, et zelotypum vocari Episcopum externum , et protectorem canonum : qua phrasi ipsimet frequenter , ac hilariter utimur in sensu veterum , qui illa usi sunt. Sed Episcopum externum nunquam convenit sibi usurpare functiones Episcopi interni. Tenet quidem gladium ad portam sanctuarii , cavet tamen sibi , ne ingrediatur. Obedit simul hoc ipso, dum protegit definitiones Ecclesiae, sed nullas facit. Duas solum sibi functiones , ad quas se restringat , proprias adscribat.

» Prima est , ut Ecclesiam in sua libertate contra hostes externos conservet , ut possit intus sine coactione definire, pronunciare , decidere , adprobare , corrigere , et destruere omnem altitudinem se extollentem adversus scientiam Dei.

(*a*) Num Reges possint nec ne resistere interdum Summo Pontifici , sic rem Card. Turrecremata *l. 11. de Eccl. c. CVI.* Bellarmin. *de Auctor. Concil. l. II. c. ult.* Blancus *della Pol. l. I.* explicant : Reges , si Pontifex cui plenitudo Sacerdotalis inest , legibus , quae cum justitia pugnant , aut violenter in aliorum possessiones irruere, aut perturbare Ecclesiam conetur (quod Deus avertat) monere ipsum posse etiam atque etiam, et curare, ut desistat. Id vero caute fieri debere, si nempe locum obtineat jure naturae praecepta defensio , sitque perspicuum a Pontifice Maximo violari divinam , atque naturalem legem ; his enim rationibus permotus qui resisteret , ipse nullam in Pontificem potestatem exerceret. Neque ei, qui subest, imperare in Pontificem licet , sicut reveta Princeps laicus subditus est Ecclesiae in iis rebus , quae ad religionem pertinerent , et contra Pontifex , cum superiorem habeat nullum , subjici judicio alicujus non potest. Itaque si ei resistatur , fieri id quidem defensionis naturalis tantum jure oportere.

(1) *Ann. 1707. in consecratione Electoris Coloniensis.*

» Secunda est, ut definitiones Ecclesiae semel editas pro-
» tegat, quin sub ullo praetextu assumat libertetem inter-
» petrandi. Haec igitur protectio canonum unice dirigitur
» contra Novatores, contra mentes indociles, ac contagio-
» sas, contra eos, qui recusant correctiones ». Vide etiam instructionem pastoralem Arch. Parisiensis de Beaumont *de turbis Galliae*.

Absolvere hoc argumentum juvat sequentibus verbis exscriptis e solemni retractatione, qua Nicolaus de Hontheim Episcopus Meriophetensis errores, quos ipse fuerat professus circa potestatem Ecclesiae in libro, cui titulus: *Justinus Febronius*, ejuravit: « In illis igitur, quae non solum ad fidem, et Sacra-
» menta, sed ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, pote-
» stas ecclesiastica pleno jure decernit sine consensu pote-
» statis civilis. Ratione tamen mutuae protectionis, quam si-
» bi invicem debent, ad potestatem civilem spectat, juxta
» mentem Ecclesiae, et quantum ipsa optat, ejus canones pro-
» tegere, et exequendos curare per media temporalia ».

CONCLUSIO QUARTA.

Potestas sacra jure divino est legislativa.

Insanientes contra medicinam Protestantes audacter contra medicum dimicare persistunt, omnem machinam adhibentes, ut ejus potestatem minuant. Asserunt enim nullum legislativum regimen Ecclesiae esse, cujus vestigium sit in sacris literis, in quibus docendi tantum munus pastoribus ejus demandatur, non vis jubendi. Si qua vero sit in Ecclesia, dicunt jure humano agnoscendam.

Quam impudenter id asserant, ipsae sacrae literae demonstrant. Ex his enim jam demonstratum fuit Christum, sacra potestate instituta, rationem posuisse fundamentalem publici Status Ecclesiae ad instar Reipublicae ab omni alia Republica distinctae (1). Sed quis unquam intelligeret Statum illum esse veram Rempublicam sine regimine vi legislativa praedito? Et revera Christus ipse (2) nullum locum reliquit de eo dubitandi. Verba enim *ligare*, *solvere*, *claves*, quibus usus fuit, cum A-

(1) *Vide Concl. I. et II. cap. III.*
(2) Matth. *XVI. 18.*

postolis sacram potestatem dedit, uti antea dictum fuit, vim legislativam innuunt: ipsaque traditio Patrum non nisi tali sensu semper ea intellexit. Ad haec ipsemet Christus dixit (1): *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*, statimque subdidit: *amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram etc.* Ergo hoc munus, et potestas ligandi a Christo munita fuit sanctione antea expressa, qua ut ethnicus, et publicanus habendus sit, quisquis potestatem ipsam non agnoscit. Aperte ergo docuit potestatem sacram vim legislativam habere.

Praeterea Christus ipse dixit Petro (2): *pasce agnos meos, pasce oves meas*; quibus verbis non ministerium solum pabuli significavit, sed etiam illarum regimen; verbo enim pascere, graece *pimenin*, et regimen denotatur, et gubernandi potestas, qua pastor utitur oves suas baculo deterrendo, vel in ovile revocando, uti jam observatum fuit. Ipso contextu, et sensu aliarum sacrarum scripturarum id patet magis; adeoque ipsum *pimenin* Interpres sacer vertit nomine regendi in hisce locis: *Reges eos in virga ferrea — Dominus regit me* (3) — *Dominus Deus Israel dicit ad pastores, qui pascunt populum meum; vos dispersistis gregem meum — suscitabo super eos pastores, et pascent eas* (4) — *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* (5). Hinc Chrysostomus de Christo ait (6): *quando curam gerit, seipsum pastorem vocat.* Cum ergo pascere dedit ipse Christus Apostolis, et praesertim Petro oves, et agnos suos, ut regimen tenerent ovilis sui, non docendi solum, sed et leges ferendi fecit eis potestatem; adeo ut non solo doctrinae propugnaculo adversus hostes fidei Ecclesiae suae consuleret, sed ut solidaret illam necessaria forma regiminis sacri cum potestate legislativa, qua multo magis, quam quavis alia Societas, indigebat. In ea enim diffusa per orbem universum, licet machinationibus, ac deliramentis hostium suorum exposita, *honeste* tamen, ait Apostotus, *et secundum ordinem omnia fiunt* (7).

Et re quidem vera Christus, qui legibus suis colligavit Ecclesiam, cum tamen minutim omnia non praescripserit, quae

(1) Matth. *c. XVIII.*
(2) Joann. *XXI. 17.*
(3) *Psal. 11. Psal. 22.*
(4) Jerem. 23.
(5) Petrus *1. Epist. V. 2.*
(6) *Hom. 19. in Joann.*
(7) *I. Corinth. XIV.*

pro temporum, locorumque ratione in ea fieri, omitti, praecipi, aut vetari deberent difficillimis praesertim emergentibus temporibus, certe ipsi Ecclesiae deesse non poterat, quin in ea sacra potestas institueretur, quae his omnibus consuluisset. Haec ut curarentur ab Apostolis, et successoribus illorum, providit. Quod hi reapse quidem labore continuo compensarunt, ut videre est ipsis sacris in literis: ibi enim legitur illos potestate legislativa questos esse, quod Judaei imposuerint onus rituum Mosaicorum his verbis: *quibus non mandavimus*: insuper: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis, etc.* Legitur item, quod Paulus *perambulabat Syriam, et Ciliciam, confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et Seniorum* (1).

De Pontifice ergo Romano certa fide credendum est: *eum esse verum Christi Vicarium; totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem, et doctorem; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse.* Verba sunt haec Concilii Florentini. De Episcopis vero sic S. Tridentina Synodus declarat (2): » Episcopos, qui in Apostolorum gradum successerunt, ad » hierarchicum ordinem praecipue pertinere; et *positos*, sicut » Apostolus ait, *Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, eosque » Presbyteris superiores esse ». Unde constat in sua Dioecesi potestatem legislativam habere, quod usu totius Ecclesiae confirmatum videtur (*a*).

(*a*) His veritatibus contrarias propositiones confixit Pius VI in Bulla solemni *Auctorem Fidei*: Haec Bulla dirigebatur in acta synodi dioecesanae Pistoiis habitae ann. 1781 ab Episcopo Ricci, quae sic habet n. IV. « Propositio affirmans *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae, ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione, et corde; tum etiam multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis*, quatenus indeterminatis his verbis; *extendendo ad res exteriores* » notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae » a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituen» da, et sancienda — haeretica. Qua parte insinuat Ecclesiam non habere » auctoritatem subjectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, » quae pendent a persuasione »; quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilium, et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio, ac salubribus poenis coercendi, atque cogendi* — inducens in systema alias damnatum ut haereticum.

Quod autem adversarii opponunt, ut pugnam audacius instaurent, nul-

(1) *Act. XV. 25. 28. 41. et alibi.* (2) *Sess. XXIII. c. 4.*

APPENDIX.

Caetera Protestantium commenta excutiuntur.

Protestantes etsi inter se dissidentes, atque pugnantes, ubi tamen de sacra potestate agitur, omnes amice conspirant, et simul vires conferunt, ut eam Principum saecularium esse demonstrent. Sed operam ludunt. Veritas enim catholica a nobis hactenus propugnata tot tantisque luculentis scripturarum, et traditionis monumentis innititur, ut contra eam nihil nisi futile, absurdum, et chimaericum afferri possit. Tale videtur systema, quod dicunt *Episcopale*, a Reinkingh Carpzovio, et Nettelblandt propugnatum, quo ex mero facto, ex decreto nempe imperiali, quod in Conventu Augustano ann. 1555 declaravit suspensam jurisdictionem episcopalem in Novatores, donec Religionis controversiae componerentur, infertur Catholicam episcopalem jurisdictionem ad tempus devolutam ad Principes, et qualitatem episcopalem principatui interim adnexam concluditur. At quam insulsum sit hujusmodi systema, facile erit colligere ex eo, quod 1.° supponit jurisdictionem episcopalem posse devolvi et transferri ad Prin-

lius ponderis est: Illud nimirum Petri, quod ad pastores Ponti, et Galatiae *Epist. I. 13.* scribit: *Neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo;* illudque Pauli *II. Corinth. 1. 13. non quia dominamur fidei vestrae, sed auditores sumus gaudii vestri*. Haec enim facile dissolventur, si distinguatur ipsa vis, et meritum potestatis ab usu, et modo exercendi illam. Nonne Christus ipse, cui certe adversarii non denegabunt vim legislativam, dixit: *non veni ministrari, sed ministrare*?

Caveant demum adversarii, ne si id aliorsum atque dictum est, accipiatur, eo tandem evadant, ut efficiant, vel arcendos ab Ecclesia esse illos, qui aliquid imperent, vel nullos Reges esse unquam Christianos posse; omnibus enim scripsit Apostolus, qui veram Religionem colebant.

Demum et nos fatemur dixisse Apostolum *II. ad Corinth. X. 4. Arma militiae nostrae non sunt carnalia*. Sed pugnare hoc non videmus cum vi legislativa, qua potestas sacra praedita est; non enim Apostolus his verbis in solum spiritum exercendam illam docet, corpore omnino excluso, ut contendunt adversarii; sed ostendit obligationem ipsum audiendi non a praesentia ejus corporis infirmi (erat enim ejus persona tanquam abjecta, et despiciebatur a pseudo-apostolis inter Corinthios) neque a sermone contemptibili; sed a potestate, quam dederat illi Dominus, desumendam esse demonstrat. Et ut id evinceret, ibidem comparationem instituit inter carnalia seu humana, ac arma spiritualia, uti inde deduci posset arma militiae christianae, quibus fides propugnatur, et salus animarum comparatur, utpote non carnalia, validiora esse ipsis armis carnalibus sive humanis, quorum usus est in militia humana.

cipes saeculares, quod est contra illius naturam, et omnino fieri non potest; 2.° ex mero facto *suspensionis* latae ab auctoritate talem potestatem non habente assumit jus *authenticum devolutionis*; denique ipsam potestatem Ecclesiasticae Hierarchiae, quam evertere nititur, tacite legitimam agnoscit; potestas enim Episcopalis, nisi legitima fuisset, suspensa, devoluta, et translata nunquam dici posset, quae omnia quam incongrua, dissentanea, ac futilia sint, ipse Boehmerus satis perspexit licet sacrae potestatis infensissimus hostis, et ad hanc aggrediendam alia sibi via incedendum putavit. Non minus futile est *territoriale* systema a nobis supra (1) explicatum, atque solidis rationum momentis explosum, de quo heic hoc unum addendum putamus, quod omnem distinctionem Ecclesiam inter, et Statum destruit, quae adeo necessaria, atque essentialis est, ut ipse Boehmerus hujus systematis propugnator eam agnoscere, atque ad aliud systema *pacti* scilicet *socialis* (2) illa tempestate communi plausu exceptum confugere, atque Ecclesiae aptare coactus sit; sed ut hoc systema, quod fallaciis, atque erroribus plenum est, probabile videretur, probandum erat Ecclesiam non esse divinitus institutam, sed esse societatem liberam, et aequalem mutuo membrorum ejus pacto constitutam, atque ex pacto sive expresso sive tacito omnia ejusdem jura, ac potestatem proficisci, atque haec a Catholica Hierarchia injuste occupata, tandem ab illa recuperata in Principes translata fuisse. Id oneris sibi sumpsit Mosemius, et fabuloso illo opere historico-biblico impudentissime docuit primo Ecclesiae saeculo, atque jam inde ab Apostolorum aevo Ecclesiae regimen fuisse democraticum, nullum Episcopum senioribus, aut presbyteris superiorem, Concilia secundi saeculi statim Ecclesiae faciem immutasse, jura populi imminuta, Episcoporum auctoritatem crevisse, atque his potestatem factam condendi leges illo non consulto, atque ita deinceps potestatem ab Hierarchia Catholica injuste occupatam formidandam evasisse. Gerrae germanae! gratis haec omnia asseruntur, et fabulis convestiuntur. Nulla enim in universa sacra Scriptura evidentior veritas reperitur, quam haec, Ecclesiam nempe non hominum arbitrio conflatam, sed totam ex Deo esse; ex natura sua necessariam, atque obbligatio-

(1) *Cap. IV. Concl. 3.*
(2) *Confer notam pag. 27.*

nem inducentem, ab ipso Christo efformatam, ab hoc, non a mutuo fidelium pacto omnem suam potestatem, et jura agnoscere: *Data est mihi*, inquit Christus (1), *omnis potestas in coelo, et in terra. Exeuntes ergo etc.* et statim adjecit: *et ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Quod non Apostolos tantum, qui non semper victuri erant, sed etiam successores eorum Episcopos, ac Praesides Ecclesiarum spectat. Et insulsum sane esset dicere Ecclesiae gubernandae potestatem Apostolis fuisse necessariam; Episcopis non item. Adhaec ipsae sacrae literae testantur (2) Barnabam, et Paulum post Christi ascensionem in coelos speciali revelatione ad apostolatum venisse. Paulus nihilominus se per Jesum Christum apostolum esse, nec nisi a Domino *potestatem* accepisse simul testatus est (3). Hinc iis, qui praesunt, parere jubent passim Petrus, et Paulus in suis epistolis: *Similiter*, inquit Petrus (4), *adolescentes subditi estote Senioribus*; et Paulus (5): *Obedite Praepositis vestris.* Adhaec in Concilio Hierosolymitano dicitur: *tradebant eis* (Chrisitanis) *custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis, et Senioribus* (6). Episcopis itaque etiam inerat potestas sanciendi leges, canones, decreta sive fidei, puta non esse gentibus imponendum jugum legis Mosaicae, sive morum, abstinendum scilicet a sanguine, et suffocato. Consentit etiam traditio Patrum Apostolicorum temporum. Ignatius Pauli Apostoli auditor ita ad Magnesianos scribit (7): *Decet itaque et vos obedire Episcopo, et in nullo illi refragari; terribile namque est tali contradicere.* Haec atque alia satis multa, quae ex scripturis, et praesertim ex Actis Apostolorum peti possunt, satis superque ostendunt quam insulsa, quam futilia, et fabulosa omnia sint, quae in suo opere Mosemius congessit, ut pactum sociale tueretur, et sacram potestatem ecclesiasticae Hierarchiae everteret; neque hic refellendum putamus recentiorem Protestantem Guizot affirmantem primis ipsis temporibus societatem christianam apparere uti puram unionem fidei sine ullis omnino magistratibus. Haec enim ex eodem Mosemii libro sunt petita, ac jam excussa a nobis sunt.

(1) Matth. *XXVIII. 15.*
(2) *Act. XV. 7.*
(3) *Gal. XXI. 2. et seq.*
(4) *I. Pet. v. 5.*
(5) *Ad Hebr. XIII. 17.*
(6) *Act. XV. 14.*
(7) *Epist. 3.*

Praecipua haec sunt systemata, quibus Protestantes sacrum Ecclesiae Catholicae regimen oppugnare conati sunt; verum quid de Protestantibus hujus nostrae aetatis? alii alia sentiunt: sunt, qui mordicus Systema Collegiale tuentur, ut Puchta; alii, ut Stahl, vellent, ut auctoritas docentium cum Principis moderata potestate, et subordinata communitatis cooperatione temperaretur; denique non desunt, qui Ecclesiam ac Statum refingendum esse, eisque novam formam indere oportere arbitrantur. Sed haec hactenus. Nostri enim instituti ratio non patitur omnium illorum opinionum commenta atque errores persequi. Hoc unum tantum, quod omnia illorum systemata ipso facto evertere videtur, animadvertere juvat Sacrum Ecclesiae regimen, licet undique impetitum, firmum tamen atque immotum usque manere; Coelum, et Terra transibunt, sed non praeteribunt illa Christi verba: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* (1).

CONCLUSIO QUINTA.

Ab acceptione populi, aut usu Ecclesiarum particularium non pendet legislativa potestas.

Potestatibus sublimioribus omnis anima subdita sit, ait Apostolus (2). Subesse ergo legibus illorum quisque debet: proindeque eas acceptandi, nec ne, jus cuique non convenit; etenim a Deo sunt. *Resistit* inde, ut idem Paulus infert ibidem, *Dei ordinationi, qui potestati resistit.* Argumentum hujus subjectionis praebens Christus, cum discipulos in singulas civitates ad praedicandum praemisit, dixit (3): *qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*; et detrahentes legibus increpans Jacobus inquit (4): *Si judicas legem, non es factor legis, sed judex.* Et sane si nullo praevio consensu populi, vi pollent sua leges Principis saecularis, quoniam *non est potestas nisi a Deo*, quanto id magis de Ecclesiae legibus dicendum est, quae regendi Christiani populi, ejusque commodis cavendi quod finem supernaturalem spectat, auctoritatem accepit?

Accedit eo, quod libertas acceptandi, vel rejiciendi leges

(1) Matth. *VII. 18.*
(2) *Epist. ad Rom. c. XIII.*
(3) Luc. *cap. X. 16.*
(4) Jacob. *c. IV. 12.*

sacras, unitati Ecclesiae refragatur; multo igitur magis, cum de his legibus agitur, quam de civilibus, arbitrium populi eliminandum, ne ipsa in partes scindi, et in anarchiam inclinare videatur. Demum potestas a Christo Apostolis, et praesertim Petro tradita adnexa non fuit conditioni consensus subditorum; aliter enim Apostoli per sese non ligarent, sed subditi se sinerent ligari; imo ad eos, qui praesunt, obedire; ad subditos jubere pertineret; visque legislativa adimeretur Hierarchis, et in subditos transferretur, quo nihil periculosius.

Finge uni populi voluntati, leges ecclesiasticas inniti. Ecclesiae tum regimen Democraticum quis non videret? quo nihil absurdius, cum ei Christus unum supremum Pastorem posuerit. Demum si jus acceptandi leges esset populo, hoc vel a se haberet, vel ab alio. At non a se habet, quia de jure naturae non est, aut gentium, sed divino, et supernaturali; non ab alio; siquidem non habet a Deo, a quo solum habere potuisset; nusquam enim sacris in literis legitur concessa populo potestas pascendi, docendi, regendi, sed potius ex his gregem pascendum, atque regendum a Praelatis eruitur; ergo etc.

Ultro tamen largimur alteri potestati intercessionem, ut leges alterius perniciosae abrogentur. Quod quidem de Zenonis Henotico a Felice papa, de Heraclii Ectesi a Severino, atque Joanne, et de edicto Henrici IV. a Martino V. praeter alia factum scimus (a). Quae exempla non ita allata volumus, ut in rebus fidei, vel morum, de quibus in hujusmodi edictis impp. agere ausi sunt, liberum sit laicae potestati se immisceri; et revera errores, quos ipsi fovebant, jam antea damnati erant; sed ut Ecclesiae prudentia, longanimitas, atque in erroribus corrigendis dexteritas perspecta simul habeatur, atque argumentum a majori ad minus pro re nostra colligi possit. Hoc et ipsi reges facere reapse curaverunt, ubi Regni et Status jura, rerum novitate convelli viderunt, ut per legitimam potestatem leges ad bonum publicum componerentur; quod nemo inficias ibit, at eo tantum in casu, quo lex nec dogmatica sit nec mores respiciat; cum intercedere nullimodo eis datum sit nisi contra legem tantum, quae disciplinam non universalem statuat, sed partialem et temporaneam, in iis scilicet, quibus Ecclesia pro suo arbitratu et indulgentia

(a) Zeno imp. suo Henotico fovebat haeresim Eutichianam, et haereticos cum Orthodoxis mixtos tuebatur. Confer epist. 9. Nat. Alex. dissert. 18. ad saec. V. Heraclius sua Ectesi unicam in Christo voluntatem asserere ausus est, vetans, ne quis unam, aut duas in Christo operationes confiteretur. Epist. Joann. IV. ad Heracl. Henricus IV. suo edicto injuriam fecit Sedi Apostolicae, et Ecclesiasticae libertati Epist. Martini V. ad Henric. apud Raynald ad ann. 1426. n. 19.

temporum circumstantiis se accommodare solet; et tunc principis intercessio illam in suspenso tenebit, donec Ecclesia eadem ex animi sui libertate, aut aliter providerit, aut non usu in oblivionem adduci permiserit.

Nec ab acceptione particularium Ecclesiarum pendere legislativam potestatem patet tum ex natura supremae Pontificis potestatis, tum potestatis Episcoporum subordinatae, tum ex fine potestatis utriusque. Re quidem vera Vicarii Christi jurisdictionem in universum gregem, totamque Ecclesiam extendi, ipsis Episcopis non exclusis, fides docet. Unde plenitudinem potestatis, officiique pastoralis illum obtinere omnes fatentur; Episcoporum vero in partem sollicitudinis vocatorum dependentem ab eodem Christi Vicario potestatem esse, unde inæqualem, et vel majorem, vel minorem, mutabilemque eorum potestatem adversarii ipsi negare non audent, atque sub primatu Pontificis simul esse, ejusque summo regimine. Ex fine vero utriusque potestatis, bono scilicet præsertim unitatis Ecclesiæ nemo nisi coecus non videt subordinatam etiam institutam, atque circumscriptam Episcoporum potestatem fuisse a Christo, qui illimitatam Summo Pontifici, ac independentem ab omnibus, non exclusis ipsis Episcopis, concessit. Hisce positis quis contradictorium etiam non perspicit errorem asserentium ab usu Ecclesiarum particularium pendere legislativam potestatem Pontificis, imo et Concilii generalis (*a*)? Etenim contradictorium nemo negabit partem plus posse, quam totum; parti nimirum sollicitudinis plus, quam plenitudini potestatis incumbere regimen Ecclesiae: limitatum, et circumscriptum majus illimitato esse: subditum suo esse Superiore majorem. Accedit, quod nunquam Romani Pontifices rati sint ab acceptione nonnullarum Ecclesiarum suas leges robur accipere, sicut nec Canones Conciliorum ab usu eorumdem pependisse

(*a*) Acceptionis hoc fictum, absurdumque jus ex eo Lutheranorum errore fluit, quo nullam doceant jure divino inter Clericos, et populum Christianum esse distinctionem, et nonnisi ab hujus voluntate, Pastorum Ecclesiae, quaecumque ea sit, potestatem dependere, quem errorem suo loco refellemus. Non parum vero dolet, quod aliqui ex catholicis Gallicanae libertatis fautores (temperato Lutheranorum errore jam profligato asserentium a populi consensu leges pendere,) a particularibus Ecclesiis, et majoribus partibus acceptandas affirmarunt constitutiones Pontificum, et canones Conciliorum, ut obligationem pariant. Ipse de Marca id sensit, atque propugnavit, *de Concord. Sac. et Imp. lib. II. c. XVI. p. V. c. IX.* ratio, cur tantopere aliquibus Gallorum haec contradictoria opinio adrideat, qua fideles legibus pontificiis alias non adstringi tenent, ea fortasse est, quam non infimi subsellii Theologi adsignant, nempe iisdem antea aliam adrisisse sententiam, quod scilicet a Christo potestas *immediate* data fuerat toti Ecclesiae, non Petro, qui quidem nonnisi ut minister illius sit considerandus. Cujus principii falsitas jam explosa manet.

constat. Certe insuper, atque adhuc vigens praxis nostram sententiam comprobat (*a*). Denique quis judicabit de legibus Papae, ubi singulares aliquae Ecclesiae, aut Episcopi aliquot, aut Tribunal civile, aut Princeps temporalis parum sibi convenientes illas crediderint? Certe dum Episcopi sibi illud jus examinis adrogarent in leges pontificias, magistratus civiles sustinere non desisterent necessitatem etiam praecedentis examinis sui in easdem. Hinc Summus Pontifex non solum subditis suis esset subditus, sed et ipsi potestati saeculari in rebus sacris, a qua et fides credentium ad arbitrium suum suspendi sic posset (*b*).

Quod autem Petrus (1) mandavit Episcopis pascere gregem *providentes non coacte*, *sed spontanee*, nihil contra thesim nostram facit; nam his verbis Apostolus abusus, fastum, turpis lucri cupiditatem oppugnat; nunquam gregi leges sacras acceptandi, nec ne, facultatem concedit; hoc enim, ne coacte pascatur, necessarium non est. Item nec ei opponitur, quod ex Gratiano (2) habetur, nimirum *leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium adprobantur;* nam etsi mores utentium firment legem ex Gratiani sententia, hoc

(*a*) Si localium Episcoporum consensum aliquando requisierunt Pontifices, id factum est, vel ut, quod in Rom. Synodo tamquam Metropolitani decreverunt Pontifices, caeteris Synodis particularibus quoque firmaretur; vel oeconomiae causa, ut, quod exhortatione obtineri posset, non imperio urgeretur; vel etiam ut caeterorum Episcoporum studium, et auctoritas accederet, non ad inducendam obligationem, sed ad eam magis fovendam, promovendamque. Patet enim ex ipsa historia aliquas Synodos, et Episcopos praesertim Gallos plerumque pontificiis obstitisse constitutionibus, easque aut pro parte, populorum ingenio attemperasse, aut non accomodatas omnino recusasse; id tamen tulerunt Pontifices per conniventiam potius tacentes, atque illorum saluti, ac paci consulentes.

(*b*) Animum defigit nostrum, quod Bossuetus, etsi aliunde valde laudabilis, audacter dixit *Histor. t. 3. Paris.*. sententiam scilicet Gallicanam esse, judicium Papae non posse in Galliis publicari, nisi post sollemnem acceptationem forma canonica habitam, et liberam ex parte Archiepiscoporum, atque Episcoporum regni. Quid ergo? propositio uti haeretica a Papa damnata dogmatico decreto etiam consensu universalis Ecclesiae confirmato, a Gallis posset sustineri sine peccato? num Episcopis Galliae claves Ecclesiae dedit Christus, vel ab ipsis statuit nobis proponenda decreta Pontificis? num Ecclesia Gallicana, quae ad universalem Ecclesiam fere est nihil, cum sit quasi provincia ejus, poterit sentire aliter, ac illa? Ipse doctissimus Fenelon illam refellit sententiam in conventu provinciali Episcoporum ann. 1699; ibi enim, ut in memoriis cleri habetur, sic docuit: *Summus Pontifex locutus est: omnis disceptatio Episcopis interdicta est.*

(1) *Epist. I. c. 5.*

(2) *C. III. D. 4.*

tamen non excludit vigorem legi inditum placito solius legislatoris ; quae tantum ab eo intrinsece pendet, cum praxis, et observantia extrinsece in facto subditorum consistat. Hinc patet usu, et receptione legis non vim, quam prius non habebat eidem conferri ; sed vi, quam jam habebat, vim alteram communicari, ita ut ipsa firma, magis confirmetur. Ipseque Gratianus fuit, qui ob id vocem *adprobantur*, statim in *το confirmantur* vertit in ipso supra citato canone 3. *in istis* 3. D. 4.

APPENDIX.

De regio placito.

Protestantium foetus Jansenii asseclas fuisse, nemo non novit. Illi aperti, subdoli hi S. Sedis hostes : horum tamen venenosos errores Politici aliquot Galliarum edocti, ultra jus systema regii placiti probaverunt, adulandi, sive placendi, vel regum jurisdictionem ampliandi studio, revera odio et invidia compulsi in S. Sedis auctoritatem (*a*). Hinc impudenter asseverare non dubitarunt, Bullas pontificias vel dogmata ipsa spectantes, jure majestatico, sive quoad jus, sive quoad factum subjectas revisionibus Principum esse. Sit itaque contra illos

CONCLUSIO UNICA.

Systema Jansenii asseclarum, quo constitutiones etiam dogmaticas Summorum Pontificum jure majestatico revisionibus civilis potestatis subjiciendas tenent, erroneum demonstratur.

Potestas, et res Ecclesiae a civilibus distinguuntur. Alteram ab altera esse independentem, utramque in suo genere su-

(*a*) Verba nec pigeat audire heic Cardinalis de Bissy, (*lib. de promulgat. egum tom.* 2.) quibus aperit, quid sentiendum de his opinionibus, quas Van-Espenius in unum redegit. « Espenius ille non est nisi jurisperitus, princi-» piorum sanae doctrinae parum gnarus, quem factioni Ecclesiam hodie tur-» banti mordicus adhaesisse nemo ignorat. Liber adeo ipse, qui nobis hic » objicitur, ann. 1712 in lucem prodiit eo utique consilio, ut constitutio-» nem *Unigenitus*, quam tunc Romae cudi sciebat auctor, in antecessum » infirmaret. In hoc tractatu lucubrationum e Novaturiensium officina pro-» deuntium character statim dignoscitur e studio palpabili invidiam con-» flandi Summo Pontifici, ejusque auctoritatem in contemptum adducendi ». Lege etiam le Maistre *della Chiesa Gallicana* cap. 2.

premam jam satis abunde demonstratum, nec ab adversariis ipsis denegatur; prono ergo alveo fluit ex his principiis, quod constitutiones RR. Pontificum non sint subjiciendae civili potestati. Adhaec si verum esset systema Jansenii asseclarum, quemadmodum jure majestatico Principi fideli et catholico liceret revisio hujusmodi constitutionum, ita liceret et infideli; at quam male sic Deus, a quo omnis potestas, et jus, consuluisset Religioni, et suae Ecclesiae? Praeterea Romanus Pontifex legitimus Petri successor, et Christi Vicarius missus fuit regere Ecclesiam Dei, sicut ipse Christus a Patre missus est, cui omnis potestas data est in coelo, et in terra, ut ipse quidem docuit (1). Ergo hujusmodi revisionibus non subjacet. Insuper nec Apostoli, qui verbis, et operibus praedicarunt (2), *reddite.... cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*, suam doctrinam, qua regerent, et pascerent Ecclesiam, summae potestatis civilis revisionibus nunquam subjectam voluerunt; imo adversantibus ipsis Principibus Ecclesiam ipsam et gubernarunt, et propagarunt; nullum est ergo systema, contra quod dimicamus. Confirmatur magis thesis nostra experientia ipsorum Principum catholicorum; hos etenim, et quidem maximi nominis ante schisma sub Urbano VI exortum nunquam usos fuisse revisione, quam adversarii tuentur, constat (*a*): quin imo potius jurisdictioni Ecclesiae per tot saecula subjectos, utpote baptismate lustratos, illo jure, quod adversarii propugnant, potiri se non credidisse certum est: unde protectores potius, et vindices potestatis Ecclesiae ipsius se dedere, atque executores legum sacrarum ejus.

Nec valet systema territoriale, quod opponitur: jam enim antea a nobis explosum, nullum nobis negotium facessit. Nec si ad consuetudinem adversarii ipsi appellent, quidquam proficient, quoniam eam in detrimentum Ecclesiae progredi non posse, nemo est, qui ignoret; et eo vel magis quod, ut praeclarissimus Gagliardo in Regio Gymnasio hujus Regni interpres advertit (3), non pauci Pontifices contra consuetudinem

(*a*) Eo enim tempore, ne ab Antipapis, eorumque asseclis fraudes impune admitterentur, ipsi Urbano visum fuit pernecessarium, ut de constitutionibus Apostolicis constaret. Principes quoque, ne populi Pseudo-Pontifici per errorem crederent, cavendum sibi duxerunt Bullarum examine. Vide Antifebron. vindicat. tom. 4. dissert. XII. cap. II. n. 3.

(1) Matth. *XXVIII. 18.*

(2) *Ad Rom. III.* 7.

(3) *Inst. jur. can. L. 1.*

illam saepius reclamarunt, uti Pius II, Innocentius VIII, Alexander VI, S. Pius V, Greg. VIII, aliiq.

Pro re sua denique nescio quae falsi isti politici pericula, praejudicia, damnaque bono publico metuenda ingerunt, quae dum Principibus sub speciosissimis rationibus obtrudunt, defectiones potius, ac turbas excitant, quam boni aliquid afferunt. Fallaces fallaciis suis irretitos Pufendorfius nullo modo suspectus demonstrat, cujus principiis argumentum, quod hic resumitur ab adversariis, explosum a nobis jam fuit (1), cujusque verba heic tantum afferre juvat. « Homo, » ait ille, jus habet utendi omnibus mediis, quae sana ratio » ad ipsius conservationem necessaria dictat, adversus omnes, » a quibus ipsi periculum imminere eadem sana ratio suggerit. Igitur si quis cautionem suam ulterius, quam sana ratio » admittit, extenderit, sine dubio in legem naturae peccabit. Nec sana ratio hoc unquam probabit, ut alterum, de » cujus voluntate, et conatu in meam perniciem nondum peculiariter constat, oppressum eam; cum longe aptiora sint » remedia pacem cum ipso firmandi. Nam sola illa communis » malitia hominum, quae utique suos gradus habet, non statim hominem homini professum hostem facit. Quomodo sola suspicio, ne quis amicitiam adversus me simulet, aut » animum suum mutet, probabilem mihi causam praebet eumdem occupandi? Id quod multo clarius adhuc cernitur in » integris civitatibus, quae invicem in statu naturali vivunt. » Nam hoc sane omnium confessione nefas habetur; si una » civitas alteram..... vi, aut insidiis occupare velit ideo tantum, quia commune cum ea dominium non habet, a quo » compesci possit, si ipsam aliqua laeserit ». Quid clarius? Futile ergo ex his dixeris argumentum, quod oggerunt ex jure cavendi, ut libertati Ecclesiae se opponant.

Age: jus cavendi servetur sensu adversariorum, dummodo tamen retorquendo argumentum illorum fas erit nobis inferre, jus et Ecclesiae esse civilem subijcere potestatem revisioni suae, quoniam pericula, praejudicia, et damna multo magis metuenda sint bono publico ipsius Ecclesiae. Hoc nec ipsis arridet, nec nos audemus docere. Sat itaque erit falsis politicis repetere prae omnibus, quae ex Christi oraculis argumenta pro re nostra desumuntur, illud: *Reddite igitur, quae sunt Caesaris, Caesari, et, quae sunt Dei, Deo.*

(1) *Concl. IV. c. V.*

Nec tamen miretur quis, quasi in usum peccavimus *Regii exequatur*, quod adhuc in hoc regno sub Augustissimo Rege nostro Ferdinando II, quem Deus semper sospitet, a Ministris ejus, concessione Summi Pontificis, Rescriptis, Brevibusque apponitur ipsius; haud enim id in mentem habuimus; et sane non deest ratio usus illius; ne scilicet falsae literae Apostolicae, invita Romana Sede, cum populorum scandalo, necnon partium detrimento executioni mandentur, et ut Ecclesiae sanctiones regio munitae consensu feliciorem, faciliremque exitum sortiri possent. Nonne vero ipsi Pontifices, ut rescribatur, permittunt, si quando in publica jura, et privilegia impingant illorum decreta, atque rescripta? Pius ipse II (1) ait: *Quod si in aliquo praejudicatum tuis juribus putas, parati sumus tuae Celsitudini justitiam cum omni benignitate administrare.* Porro ut ex praecedentibus conclusionibus intercessisse patet Romanos Pontifices, ut perniciosae civilis potestatis leges rescinderentur; ita eadem ratione, (ut advertit Clarissimus vir Julius Selvagio (2), cujus verba juvat heic referre): » ne scilicet inveteratae locorum consuetudines, privilegia, » instituta convellantur, neve in publica commoda offenda- » tur, Rom. Curiae decretis aliquando Principes interce- » dunt; non quidem ut ipsi de causa cognoscant, aut jura » expendant, sed ut iterum sub rectissimis Sedis Romanae » oculis res subjiciatur, ac novo adhibito examine, novisque » expensis rationibus maturius de ea decernatur ». Hinc immediate subdit: « Haec forte animo volvens Sapientissimus » Rom. Pontifex Benedictus XIV, ac precibus etiam flexus » nostrorum Principum inter secretos Concordati articulos (3), » *Regii exequatur* consuetudinem passus est; id simul cavens, » ut mandata Apostolica quam citissime per regios ministros » expedirentur ».

(1) *Epist.*
(2) *Lib. I. inst. Canon. Tit. VI.*
(3) *Ann. 1741.*

CAPUT VI.

DE FORMA SACRI IMPERII.

Etsi sero admodum, nec multo jam tempore phrases Monarchiae, atque Aristocratiae ad res Ecclesiae proprie adhiberi coeptae sint; attamen cum de quovis imperio quaeri possit, utrum omnibus imperii juribus polleat, an jura divisa, atque in unum collecta sint (*a*); quale sit sacrum imperium, declarare abs re non esse videtur, ut veritas ipsius magis magisque clarescat, et Papae primatus effulgeat. Itaque contra Lutheranos sacri regiminis formam esse Monarchicam: hanc vero sine temperatura Aristocratiae contra nonnullos catholicos demonstrabimus.

CONCLUSIO PRIMA.

Errant, qui Democraticam, vel Aristocraticam putant esse administrandae Christianae Reipublicae rationem (*b*).

Ipsa hierarchia divinitus in Ecclesia instituta ex sua natura statum democraticum excludit; hujusque status fautores nonnisi inane spectrum omnino venditant. Qui enim summa rerum

(*a*) Cum summa rerum unus potitur, forma regiminis dicitur monarchica; aristocratica vero, ubi optimates; ubi demum populus, sive illius nomine magistratus, democratica nuncupatur.

(*b*) Plerique sunt etiam ex numero Protestantium, qui monarchiae aristocratiam, democratiamque anteferendam esse arbitrantur, non ratione, auctoritateque majorum, sed praejudicata opinione, odioque in Ecclesiam Rom. ducti. Refert autem aliquantulum heic morari, et antiquissimorum, doctissimorumque Patrum contra illos sentientium doctrinam afferre. Re quidem vera Justinus Martir, et Philosophus in cohortatione ad Graecos p. 20. n. 17. edit. opp. Paris. an. 1742. Homeri ex Iliade B. versum 206 describens, et suam de monarchia sententiam proferens: *Non bonum*, inquit, *multorum principatus*. *Unus Princeps esto.* Cyprianus autem in libro *de vanitate Idolorum* pag. 10. edit. Amestelod. an. 1700 unum in republica principem esse oportere docens monarchiam propugnat. Similia tradit Lactantius in I. Inst. libro cap. III. His concinunt Origenes, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus, quorum testimonia videre est apud Mamachium l. 11. *Orig. et antiq. Christianor.* p. I. c. II. tom. I. Quibus adde Athanasium in ea, quam *contra gentes* edidit, *oratione*, atque Eusebium, c. III. H. E. et lib. *de vita Constant.* ubi docet multitudinem Principum efficere, ut nullus esse Princeps videatur; sic-

ecclesiasticarum potiri populum Christianum dicemus, quam neque natura ipsa, neque Dei beneficio consequutus sit? non natura, ex eo quod ad jus naturae, vel etiam gentium minime pertinere potest; neque Dei beneficio, ideo quod in sacris Bibliis, traditionibusque Ecclesiarum nulla est ejusdem mentio. Extaret revera haec, si populo ordinandorum Episcoporum, Presbyterorumve jus esset; at contra Episcopo potestatem hanc concessam scimus (1): nec a populo, sed a Christo Apostolos constitutos patet (2), qui postea soli sibi successores crearunt, confitente ipso Basnagio, quos aptos fore putabant; quoniam suffragium populi non requirendum arbitrati sunt (3). Adhaec ubinam claves regni coelorum datae dicuntur Ecclesiae universae? num quando leges sacrae jussu populi latae inveniuntur, aut abrogatae (4)? Num unus e ministris Ecclesiae accusatus ad populum aliquando, aut de gradu fuit dejectus ac dignitate (5)? Cum ergo haec, quae inesse deberent in omni populari gubernatione, non convenire Ecclesiae regimini constat, Democratica ejusdem forma dici non potest (6). Denique nullus modus fingi potest, quo potestas sacra in ipsam communitatem fidelium collata sit, quae jam subdita fuit declarata ex quo Christus primo ex discipulis selegit Apostolos, et ex Apostolis unum nempe Petrum, et singulari supra ceteros potestatis praerogativa exornavit, quos tamen veluti duces futuri exercitus jus-

que Polyarchiae Monarchiam anteponit. Rationum autem momenta a Philosophis allata ad rem facientia sunt: vitio hominum in administranda republica incommoda facile invehi posse; hisce minoribus monarchiam premi posse, quam Aristocratiam, et Democratiam. *Facilius est enim* (ut a Dione dictum fuit in l. 44. *historiar.*) *unum quempiam bonum, quam multos reperire.* Certe praestat forma monarchica in eo, quod remedia ad securitatem externam necessaria citius in promptu habeat: quod consilia teneat occultiora, ac celerius executioni det: quod denique virtuti, ac meritis faciliorem ad honores viam pandat. Nec valet, quod dicitur ab adversariis, plus multos videre, quam unus videat. Etenim cum pars maxima multitudinis imperita sit rerum, ea in consessu vincet, nocebitque maxime reipublicae. Accedit, quod in multitudine servari aequalitas nequit. Factiones inde perfacile existunt, et cum alter alteri praecellere conatur, vitiari pecunia, aut dominandi cupiditate potest, et amicorum suffragiis rempublicam perdere. Nonne respublica Rom. in extremum saepe deducta unius consilio, et auctoritate restituta est, ut Livius narrat de Camillo, et Fabio, aliisque? Consilium nec negatur bono Reipublicae conferre; at nonne Rex consilio virorum prudentum uti poterit?

(1) *Ad Tit. c. IV. 5.*
(2) Matth. *c. X. v. 2.*
(3) *II. ad Tim. c. V. v, 6.*
(4) *Confer Act. Apost. c. XV. v. 6. seqq.*
(5) *Confer Mamachium O. et A. Ch. L. IV. c. I. §. 11.*
(6) *Confer Bellarm. De R. Pontif. c. V. l. I.*

sit praedicare, baptizare, id est, allegere milites, cives, et domesticos Dei, ex quibus Ecclesia constat. Denique idea pastoris, et ovium, speciem potestatis aequalis, et communis, collegialis, et democratiae penitus removet, atque excludit.

His addere alia non juvat, cum meridiana luce argumentum nostrum clarius esse videatur. Hoc tamen unum praetermittendum non est, quod etsi saeculo XVI adsentationibus suis principem Ecclesiam sive populum audacter dixerunt Reformatores, melius corruptores, quod et saeculo proximo superiore politice repetitum vidimus, hujus systematis tamen absurditatem nemo non videt; utrorumque enim sensu tollitur idea veri Status, tollitur omne vinculum, omne regimen; imo et idea unitatis, ac societatis cujusque, ut tristis experientia testata fuit ipso anteacto saeculo. Haudquaquam ergo dicenda Ecclesia Christi respublica, praesertim quia nec una esset, nec catholica.

Aristocraticum vero similiter regimen seu penes solos Episcopos, eo quod repugnat primatui jurisdictionis; et unitatem Ecclesiae, quam supra eundem statuit Christus, tollit, propterea omnino ab ea rejiciendum est, ita ut non nisi monarchica forma Status legitime concludatur.

Re quidem vera esset Aristocratica, si apud optimates, seu Episcopos simul congregatos tantum absoluta potestas esset saltem in aliquibus, ut in civilibus evenit. At ubinam legitur soli concilio Episcoporum collata haec summa potestas? nusquam certe. Christus enim Episcopis Apostolorum successoribus concessit potestatem non solum omnibus, sed et singulis, neque concilio opus habentibus, ita ut possent singuli, sicut et nunc possunt, docere, baptizare, solvere, ligare, ordinare ministros at sub Primatu Pontificis (*a*). Nonne potestas Episcoporum, ut Aristocraticum regimen constitueret, ita esse deberet eorum, ut saltem ex parte Romano Pontifici deesset? Optimates in regimine aristocratico jura possident, quibus caret Princeps, quod primatui Pontificis et unitati Ecclesiae contradicit (*b*).

(*a*) Possunt et Episcopi non solum in sua Dioecesi, sed interdum etiam in Ecclesiam universam, et respective in partem Ecclesiae notabilem jurisdictionem exercere, nimirum quando concurrunt in Conciliis generalibus, vel provincialibus ad disciplinae praesertim leges condendas: sed quia ob id Romani Pontificis primatus non tollitur, nec ideo Protestantibus illa jurisdictio favet in argumento, de quo agitur.

(*b*) Ut haereticos a Catholicis in hoc argumento dissidere intelligatur, monendum, quod Protestantes pro Aristocratia pugnantes Episcopos humano ju-

Demum si nullus esset, qui in ipsis Episcopis primatum jurisdictionis omnimode haberet, atque ita Episcopis par administrandae universae Ecclesiae jus esset, id sane juris, aut divisi obtinerent, aut in Synodis congregati. Sed non singuli divisi; his enim tantum singulares administrandi Ecclesias cura data intelligitur, juxta Petrum: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Apostolis vero quamvis datum ire in mundum universum, hoc tamen nisi extra ordinem, et subordinate datum, ac salvo primatu Petri. Nec Episcopi excluso primatu jurisdictionis Pontificis jus universae Ecclesiae administrandae habent; sublato enim *Monarcha visibili* Ecclesiae, nulla auctoritas major Episcopis congregatis, quam divisim est tributa (*a*). Hinc et aliud argumentum contra Protestantes, qui Aristocratiam adversus Monarchiam propugnant, colligi fas erit. Hac enim sublata ecquis Episcoporum collegam errantem, aut improbum coerceret, si unusquisque eorum singulares tantum Ecclesias gubernandi potestatem haberet, nec

re, non divino constitutos blasphemant; tum omnes auctoritate pares, et aequales defendunt, ut nemo horum sit caput universale, qui regat. Ab his excipiuntur Angli, qui Metropolitas humana consuetudine introductos dicunt in commodum Christianorum; Primatum vero, et Monarcham visibilem divina lege datum negant.

(*a*) S. Cyprianus doctrina, quam tradit in LV. Epistola ad Antonianum, nostrum non elevat argumentum; ibi enim ait: *Cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus multorum Episcoporum concordi numerositate diffusus.* Ipsemet enim in libro, quem inscripsit *de unitate Ecclesiae* affirmat *Primatum fuisse datum Petro, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur.* Igitur hoc sensu laudata verba dixit, nimirum quod ceteri Episcopi societate non doctrinae modo, sed etiam communione conjuncti esse deberent cum Petro: una cum eo curare, ut integra ubique gentium et disciplina, et religio orthodoxa vigeret. Eodem modo intelligendum, quod *de uno Episcopatu, cujus a singulis pars in solidum teneatur*, scribit idem S. Cyprianus: *Unus enim est in principio, in capite, in fundamento, ac principe Ecclesiae, ex quo ceteri Episcopi, ut radii ex sole, utque rivi ex fonte proficiscuntur*; et cui ut arbori rami haerent, doctrinaeque consensione junguntur. *A singulis pars tenetur*, propterea quod suum quisque gregem singularem regat; in *solidum* vero quod Christiani singuli in primisque Episcopi id agant, atque enitantur necesse est, ut moderatori, atque Principi juncti non ex coetu modo singulari, cui ipsi praesunt sed ex universa Ecclesia, quod ad ipsos attinet, utque vires eorum ferunt, errores depellant. Hinc eodem sensu, ac de *uno Episcopatu*, si Antistes alicujus Ecclesiae in haeresim incidat, ejus gregi a quocumque Episcopo opem et auxilium esse ferendum ipse Cyprianus statuit. Quapropter longe a veritate abierunt Fellus in not. ad lib. S. Cypr. *de unit. Eccles.* et Binghamus lib. II. *Orig. et Antiq. Eccl.* c. 5. cum primus de pleno jure quod Episcopis adversarii tribuunt; alter de potestate toto Collegio Episcoporum diffusa, qua quisque universam Ecclesiam pascere possit, et haeresim extirpare, Cyprianum intelligendum putarunt.

ullus esset inter eos auctoritate major? nonne perturbationibus obnoxia Ecclesia Christi esset, et non sine magno omnium detrimento moderatore careret? Etenim Monarcha sublato, ex congregatis Episcopis acephala Synodus, vel temporum difficultate, vel sumptus, et pecuniae praesertim causa haberi perraro poterit.

Neque vero moratur nos argumentum, quod ab exemplo aristocratiae civilis contra opponunt; etenim heic Optimates non uni alicui oppido singuli, sed universae reipublicae, ipsisque etiam collegis omnes praefecti sunt. Adhaec inane potius dices, quod Spanhemius addit, ut neget supremum magistratum in Ecclesia universa necessarium, scilicet in ea nullam esse rem ab singularibus Ecclesiis distinctam; abstractio enim quae fit, quia mente, non re fit, ad rem non valet; praeterquamquod in hominum vita nihil abstractum a singularibus rebus evenit, plurimaeque res sunt in societate, quae magistratu supremo opus habent, qui vigilet, curetque, ne quid in ea detrimenti sit, quando ipsi moderatores ejusdem non recte officio fungantur. Quid revera sine supremo magistratu fuisset tribus ipsis primis Ecclesiae saeculis, cum multi non defuere errores, cum Simoniani, Nicolaitae, Carpocratiani, aliaeque haereses saevirent, nec ullae habitae fuere Synodi, cum Episcopi dispersi, Antistites singuli, divisique, in alias Ecclesias nullam obtinuissent potestatem? nonne provocatum jam inde ab antiquissimis temporibus ad Romanam Ecclesiam, ut quod ea decrevisset, id ratum adversus haereses haberetur? *Ad hanc* enim *Ecclesiam*, recte colligit Irenaeus (1), *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.* Esto: sufficiat cura unius Episcopi divisim in sua dioecesi; Ecclesiae tamen omnes, quia ita colligatae sunt inter se, ut unum corpus faciant, non magis possunt uno aliquo rectore carere, quam possit unus grex uno pastore, et unum corpus uno suo capite carere.

Ex everso Protestantium, haereticorumque errore quamvis indirecte forma monarchica in Ecclesiae regimine plene demonstretur; nostra tamen refert aliis eandem solidis argumentis confirmare; sit itaque.

(1) *Lib. III. contra haereses cap. III.*

CONCLUSIO SECUNDA.

Monarchicum Ecclesiae regimen esse debere, nec aristocratia temperatum defendimus (a).

Etsi humanae naturae imbecillitas non patiebatur, ut unus per sese, aut per meros arbitrarios legatos suos incolumitati totius Ecclesiae toto orbe terrarum diffusae satis intendere posset; unde factum est, ut Apostolos, et eorum nomine Episcopos alloquens Christus (1) dixerit: *sicut misit me Pater, mitto vos*; *euntes ergo docete omnes gentes* — *quaecumque solveritis super terram*, *erunt soluta etc.* hoc tamen dixit, non exclusa subordinatione legitima primatui Petri debita; jam enim dixerat Petro (2): *Tu es Petrus*, *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* — *Tibi dabo claves regni coelorum* (3). *Pasce agnos meos*, *pasce oves meas* (b). Siquidem noluit, ut potestas illorum esset independens a potestate Petri, super quam petram ipsos Apostolos principalia membra Ecclesiae aedificandos promisit, imo claves ei dedit regni coelorum, ut et iidem proin Apostoli sub potestate ejusdem Petri essent. Hinc illos nomine ovium commisit ei, sicut et agnos, ita ut sit verus monarcha.

Apposite ad argumentum Alvarius Pelagius opportune ad-

(a) Lutheranis, et Calvinistis placuit democraticum dicere ecclesiasticum imperium, populique voluntate laicos inter, et Clerum discrimen inductum fuisse: nonnulli vero ex Protestantibus aristocraticum illud dicunt, ut Buddaeus, aliique. Demum Pufendorfius, Janseniique asseclae censoria nota hanc thesim nostram affecerunt, utpote novam, ipsamque ineptam dixerunt. Nec e nomine catholicorum defuit, qui hoc eodem errore vacuus non fuit.

Ast forma monarchica, quam propugnamus, ita a nobis accipitur, ut nec Papa dicatur unicum subjectum sacrae potestatis, sicut in monarchia prophana veri nominis contingit; potestas enim Episcoporum divinitus instituta est; quod de fide habetur: hinc nec delegata, nec precaria.

Item catholici, qui monarchicum regimen sacrum defendunt, sed temperatum aristocratia, hanc nec ut in Statu profano accipiunt, cujus forma mixta ex divisione jurium summi imperii ita oritur, ut quod uni subjecto inest jus, in altero non sit, nec ab altero pendeat; hoc enim et unitati Ecclesiae contradicit. Ut ergo monarchia absoluta a nobis propugnatur, ita ut potestas Episcoporum nec delegata, nec precaria sit; sic temperatura aristocratiae a catholicis doctoribus nec ita intelligitur, ut primatum jurisdictionis offendat.

(b) Verbum *agnos* PP. interpretantur *fideles*, *oves* vero *Pastores*: verbum vero *pascere* contra Lutherum, Salmasium, et alios non *docere* tantum significat. Confer quae dicta sunt Concl. IV. Cap. V.

(1) Matth. *XVIII.*
(2) Matth. *XVI.*
(3) Joann. *XXI.*

vertit (1) allata Scripturae verba Petro dicta « sine aliis, et » non aliis sine Petro, ut intelligatur sic ei esse attributa po- » testas hujusmodi, ut alii sine ipso non possint ex privilegio » sibi collato, et concessa sibi plenitudine potestatis, per quam » potest ligare caeteros, sed ligari a caeteris non potest (a)». Nonne ergo monarchicum potius, quam aristocraticum regimen Ecclesiae Christus instituit? Nec vero nisi ab hostibus Aulae Romanae contra illud blateratur, ultra modum nempe exagerari, atque in immensum extendi potestatem RR. Pontificum.

Sacra potestas divinitus instituta fuit, ut Ecclesia sit una; pasci ergo debet illa sub uno capite, a quo et ejus unitas servatur, et ab ejus plenitudine potestatis unum corpus aedificatur, scilicet a monarchico ejus regimine, summi, et divini imperii expressa imagine. Hinc Apostolus (2) ait: *et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores in opus ministerii in aedificationem corporis Christi.* Ergo omnes sub uno hujus unius corporis capite esse debent. Favet D. Thomas (3) qui ait: *una Ecclesia non datur sine una fide.... una fides non datur sine uno summo capite;* etenim una fides esse non potest, si unus non sit judex summus, cui adquiescere omnes teneantur. Probat id ipsa Lutheranorum dissensio, quos in mille sectas divisos videmus, quia neminem habent, cujus judicio omnes subjiciantur, cum tamen omnes a Luthero descenderint. Idem de aliis sectis dicto.

Praeterea Catholica est Ecclesia Christi, et crescet semper, donec et ejus Evangelium in toto praedicabitur mundo: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe...... et tunc veniet consummatio* (4). Verum nemo, nisi mittatur, praedicare debet. *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur* (5)? Cum ergo in

(a) Sicut inepte Richerius, ejusdemque furfuris alii contendunt adeo universitati Ecclesiae primum claves datas a Christo, ut Pontifex *symbolicum* dumtaxat seu figurativum sit Ecclesiae Caput. Frustra vero in suam sententiam detorquent illa Augustini verba *Tract. 124. in Joannem. Cujus Ecclesiae Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum gerebat* figurata *generalitate personam*; nam verba haec non sunt sensu Protestantium intelligenda, ut scilicet ita sit minister, ut ea exequatur, quae ab Ecclesia sibi demandentur, nullis clavibus a Christo acceptis; sed cum sit Ca-

(1) *De planctu Eccl. Lib. I. c. 53.*

(2) *Ephes. IV.*

(3) *Contra Gentes Lib. IV. c. VII.*

(4) Matth. *XXIV.*

(5) *Rom. X.*

alienas provincias nulla sit potestas Episcoporum particularium, quibus certi sunt fines, extra quos nullum jus habent, unus summus Ecclesiae Praesul sit, oportet, cui sollicitudo incumbat totius Ecclesiae conservandae, et propagandae. Quocirca in historiis ipsis Magdeburgensium vix invenimus Ecclesiam post Apostolos propagatam per alios, quam per missos a Rom. Pontificibus: sic Germani per *S. Bonifacium* a Gregorio II.: Francones per *S. Kilianum* a Papa Conone: Angli per *S. Augustinum* a Papa Gregorio I. missos fidem receperunt. Et Innocent. I. (1) affirmat per omnem Hispaniam, Galliam, Africam Ecclesias esse fundatas per eos, quos Petrus, aut ejus successores in hoc opus miserant.

Exemplum denique Ecclesiae Angelorum in coelis, ad cujus exemplar est haec militans, ut ex Apostolo innuitur (2), quamque Jerusalem novam descendentem de coelo appellatam novimus (3), nostrum firmat argumentum. Illi etenim praeter Deum summum Regem ab initio praefuit, qui nunc Diabolus dicitur, ut PP. observant, de quo dictum fuit (4): *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, cuique novem lapides enumerantur inibi, qui ex Greg. (5) novem choros Angelorum significant illum Angelum tamquam Principem suum venerantes. Deinde post casum ejusdem Princeps colitur in coelis Michael, de quo scriptum (6): *Michael, et Angelis ejus*, scilicet Michael, et exercitus ejus qui opponuntur Diabolo, et Angelis ejus, ut ibidem appellantur.

Nos non latet illud Cypriani, (quod hostes sacrae monarchiae nunquam objicere cessant quod superiore conclusione innuimus): *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Sed perperam. Sicut enim nemo Episcoporum portionem gregis tenet, quae non sit Petri, sic nec Petrus alium gregem, quam qui Christi est. Ubi unus grex, unum ovile, unum est officium pastorale, ibi Episcopatus unus est, licet multi pastores sint, et Episcopi, qui gregis partem tenent quasi in solidum. Eo igitur sensu intelligi debent ea verba, scilicet quod Episcopi tenent partem suam non divisam, sed unitam cum toto grege. Hinc Sanctus Cyprianus non Epi-

put, Rector, et Ecclesiae Princeps Ecclesiam ipsam repraesentant, cujus utilitati maxime inservit. Merito igitur ut haereticam damnavit Pius VII Pistoriensis synodi propositionem, qua Summus Pontifex dicebatur *caput ministeriale Ecclesiae*; Bulla *Auctorem fidei*.

(1) *Epist. VII.*
(2) *Ad Hebr. VIII.*
(3) *Apocal.*
(4) *Ezech. XXVIII.*
(5) *Moral. Lib. XXXII. c. XXV.*
(6) *Apocal. XII.*

scopatum ipsum dixit, sed partem ejus a singulis teneri (a) *in solidum*; nunquam tamen independenter ab alia majore, ėt universali potestate. Enimvero pluribus judicibus delegari potestatem in solidum non repugnat, quin a delegante, aliove ob eam causam independentes sint.

Bellarminus eodem sensu ait: « Episcopatus unus est eo » modo, quo multi arboris rami sunt, una arbor; sicut ergo » in ramis unitas est ratione radicis unius, licet rami multi- » plicentur; ita Episcopatus unus est in radice, et capite » (*Petro*) quamvis multae sint Ecclesiae, multique particu- » lares Episcopatus.

Ipsa itaque Ecclesia (Romana), quae prima est, (argumentum urget S. Leo M. (1)) *ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*

Monarchicum demonstratum sacrum regimen, nec temperaturae demum aristocraticae obnoxium directe vindicatur (b). Etenim D. Thoma docente (2), soli Petro dixit Christus: *tibi dabo claves regni coelorum*, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiae unitatem; unde judicio, ac providentiae illius non solum jurisdictionis finium constituendorum cura reservata est, sed ipsiusmet Episcopalis potestatis legitime exercendae modus quidem et ratio, quod monarchicum perfectum imperium Pontificis magis declarat.

Praeterea potestas Episcoporum etsi sensu catholicorum nostrae doctrinae adversantium immediate sit a Christo (quod, ut propugnent temperaturam aristocratiae, provocare satagunt) id tamen nostrum argumentum non infirmat; esto sit a Christo immediate, subordinata tamen semper intelligitur vicario Christi; cura enim finium constituendorum jurisdictionis Episcoporum, et modus legitime eam exercendi, judicio ac providentiae Pa-

(a) Episcopi proinde non meri consiliarii Papae, in conciliis veri judices sunt controversiarum fidei, verique legislatores, nec ob id monarchiae Papae aliquid detrahunt.

(b) In concilio olim Trid. quaestio, tum de forma Ecclesiae Monarchica, tum de Episcoporum institutione, et auctoritate, immediatene a Deo ea sit, an a Rom. Pontifice, acriter, diuque versata est. Sed neutra finita est, agente praesertim Cardinali a Lotharingia. Quippe inter theologos catholicos disceptationes illae inclaruerant, non inter catholicos, et haereticos, quem ad finem Concilium coactum fuerat.

(1) *Epist. XII.*

(2) *Lib. IV. contra gentes c. LXXVI.*

pae reservata, immediate ab eo derivant; uti antea cum D. Thoma monitum fuit, ipsis adversariis non abnuentibus, humanae institutionis esse illa (*a*): ergo quaecumque sit potestas Episcoporum, semper subjecta erit, ob idque monarchicum Ecclesiae regimen temperatura aristocratiae affectum non demonstrat. Num Episcopi praecellentia gaudent super universum orbem quoad aliquid? vel jurisdictionem habent in totam Ecclesiam, ut plenitudinis potestatis Papae participes sint, utque aristocratia temperatum hujus regimen dicatur? Ex jam dictis absurdum id esse patet; quin imo in partem sollicitudinis vocati unius ovilis, hujus Pastoris imperium aristocratia temperando, sensu catholicorum si non destruerent, saltem obnubilarent. Temperationem vero aliquam aristocratiae ex concilio oecumenico nec accipere regimen Papae, clare patebit mox, cum illum concilio superiorem esse demonstrabimus.

Nec ex eo quidem, quod pure monarchicum est sacrum regimen, ideo ultra modum extendi, et grave esse fidelibus potest inferri, utpote nullis limitibus circumscriptum; antequam enim hos limites adversarii ad temperandum illud ex verbis sive traditis, sive scriptis, nobis demonstrent, quod revera nunquam demonstrare poterunt; facile nobis erit, salva monarchia absoluta, modum, et mensuram ejusdem intelligere, ne ultra extendi credatur, quam expediat, aut noxia dicatur, ac destruens potestatem praesertim Episcopis concessam. Ipsa ratio scilicet sacrae monarchiae, qua Ecclesia est una, sancta, catholica, et apostolica, illud nobis praestat.

(*a*) Nullam certam gentem, aut partem constat fuisse a Christo singulis quibusque Apostolis designatam. Hos potius ad gentes, quas docuerunt Spiritus Sancti afflatu, consensu totius collegii, et in primis Petri auctoritate missos scimus. Nec ipse quidem S. Jacobus Ecclesiae Hierosolymitanae praefuit tamquam Antistes ejus a Christo institutus.

Potestas Papae supra concilium defenditur; *proindeque a sententia illius non dari appellationem ad futurum concilium.*

Cum de primatu Romani Pontificis agitur, ait Eminentissimus Bellarminus (1), de summa rei Christianae agitur. Nostra ergo refert heic paullo accuratius immorari, et DD. Gallicanorum systema ante saeculum XV inauditum, evertere, quo pontificium primatum, dum verbis summo prosequuntur honore, re tamen vera labefactare conantur. Concilio enim generali subjiciunt illum, cujus est pascere, et regere Episcopos ipsos, atque confirmare ex Christi institutione; cujus claves non ad conclavia solum aperienda, vel claudenda traditae fuere; sed ad indicandam universalem jurisdictionem Petro, et successoribus ejus concessam. Id enim significant illa verba: *tibi dabo claves regni coelorum.* Debile tamen est, et inane effugium illud adversariorum, quo usi sunt, ut suas opiniones ipsa novitate tuerentur; Episcopos nimirum, ajunt, dispersim subjectos esse Papae; in concilium vero coactos, eo quod sic Ecclesiam repraesentant columnam, et firmamentum veritatis, ipsi Papae praestare. Ast quaenam erit haec Ecclesia sine suo capite? ubi reperire illam fas erit sine sua petra fundamentali, Vicario Jesu Christi? et quod magis est, quomodo Ecclesiam Christi in caput suum insurgere, atque illi dominari concipi potest? In caput, inquam, quod Petra, fundamenti loco, positum fuit ad ipsius Ecclesiae unitatem firmandam, atque conservandam? Induci ergo in animum nequit, posse usuvenire, ut vel in negotio fidei, vel in legibus ferendis omnes Episcopi, aut plerique catholici ab illa unitate recedant, et unitatis centro, ut judicent Papam. *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Ecclesiam) juxta Christi promissionem; quia super petram aedificavit illam; fingi ergo non potest, ut totum aedificium a suo fundamento dimoveatur, sive ut Papa, et Ecclesia, quam repraesentarent Episcopi in concilio juxta sensum Gallorum, dissideant inter se.

Age: appellet aliquis a sententiis Papae ad Concilium. Quis erit Judex Papae? Quis illum damnabit, si renuet? Quis li-

(1) *In praef. de Rom. Pontif.*

gabit illum? Sine consensu Papae, judicium Concilii nonne erit contra ipsum jus naturae? et quod caput est, quid de unitate Ecclesiae erit?

Adhaec, ipsis DD. Gallicanis faventibus (a), monarchicum est regimen Papae; inappellabile ergo fateantur illud, oportet. Quod ita se res habeat, argumentari juvat ex ipsis principiis eximii Bossuet, qui (si genuinum ejus opus est *Defensio Cleri Gallicani*, quae non paucis ab ejus morte annis typis fuit mandata) sententiam, quam oppugnamus, mordicus defendit. Ait enim (1) « Princeps rationem referre non debet legis » suae; absoluta enim debet esse ejus auctoritas, cum possit » quis aliter e sua manu effugere, ideoque nec ipse Princeps » mala coercere posset, nec bona prosequi »: Paucis vero interpositis subdidit: « cum Princeps judicat, nullus alius, » qui judicat, est. Deus etenim ait (2): *Non judices contra ju-* » *dicem.* Eo ergo vel magis contra regem, scilicet summum » judicem. Ratio autem ex eadem Scriptura habetur, nimi- » rum *quia secundum quod justum est, judicat.* Hoc tamen » non quod revera ita sit semper, sed quod ita semper prae- » sumitur, eo quod nullius sit judicare, aut ad Lydium la- » pidem excutere judicium ejus. Principibus ergo quasi ipsi » justitiae obsequendum est, aliter nec limes erit, nec ordo » hisce in rebus.... Ipse Princeps se corrigere potest: contra

(a) Ipse praeclarissimus Bossuet *Serm. de unitat. Eccl.* t. VI. p. 14. 22. 31. docet super cathedram Petri esse plenitudinem potestatis apostolicae: cum Papa impetitur, totum Episcopatum periclitari: potestatem multis datam, ipsam per se limitationem inducere in ipsa divisione; contra, cum data est uni, et super omnes, et sine limitatione, plenitudinem importare; Papae esse summum imperium: Ecclesiam fundatam esse super auctoritatem ejus. Hinc DD. Gallicani damnarunt Novatores autumantes aristocraticum regimen sacrum; quod Fleury aperte docet damnatum Romae, et in Gallia. Mirum tamen ipsos Protestantes confiteri, quod Catholici negant; Moshemius enim in dissert. *de Gallicorum appellationibus ad concilium universae Eccl. unitatem tollentibus* ita scribit: « Quod universis, et singulis Ecclesiis praeesse » Pontificem dicunt, non universae Ecclesiae; idem mihi videtur, ac si » quis affirmasset, membra quidam a capite regi, non vero quod ex mem- » bris constet corpus, aut urbes quidem omnes, villas et praedia subesse » regi, non vero, quae his continetur, ipsam provinciam ».

Sic et Pufendorfius in *dissert.* miratur, ab illis, « qui sedem Rom. *cen-* » *trum* credunt omnium Ecclesiarum, Papamque Oecumenicum Episcopum, » posse existimari Concilium supra Papam ipsum »; subjungens, « id » non parum absurditatis habet, quum status Ecclesiae monarchicus sit, » dum Concilium supra Papam statuendo, statuitur mera Aristocratia.

(1) *Politica tratta dalla Scrittura in 4.° Parigi 1709.*

(2) *Eccl. VIII.*

» auctoritatem ejus nullum remedium, nisi ipsa sua aucto-
» ritas ».

Ex quibus principiis ineluctabile prorsus exurgit argumentum; sic enim concludi potest. Ergo absoluta est auctoritas Papae: obsequendum ergo ei principi totius Ecclesiae; aliter nec limes, nec ordo erit in ea. Nec *appellatio* datur a sententia Papae ad concilium, ne quis sic effugere possit e manu ipsius, utque mala averti, et bona promoveri possint in Ecclesia. Cum judicat ergo Papa, nullus est alius, qui judicet. Si justum judicium regis praesumi debet; maxime omnium illud Papae erit justum habendum; quod enim non est datum aliis Principibus, Papae dedit Christus; scilicet pascere praesertim doctrina ovile suum, et fundamentum esse, cui una fides innititur indefectibilis Ecclesiae.

Insuper ultimum Tribunal in unoquoque regno necessarium esse, ipsa natura dictat; quod quidem, sensu adversariorum, nonnisi in Concilio generali statutum recognosci deberet; sed hoc infestum certo esset Ecclesiae continuis tempestatum fluctibus exagitatae; per intervalla enim, quae unum ab altero concilium separant, illo necessario Tribunali careret. Ad haec Concilia generalia non sunt periodica, sed accidentalia; imo, hac animadversa ratione temporum, quasi impossibilia (*a*): non ergo Concilia Tribunal ultimum Ecclesiae possunt esse; proinde illud in sententiis Papae necessarie reponendum est.

Hoc facto ipso confirmatum videmus: spatio quidem undeviginti saeculorum, nonnisi decem, et octo Concilia generalia celebrata fuere, quae nunquam damnarunt, quod a Pontificibus judicatum erat; nec ad illa confugientes unquam meliorem suam fecere causam; et tamen emergentibus maximis Ecclesiae negotiis Papa providit semper, et superabunde: universa Ecclesia ipsa ejus sententiis stetit: omnem litem sic finitam fideles tenuerunt: adhuc una est Ecclesia, sancta, catholica, et apostolica.

Nostri demum instituti ratio postulat, ut ex omnibus, quae

(*a*) Cum enim in plura regna orbis sit divisus, haud facile Episcopi in Concilium convenire possunt. Imo quis non videt, talia posse exoriri impedimenta, ut ita legitime celebrari non possint Concilia, ut de eorum legitimitate nulli fas fuerit dubitare? quot, quantaque de libertate suffragiorum suspicarentur omnes, quum diversis Principibus diversa sentientibus Patres subjiciuntur?

opponuntur, saltem duo caeteris graviora dissolvamus, dispotismum scilicet; quod remedio appellationis ad Concilium creditur everti; et canonem Concilii Constantiensis quod palmare putant argumentum.

Ad primum tamen juvat respondere verbis auctoris minimè suspecti Kenc. Christ. Seckenberg (1), qui docet: « jure affirmari » posse, ne exemplum quidem esse in omni rerum memoria, » ubi Pontifex processerit adversus eos, qui juribus suis inten- » ti, ultra limites vacari in animum non induxerunt suum (*a*) ».

Praeterea dicant nobis, judicavitne unquam Papa inauditis partibus; imo judicavitne aliquando quemquam, nisi paterne antea ageret cum illo, nisi mediis omnibus prius adhibitis, quibus se Pastorem, et Christi Vicarium praeseferret in judicio? Exemplum unum nec certe in memoria hominum reperire adversariis licebit; proinde non est, cur de dispotismo tantopere timeant.

Cur autem minus fiduciae in summo regimine Papae, quam Principum saecularium habent, cum nemo unquam ex Principibus magis, quam Papa sub tutela legum, summum tenuerit imperium; quibus omnibus addere non abs ré erit verba Addisson (2): « nullus, inquit, ex insanioribus hostibus S. Se- » dis audet negare, ipsa scilicet testante historia, nullum esse » bonum, quod sapientia, virtute, scientia praeferri possit bo- » no Romanorum Pontificum (*b*) ».

Quoad can. IV autem Concil. Costantiensis, quo Papa subditus fuit Concilio, quodque falso confirmatum asseritur a Martino V, reminiscamur oportet, quibus adjunctis obstricti Episcopi canonem illum edidere, nimirum ab effraenatis cupidi-

(*a*) Idem Bossuet « Sanctam sedem, inquit, semper paterne agere: a primis » Ecclesiae temporibus ipsum Papam leges observasse ».

(*b*) Addisson ipse citat. loco sic describit Papam, de cujus fiducia audent dubitare adversarii: « Papa ordinarie maximae virtutis est, atque doctri- » nae, aetate maturus, atque experientia: rarissime arrogantia tumidus, aut » aere alieno cupidus, liber a negotiis non suis, nec difficultatibus involu- » tus uxoris, filiorum, ac perincommodae amicitiae ».

Nec minus ad rem advertit ipse Gibbon, *Della Decad*. l. XIII. c. LXX., quod si nullo motus partium studio utilitates, atque defectus regiminis Ecclesiastici aequa lance ad trutinam quis revocet, profecto laudibus extollendum judicabit, propter dulce atque humanissimum Romani Pontificis ministerium, in quo neque juventutis ardor, unde luxus amor, atque bellorum existit, neque pravorum affectuum sunt pertimescenda mala.

(1) *Meth. jurisp. add. IV. de libert. Eccl. germ.* §. *VI.*

(2) *Supp. a' viaggi di Misson pag. 126.*

tatibus Europae conturbati, divisi nationibus, particularibus curis inter seipsos oppositi, cunctatione fraeti, contradictionibus impotentes, a Cardinalibus avulsi, sine centro, ducti potius a Principibus saecularibus. Quid inde mirum, si ad finiendum schisma, quod Ecclesiam vexabat (tribus enim factionibus, et tribus Papis Joanne XXIII, Gregorio XII, et Benedicto XIII orbis catholicus divisus erat.) Papam esse sub Concilio asseruerint? mirum potius, quod Galli elementorum ad legitimum Concilium generale celebrandum obliti, quibusque caruit concilium Constant., cum canon IV exaratus fuit, ab hoc tamen argumentum ducere praesumant.

Insuper reminiscantur, oportet, quod, ut Cardinalis Turrecremata observat: Costantiense Concilium tria tempora habuit; primum, in quo sola obedientia Joannis XXIII Constantiae convenerat; secundum, cum Gregorius XII juri suo cedens Concilio se conjunxit; tertium, cum obedientia Benedicti XIII nova facta convocatione Concilii eidem se conjunxit. Nullus autem dubitat quin sola obedientia Joannis XXIII constituere non potuerit Generale Concilium: at laudatus canon, et decreta, quae opponi solent, tunc edita fuerunt; huc etiam accedit quod Gregorius XII, et Bened. XIII in plena Congregatione se opposuerint indicatis decretis, ut testatur idem Turrecremata, qui cum esset in minoribus, praesens fuit Concilio. Martino vero V Papa electo, et coadunatis omnibus illis ipsis factionibus unanimiter die 30 mensis decembris decretum editum est sess. XIV: nimirum Papam reformaturum esse Ecclesiam et quoad caput, et quoad membra juxta aequitatem et bonum regimen Ecclesiae.

Demum Papam die 22 Aprilis ann. 1418 sess. XXV scimus adprobasse, quae Concilium istud decrevit; sed iterum admonuit adprobasse quoad ea tantum, *quae fidem respiciunt*, et quae fuerint *conciliariter* acta: idque postquam sua Bulla jam decreverat a sententiis Sanctae Sedis appellari non posse; illamque judicem supremum esse.

CONCLUSIO QUARTA.

Pontifex Rom. in controversiis fidei, et morum judex infallibili est, cum ex Cathedra (a) decidit.

Summi Pontifices, ex quo ad sedem Petri evecti sunt, sicut humanam non exuerunt naturam, ita neque humanam agendi, opinandique rationem deponunt (b). Inde praemittunt saepe pro more scholasticorum, rationes dubitandi secuturae decisioni contrarias. Sacra quidem illorum potestas, cum non semper necesse sit omnia statim definiri, approbari, vel condemnari, diversis mediis exercetur; ubi tamen, singulari adsistentia divini Spiritus ex Christi promisso implorata, ex cathedra de fide loquuntur, habendi sunt infallibiles.

Et sane Ecclesia aliquo semper indiget, a quo confirmetur, ne deficere possit in fide una (c), quae, licet insolescentibus hominibus, atque cupiditatibus effraenis adversa, indefectibilis tamen est. Quapropter Christus ait (1): *Simon*

(a) Quod non scholasticis tantum, sed et antiquissimis PP. usitatissima est vox *cathedrae romanae*, vel *apostolicae*, patet ex Ballerinio in oper. *de vi ac ratione Primatus RR. PP.* XIII. qui advertit nomine *cathedrae romanae*, vel apostolicae omnem denotari auctoritatem Apostolicam ex divino primatu manantem, primario tamen ad fidei doctrinam circa veritates theoreticas, vel regulas praticas significandam. Imo appellatio cathedrae praecipue desumpta videtur ex verbis Christi Matth. XXIII. 2.

Ex cathedra vero loqui dicitur a scholasticis, nempe tanquam publicus doctor, et supremus Ecclesiae Legislator, ut unitas fidei servetur, et ut ex praecepto Christi Petro imposito fratres confirmentur.

Ut autem definitionem fidei edere censeatur Rom. Pontifex, opus est primo, ut invocata Spiritus Sancti adsistentia, res ipsa, quae definitur, tamquam ad fidem, aut jus divinum pertinens attingatur: secundo ut praecipiatur aliquid credendum, aut tenendum tamquam ad fidem, aut jus divinum pertinens; vel reprobandum tamquam errorem fidei, aut juri divino repugnans. Quod praeceptum ita exprimi solet, ut ii, qui aliter sentiunt, a catholica sive romana fide abesse, aut ab Ecclesiae romanae communione, et unitate separati declarentur, atque anathemate percellantur; aut ut, propositiones damnatae, haereseos, vel aliis aequivalentibus censuris inurantur.

(b) Praemonitum volumus verbis praeclarissimi Ballerinii c. XV. §. X., quod apud non paucos praejudicium obtinet, quo omnia Pontificum dicta, vel scripta, tamquam fidei definitiones existimantur: at hac ratione, dum ipsis Pontificibus favere nimium volunt, potius obsunt, adversariisque pontificiae inerrantiae, plurium oppositionum occasionem praebent.

(c) Judex enim controversiarum fidei non est ipsa Scriptura, cujus sensus interpretratione indiget: privati autem homines, aut saeculares Principes quamvis probi, et docti, huic oneri sunt impares; infallibilis etenim esse debet interpres, ut infallibiliter credi possit, quod interpretatur.

(1) Lucae *XXII. 33.*

Simon (*a*) , *ecce Satanas expetivit vos , ut cribraret sicut triticum. Ego autem pro te rogavi* (*b*) , *ut non deficiat fides tua* (*c*) : *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*d*).

S. Leo (1) exponens allatum scripturae locum sic arguit : » Specialis cura Petri a Domino suscipitur, et pro fide Pe- » tri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior » sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo » omnium fortitudo munitur ; et divinae gratiae ita ordinatur » auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, » per Petrum Apostolis caeteris conferatur ». Vides hinc duo privilegia agnovisse Leonem 1. ut non posset veram fidem unquam amittere, cum ait : *Si mens Principis victa non fuerit* ; 2. ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam docere

(*a*) Sic repetitum nomen graece habetur.

(*b*) Causam orationis exprimit, quam non pro solis apostolis fecit, sed pro omnibus, nimirum pro ipsa Ecclesia usque ad consummationem saeculorum exposita cribro Satanae. Hinc donum impetratum Petro ad successores etiam pertinet.

(*c*) Effectus orationis non est charitas, nec accipitur pro sola perseverantia Petri; sed pro indefectibili sua fide, ut ab illa omnes edocti essent. Non enim perseverantiae donum omnes habuere successores, pro quibus adprecatur Christus. Dixit proinde, ut non deficiat fides tua, non caritas tua; et reipsa scimus defecisse Petri caritatem, quando negavit Christum, fidem nunquam defecisse scimus! Dicitur autem perseverare usque in finem etiam ille qui licet interdum cadat, tamen resurgit. At Petro impetravit Dominus, ut non posset unquam cadere; quod ad fidem pertinet.

(*d*) Exercetur hoc jus, et exercuerunt semper Pontifices inspiciendo, examinando doctrinam de rebus fidei, judicando, approbando, condemnando doctrinas, et doctores, ferendo leges, praescribendo professionem fidei, prohibendo libros, et alia hujus generis.

Modus vero, quo exercetur potestas judiciaria in tuenda eadem doctrina fidei, ac morum, atque jus divinum positivum declarando, non idem semper est; aliquando etenim Pontifices de proposita quaestione in utramque partem disputant, et quid ipsi amplectantur prae ceteris, docent; aliquando scholarum contentiones, imposito utrique parti silentio, supprimunt; aut utrique suam tuendi opinionem jus dantur, sic tamen ut a censuris mutuo jaciendis abstineant. Adhaec cum reprobatur doctrina, ea fere *qualificari* solet, nimirum certae censurae qualitate. De quibus vide c. III. concl. I. tom. IV. not. pag. 201. Quando vero ultimato quidquam definitur tamquam fide divina tenendum, id ita fieri patet, ut assensus internus fidelium exigatur, qui ex obligatione naturali praestandus sincero animo est; illique non modo aliter docere, vel loqui, sed etiam aliter sentire prohibentur. Hinc merito Alexander VII in Bulla *Ad Sanctam* (datam 15 Octob. 1656), postquam iterum damnavit Jansenianas propositiones subjunxit, « Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis propo- » sitionibus *sentire*, *docere*, *praedicare* aliter praesumant, quam in hac » praesenti nostra definitione continetur, sub censuris etc. ».

(1) *Sermo 3. de assumpt. sua ad Pontific.*

aliquid contra fidem ; sive ut in Sede ejus nunquam inveniretur , qui doceret contra veram fidem , cum subjungit : *Firmitas , quae per Christum Petro tribuitur , per Petrum caeteris conferatur.*

Innocent. III argumentum ipsum roborat ; ait enim (1) : » Majores Ecclesiae causas , praesertim articulos fidei con» tingentes , ad Petri sedem referendas intelligit , qui novit » pro eo Dominum exorasse , *ne deficiat fides tua* ». Addesis promissionem Petro factam (2) : *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam , et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Petra ratione constantiae , et soliditatis non frangitur , nec circumfertur omni vento doctrinae , scilicet non errabit in fide , saltem quatenus petra est , nempe Pontifex est. Petram dixit idest fundamentum aedificii, quod nullo modo possit ruere. Unde totius Ecclesiae, et latinorum , et graecorum PP. totiusque Concilii Chalcedonensis consensu, Petrus appellatur petra, et crepido Ecclesiae Catholicae. *Secundum metaphoram petrae* , ait Hieronym. (3) , *recte dicitur ei : aedificabo Ecclesiam meam super te.* Ecquomodo igitur fundamentum destrui potest , quin domus cadat ?

Demum ipsa constans experientia pro re nostra facit. Rufinus pro omnibus sit, qui in expositione symboli recte dixit, quod adhuc dicere nobis fas est : *In Ecclesia urbis Romae neque haeresis ulla sumpsit exordium, et mos ibi servatur antiquus.* Id de omnibus aliis sedibus Patriarchalibus dici non potest ; nam omnes a fide defecerunt ; et quidem in Costantinopolitana defecit a fide Macedonius , Nestorius , Sergius. In Alexandrina similiter fuit Georgius , et Lucius Ariani , Dioscorus Eutychianus, aliique : in Antiochena Paulus Samosatenus haeresiarcha fuit, Macharius Monothelita, et alii : in Hierosolymitana Eutychius , et Hilarius, aliique sederunt Ariani. Nihil tamen tale fuit in Romana Ecclesia. Contra Pontifices damnárunt sine concilio generali haereses ut Apollinaris , Pelagianam , Priscillianam , Jovinianam , aliasque, quas eo ipso pro veris haeresibus tota Christi Ecclesia habuit , exhorruit, damnavit (*a*). His positis quis infallibilitatem, quam defendimus Ecclesiae , neget , nisi sub irradiante sole coecutiens.

(*a*) Confer Zaccariam T. III. l. I, c. III. in Antifebronio, ubi multis exem-

(1) *Epist. ad Episc. Arelatensem : et habetur cap.* Majores extra *de bapt. et ejus effect.*

(2) Matth. *XVI.*

(3) Matth. *cit. cap.*

Non solum in decretis fidei errare non potest summus Pontifex, sed neque in praeceptis morum; erraret enim aliter in rebus necessariis tota Ecclesia, cui Christus dixit (1): *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: at praecepta sint, oportet, quae toti Ecclesiae praescribuntur, et non peculiaribus personis; in particularibus enim judiciis non est absurdum posse Pontificem errare: velut inerrans et infallibilis est in legibus ferendis ad salutem necessariis (non autem esset erroneum in aliis legibus dicere illum posse similiter errare). Uno verbo in jure divino positivo declarando nec erret, oportet; aliter nec sancta esset Ecclesia ob sanctam ejus professionem, sicut revera est; quia doceret aliter falsum, et praeciperet malum.

Mirum autem, quod allatum testimonium de Ecclesia potius, quam de Petro intelligendum blaterant Gallicani DD. ita ut promissio infallibilitatis non de eo, sed de ipsa Ecclesia intelligi debeat; Dominus enim unam tantum personam in illa designavit, quam iterum *Simonem Simonem* nominavit; inde addidit praenomen secundae solius personae *pro te — fides tua; et tu aliquando conversus confirma etc.* Quorsum haec, nisi ut intelligatur aliquid speciale Petro esse impetratum?

Accedit, quod Dominus coeperat loqui in *plurali* numero: *Satan expetivit vos*: deinde hanc mutavit formam loquendi: *Ego autem rogavi pro te.* Cur ergo non dixit pro vobis? nonne ut speciale donum designaret Petri, aliis non conveniens, etsi alios confirmans; donum, quo unitas fidei ab uno capite servaretur? *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quid absurdius, si haec verba convenirent Ecclesiae? Haec

plis ostenditur quod editis ab apostolica sede decretis, quae formalem expositionem fidei, et divini juris praeseferebant, controversiae in Ecclesia censebantur terminatae. Prae omnibus PP. hic sufficiat S. Aug. auctoritas lib. II. *Cont. Pelagium* c. III. qui ait: « per Papae rescriptum causa Pelagianorum » finita est, ac literis Innocentii tota hac de re dubitatio sublata est ». Et revera quandonam spatio 19 saeculorum Bullis Papae dogmaticis contradictum fuit, et a quonam? Quodque generale concilium contra illas judicavit? damnavere tamen, atque judicarunt illos, qui ab eisdem Bullis damnati jam fuerant. Et sane Jansenista fuit, qui damnavit Bullam *Unigenitus*: Lutherus Bullam *Exurge Domine.*

Male ergo utitur suo consilio aliunde laudabilis Fleury, qui asseruit, nostram doctrinam non invaluisse, nisi tempore Concilii Florentini, et auctorem illius fuisse Theologum Cajetanum sub Julio II.

(1) Joann. *XVI.*

tota perverti aliquando deberet, ut postea converti posset. *Confirma fratres tuos*. Quinam fratres fingi possunt Ecclesiae universalis si omnes filii ejus sunt?

Petro ergo promissum infallibilitatis fuit donum, ut ex cathedra doceret, atque ipsi fratres et Episcopi ab eo confirmarentur; Petro enim soli, non Petro, et concilio promissum illud fuit: sicut solus Petrus vocatus fuit *Petra*, et fundamentum Ecclesiae, non Petrus cum concilio. Ecclesia ergo docetur ab eo in fide, ut hanc infallibiliter teneat. Tota Ecclesia erraret, si Petrus erraret in fide.

Dicent forsan, quod non errabit, recursu, et appellatione ad concilium interposita? Quam male tamen, et inepte id asseritur, ex dictis antea patet; concilium enim non est supra Papam (1). Age sane ille recursus interponatur; quid interim de fide erit, usquedum concilium, (quod diximus non periodicum, imo aliquando impossibile), celebretur? consensus vero externus, quem jactitant sine interno, certe non prodest fidelibus; *corde* enim *creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem* (2). Nec provisionale decretum, quod obganniunt, similiter valet: et sane praeterquam quod vox provisionalis decreti inaudita multis saeculis fuit in Ecclesia, vel hoc erit infallibile, et inutilis recursus; vel fallibile, et insufficiens per sese erit (*a*).

Praeterea ultimum tribunal in omni monarchia necessarium penes Principem est, ita ut inappellabilis sit hujus sententia, idest practice infallibilis (*b*). Cur ergo non sicut infallibilis Principum saecularium sententia, ita et Papae? Certe infallibilitas illorum praesumptione tantum habetur; error tamen in saeculari monarchia, etsi possibilis, opponi non potest, nec debet, ut societas non dissolvatur: infallibilitas vero Papae non praesumptione tantum, sed ex Christi promissione etiam proficiscitur. Vel ergo negetur monarchi-

(*a*) Grotius ipse (*Votum pro pace Ecclesiae* art. VII.) advertit quod sine tali primatu, controversiae auferri non possent, sicut hodie apud Protestantes. Pufendorfius vero *De monarchia R. Pontificis* dicit: « auctoritate Papae sublata, furere Protestantes coepere in sua viscera ».

(*b*) Idem Bossuet (*unità della Chiesa*) « nulla ratione, ait, nulloque pacto » posse rebelliones Principum adprobari; ordo enim, et jussio Dei, necnon character omnipotentis honorari debet in omnibus Principibus, quicumque » sint; et Ecclesia sacrum illum esse in ipsis persecutoribus demonstravit ».

(1) Vide praecedentem Conclus.

(2) *Rom.* X.

cum regimen Ecclesiae, vel infallibilitas illa recognoscatur, oportet. Et re quidem vera Ecclesiae maxime omnium societatum hoc regimine opus est, ut sit, et permaneat una, sancta, catholica, et apostolica, regimine, inquam, quo gubernata est ab ortu suo, et sine ullo concilio jam a duobus prope saeculis subsistit, scilicet solis decretis, et constitutionibus Pontificiis. Contra indubium est, haereticos, et turbulentos homines definitionibus pontificiis non acquiescentes, nec generalium conciliorum definitionibus acquievisse. Ita prae aliis Ariani post Nicaenum, post Ephesinum Nestoriani suis erroribus pervicaciter adhaeserunt; et ita porro de aliis.

Non desinunt tamen adversarii multa congerere, ut opinionem suam factis ipsis eversam constabilire nitantur: et primo quod constitutio aliqua Pontificia revera subjecta fuit examini concilii generalis. Ast falso paralogismo laborant: et quidem examen duplex distinguendum, quod ipsi non abnuunt; nimirum instructionis, et confirmationis: simplicis adhaesionis unum, judiciarium alterum. Hoc tamen, quo abrogare potuissent Episcopi in concilium coacti Bullas pontificias, vel illis aliquo modo derogare; numquam hi, in concilium licet collecti usurparunt; verum fassi sunt per Pontifices, Petrum ipsum, sive Christum loquutum fuisse, ut in Chalcedonesi Synodo de constitutione S. Leonis contra Eutichen uno ore conclamarunt (*a*). Examen autem instructionis, et confirmationis, quod primatum Papae nunquam offendit, concessum dicimus aliquando quoad dogmaticas Bullas, ut magis magisque reciperentur, atque omnis species dispotismi, atque tumidioris fiduciae ab animis eorum exularet. Siquidem sicut per totum orbem diffusam Ecclesiam, cui Christus adsistentiam suam usque ad consummationem saeculi adpromisit in doctrina, quam tenet, erroribus obnoxiam non dicimus, si postea Conciliaribus decretis hæc comprobatur potius, ac firmatur, ut contra Pelagianam impietatem actum est; ita de Pontificia inerrantia arguendum. Praeterae nonne in Florentino concilio examini subjecta fuit quaestio jam in Lugdunensi soluta, nec tamen hujus decreta dogmatica infallibilia

(*a*) Leibnitz quaerenti Concilium Trid. a Papa confirmatum, declarari nullum, respondit Bossuet, Oper. *de recolligend. Eccl.* nihil aliud ad rem fieri posse, nisi ad examen externum illud revocare, sed nonnisi, ut explicetur tantum.

negant adversarii? Cur ergo offendit illos examen alicujus Bullae in aliquo concilio habitum, ipso Papa indulgente, praesidente, atque confirmante illud?

Quod demum errasse Pontifices in factis dogmaticis opponunt (a); hoc vel fundamento caret, vel extra limitem Cathedrae docentis reperitur, uti abunde demonstrant Bellarminus, Ballerinus, Orsi, aliique, et praesertim Gallus Tournely, cujus verbis nostram ducimus conclusionem absolvendam: » Non dissimulandum est, ait ille; in tanta testimoniorum » mole, quae Bellarminus, et alii collegerunt, nos recognoscere Apostolicae sedis, seu Romanae Ecclesiae certam, et » infallibilem auctoritatem; at longe difficilius est ea conciliare cum declaratione Cleri Gallicani, a qua recedere non » permittitur (b) ».

Non solum Pontifex errore judiciali non potest errare in fide, sed et Ecclesia Rom. errore personali; idest populus, et Clerus omnis errare non possunt, ne tota Ecclesia R. apostasiae nota afficiatur. S. Greg. Nazianz. (1) ad rem praeter alios PP. ait: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet ratam fidem, et semper eam retinet; sicut decet urbem, quae toti orbi praesidet, semper de Deo integram fidem habere.* Huic adde testimonium Martini V ex Bulla approbationis Concil. Constant. qua haereticos habere censuit eos, qui de Sacramentis, aut fidei articulis aliter sentiunt, quam Rom. Ecclesia sentit. Confer Bellarm. (2).

(a) Facta multiplicis sunt generis, scilicet historica, et personalia, quae nempe rei gestae veritatem, aut personae alicujus statum, conditionem, internum animi sensum, crimen, vel innocentiam spectant. Alia dicuntur dogmatica seu doctrinalia, quae nempe includunt aliquod dogma fidei, et illius relationem quoad aliquem librum, vel personam: ex. gr. cum dicitur: haeretica est doctrina Nestorii circa mysterium Incarnationis: haeretica est libri Jansenii doctrina quinque famosis propositionibus expressa; in his enim factum juri seu dogmati permiscetur, a quo post definitionem Ecclesiae sejungi et separari non potest. Alia demum facta sunt, quae ex ordinatione divina media sunt, sive instrumenta necessaria ad conservationem, et cognitionem doctrinae catholicae ex. gr. Traditio scriptis Ss. Patrum consignata. Hoc unum tamen monere non desistimus, quod in facto dogmatico, quod Ecclesia cum quaestione facti cum dogmate conjungit, factum dicitur a dogmate inseparabile *non absolute*, et antecedenter, ita ut unum sine altero absolute esse non posset, (stultus enim qui talia sentiat;) sed *consequenter* et ex hypothesi.

(b) De hac declaratione quid sentiendum, deinceps libro secundo videbimus.

(1) *In carmine de vita sua.*

(2) *De Rom. Pontif. lib. IV. cap. IV.*

CAPUT VII.

DE PRINCIPIIS ESSENTIAE JURIS CANONICI.

Principia essentiae sunt, quibus res ipsa intrinsecus constituta manet; regulae ergo ipsae juris canonici ad fidem, vel mores, aut politiam spectantes, quia materiam exhibent illius, insuper et formam demonstrant, qua intelligatur, scriptum sint, an non, principia essentiae juris canonici declarant (*a*). Et quoniam ex probatis antea principiis existentiae hujus juris, regulae illae vel a potestate divina, vel divinitus instituta manant; recte jus canonicum quoad suam essentiam aliud *divinum* dicitur, aliud *humanum* (*b*).

Divinae leges, quae Deum ipsum habent auctorem, vel *naturales* sunt, vel *supernaturales*, et *positivae*; prout Deus voluntatem suam aeternam, aequi, ac justi regulam, aut per rectam rationem promulgavit, aut revelatione libere eam declaravit, addendo ad ea, quae recta ratio ipsa praecipit, prohibet, aut permittit; ita jus positivum divinum habetur, quod vel utriusque Testamenti tabulis latum fuit, et *jus divinum scriptum* vocatur: vel traditione; et *positivum non scriptum* dicitur. Jus autem *humanum*, quod *ecclesiasticum* stricte dicitur, et *canonicum*, constitutionibus Pontificum constat, vel Conciliorum decretis; et canonibus ad mores pertinentibus, vel Patrum sententiis, et *scriptum* dicitur; non *scriptum* vero, quod consuetudines, receptosque mores spectat. Utrumque demum aut utilitatem singulorum, et commoda promovet, quod nimirum versatur circa negotia singulorum, obligationes fidelium, vel aliorum, quando seorsim, non collective considerantur, et *Jus canonicum privatum* dicitur; aut salutem reipublicae respicit, et *Jus publicum* recte nominatur; quod scilicet spectat directe gubernationem Ecclesiarum, et negotia ipsis communia; ut sunt jura, et officia Pastorum (*c*).

(*a*) Scriptura tamquam modus legibus accedit, nunquam illarum essentiam constituit; in utroque jure autem dicitur scriptum, quod rite promulgatum est, licet scriptis non sit mandatum; non scriptum, quod minime promulgatum est, etiamsi literis consignatum reperitur; ex illo Graecorum *Grafin nomus*, apud quos isthaec locutio non significat legem scribere, sed promulgare.

(*b*) Utrumque jus D. Paulus *ad Corinth*. c. VII. complectitur hisce verbis: *Praecipio non Ego, sed Dominus*, en divinum: *Coeteris Ego dico, non Dominus*, en humanum.

(*c*) Cuique societati regimine aliquo opus est, auctoritate nempe, qua ad

Non est, cur Professor Phillips, alias laudabilis, hanc distinctionem reprobet, ne Ecclesia a jure naturae, et civili orta, ut ipse ait, hujus arbitrio subjici, ac ejusdem conditionibus posse infirmari videatur; nam Ecclesia, quae societas est perfecta, independens, omni praedita vi ad finem assequendum suum, rationem publicam, et privatam non excludit; quapropter relationes ei negare nequeunt analogiae cum cujusque veri Status forma, et essentia, ex qua analogia recta methodo distinguit jus suum in publicum, et privatum, quin naturam profani Status politici illam habere inferri possit; imo tali distinctione error Protestantium magis effulget, quos omnis idea supremae potestatis Ecclesiae offendit. Et revera societas quaeque, sicut legibus, et regimine opus habet, quibus colligitur; ita et subditis, et rectoribus constet, oportet, quibus jura, et obligationes sint vicissim, unde ad finem suum dirigatur. Qua parte igitur jus sociale formam, et naturam societatis determinat, jura, et officia Praesidum statuit, *Jus publicum* recte dicitur; aut *politicum*, utpote ad bonum *esse* illorum spectans: qua parte vero subditorum ordinat relationes morales, et juridicas, quas inter sese habent, et cum societate, qua scilicet jura, et obligationes statuit singulorum, *jus privatum*, *civicum*, *communale* recte nominatur.

CONCLUSIO PRIMA

Juris naturae, et Gentium definitio enucleatur.

Jus naturae definitur ex D. Thoma (1): *Participatio legis aeternae in rationali creatura* (a). Unde recta ratio est me-

finem dirigatur suum. Hinc et rectorum auctoritas, atque eorum potentia, nec non jura, et obligationes ab his proficiscentes, ex natura, et fine ipsius societatis, et fundamentalibus juribus, ex quibus ortum habuit, ac speciali forma subsistit, determinantur. Ob id ea pars juris socialis, quae haec praestat, dicta fuit *jus publicum*, et a recentioribus *jus politicum administrativum*. — Jus nempe, quod formam, et essentiam determinat societatis, jura, facultates, et officia administratorum exhibet; atque declarat omnia ad bonum esse societatis spectantia. Contra, cum Particulares sint societati devincti, et sibimetipsis peculiaribus rationibus moralibus, atque judicialibus; hinc partem alteram juris socialis, quae *Jus privatum* dicitur, recentiores *civicum communale* dicunt, utpote privatos dirigit.

(a) S. Augustinus vero de hac in Deo considerata ait: *Lex aeterna est ratio*

(1) *1. 2. q. 91.*

dium, quo ratio divina, sive lex aeterna, et summa ejus voluntas leges suas naturae consentaneas aperit nobis. Igitur quae jus naturae praecipit, vel vetat, per se bona sunt, vel mala, et immutabilia; ne Deus sibi adversari videatur. Hinc etsi quaedam juris hujus ita constituta sint, ut mutationem aliquam subire videantur; tamen ob id revera non ipsum jus naturae mutatur, sed ea, de quibus jus illud constituit, quaeque mutationi sunt obnoxia (*a*). Denique quoad hoc jus, quia *lumine vultus* Domini signatum super nos (1), inexcusabiles sumus ex Apostolo (2) (*b*).

Quoniam vero, quae recta ratio dictat, vel perfecte, vel hypothetice, vel imperfecte obligant; inde officia, et jura naturae distinguantur, oportet, in *perfecta* sive *absoluta*, et sunt justitiae; puta Deum amare, seipsum servare, alios non laedere, suum cuique tribuere; vel *imperfecta*, et sunt humanitatis, atque beneficientiae; puta alterum, cum possumus, ope, et consilio juvare; vel *hypothetica*, et nunc justitiae, nunc beneficientiae sunt; puta mortem subire, ubi aliter peccatum declinari nequeat, urgente necessitate ad vitam sustinendam furari.

divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.

Cicero vero dicit: « haec lex est ratio profecta a rerum natura, et ad re» cte faciendum impellens, et a delicto evocans, quae non tum denique in» cipit lex esse, cum scripta est; sed tum cum orta est; orta autem simul » est cum mente divina ».

(*a*) Jus naturae vulgo dividitur in *absolutum*, et *conditionatum*. Primum illud est, quod ex rerum ipsarum essentiis derivat, quae cum sint immutabiles, immutabile quoque haberi debet jus, quod ex ipsis procedit; alterum autem dicitur illud, quod pendet ex certis conditionibus, vel circumstantiis, quibus positis, vel sublatis, diverso modo de rebus est judicandum: sic occisio vetita est hominis innocentis, nisi Deus auctor vitae, et in cujus dominio est hominis vita, voluerit aliquem vita privare. Eodem prorsus modo dicendum de re aliena. Haec distinctio quanti valeat, sapientiorum sit judicium. Non enim jus mutatur, quod prorsus est immutabile, sed res juri subjecta immutatur; ita in allato exemplo homicidium verum non habetur: potest enim Deus vitam homini eripere eo potius modo, quam alio: potest morbo, vel inopinato, vel ferro aliquo. Quis Deum accusabit? At de verbo nolumus quaestionem habere.

(*b*) Principia juris naturae primaria, puta bonum faciendum, malum fugiendum etc. per sese liquido patent, nec ab hominum pectoribus evelli possunt. Quoad secundaria vero, puta depositum reddendum etc. deleri ita possunt, ut facile in genere quis veritatem habeat, in specie errori adhaereat; sunt enim conclusiones ex illis primis principiis in praxim deductae

(1) *Psalm.* 4. (2) *Rom.* 1.

Praeterea status hominis moralis recta ratione regitur, vel quatenus ex natura est, vel quatenus a facto suo pendet; hinc duplex jus videtur oriri, nimirum *naturae*, et *gentium*; etsi alterum reapse distinctum non sit ab altero; ipsum namque jus naturae accommodatum gentibus est jus gentium (*a*); quod definiri potest complexio jurium, et obligationum, quae inter diversas gentes ab ipsa natura constituta sunt.

Denique monitum volumus, jus naturae, eo quod e cordibus hominum pravis moribus, et diuturna perversitate prope deletum fuerat, in Veteri Testamento jam scriptis mandatum fuisse, et a Christo ipso, qui illud venit non solvere, sed adimplere, magis explicatum, et confirmatum fuisse; proinde et ipsum juris canonici fontem esse, adeo ut in ejus principiis, (qualia sunt *honeste vivere*, *neminem laedere*, *suum cuique tribuere* etc.) fundamentum suum agat (*b*).

(*a*) Heic ratio gentis non significat familiam, sed integram civitatem, aut nationem, seu populum, qui ex multitudine familiarum, communi, ac summo imperio copulatarum constat, et ab alia ejusmodi multitudine, seu ab alia civitate independens est. Quapropter ipsum jus naturae accommodatum iri gentibus debebat, ut eas simul regeret.

(*b*) Dupliciter erratur hoc in argumento: alii enim jus naturae omnino alienum dicunt a jurisprudentia sacra quasi ei adversum: alii illud principem obtinere locum in ipsa docent, et ita ut omne jus sacrum definiri possit eodem naturae jure. Utrumque vitandum: nam primi scholae *traditionalisticae* sive *supernaturalisticae* addicti, extra modum contra Rationalismum Germanicum dimicantes ad oppositum extremum declinarunt. Hinc quod intrinsecum malum, et bonum non distinguatur ex libera, et positiva Dei voluntate, placitum esse Rationalismi dicunt. Alii intrinsecam constitutionem Ecclesiae evertunt, ac formam necessariam, et vim potestatis ejusdem denegant; haec etenim a libera Dei voluntate, revelationis ope colligi possunt, non ab ipsa natura. Utrumque errorem ut quisque effugiat, nostrum est statuere, quod 1.° essentia, et finis ordinis Hierarchici non jure naturae, colligitur, sed revelatione cognoscitur, quae vim et potestatem ipsi necessariam argumentatur; 2.° Ubi de rebus morum, et justitiae naturalis leges positivae desint, jus naturale illas moderatur; 3.° Quae juris naturae, vel juris Ecclesiae sint, distinguantur, oportet, cum haec mutationi obnoxia sint, illa immutabilia; 4.° Æquitatem canonum Ecclesiae jus naturae efficaciter demonstrat; 5.° In multis jus sacrum absolvit, ac fovet ea, quae legis naturalis sunt; multa sunt enim praecepta illius, quae huc vergunt, ut naturalia adimpleantur officia, determinando scilicet circumstantias, in quibus agere debeamus; vel salubriter prohibendo quaecumque periculum inducerent contemnendae legis naturalis; vel poenas spirituales decernendo in majorum criminum reos: uno verbo jure canonico sancitur omne, quod ad meliorem utilioremque administrationem ab ipsa natura rerum colligi fas est; quod autem ei contradicit, vetat. Quibus positis Nominalium principiis Okani doctrinam a Pufendorffio, Cocceo, aliisque Protestantibus restauratam, destruentem jus naturae, et ordinem inter ipsum, ac jus supernaturale facile erit evertere, necnon anti-Politicos ad jus naturae provocantes, ut a jure sacro

CONCLUSIO SECUNDA

Sacrae Scripturae Jus divinum positivum referunt.

Jus divinum scriptum est, quod Deus dedit Hebraeis, et Christus cunctis gentibus: extat autem in libris tum veteris, tum novi testamenti, in quibus omnibus suam Deus aperuit mentem circa ea, quae observari, vel vitari voluit ab hominibus. Quaecumque his duobus Testamentis continentur, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut ait Apostolus (1).

Sane autem omne jus ex his exeri, confirmari, ac illustrari potest; de omni enim officiorum, ac jurium genere docent, de privato cujusque, conjugum, parentum, dominorum, atque civium jure, de origine civitatum, et gentium praecepta tradere non desinunt. Praesertim vero de iis, quae juris publici Ecclesiastici sunt, de fundatione Ecclesiae, de potestate hierarchica etc. novum testamentum cavet, ita ut Bossuetus universam politicen seu artem regiminis ex hoc sacro codice optime explicaverit (a), ipsumque est sequutus praecl. noster Scotti Archiepiscopus Thessalonicensis nuper tristi fato reipublicae litterariae ereptus.

Ex V. testamento jus, quod emergit, in tres dividitur partes; nimirum 1.° in *praecepta caeremonialia*, quibus boni in ordine ad Deum reddebantur Hebraei, et edocebantur modos colendi Deum, praesertim sacrificio; 2.° in *praecepta judicialia*, quae bonos efficiebant in ordine ad proximum; ordinabant nempe regimen politicum Judaicae reipublicae, praesertim in

se subducant. O utinam et cultores veri essent juris, ad quod appellant! Ipsis verba Pauli repetere juvat *ad Rom. II. 14. 15. Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis etc.*

(a) In veteri testamento numerantur partes vel libri 45. in novo 27. universi 72. Ordo non semper chronologicus est. Ad quatuor vero classes spectato argumento, quod tractant, referuntur, 1.ae classis dicuntur *legales* seu Pentateuchus V. T. et quatuor Evangelia N. T. 2.ae *Historici*; in his ex V. T. liber Josue, Judicum, Ruth; libri quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, et libri duo Machabaeorum, ex N. T. Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti. 3.ae *Sapientiales* seu *morales*; ex V. T. Psalterium Davidis constans 150. Psalmis, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; ex N. T. quatuordecim epistolae Pauli Apostoli, Jacobi una, Petri Apostoli duae, Joannis Apostoli tres, Judae Apostoli una. 4.ae *Prophetici*; in his quatuor prophetae majores, duodecim minores V. T. et Apocalypsis Joannis Apostoli N. T.

(1) *Epist. ad Rom. XV. 4.*

ordine ad justitiam administrandam, tam in civilibus, quam in criminalibus; erat namque Theocraticum regimen illius: demum in *praecepta moralia*, illa nempe, quibus boni efficerentur, et praesertim praeceptis Decalogi in lapideis tabulis a Deo opportune traditis. *Loquar*, proinde dixit Domiuus ad Moysen (1), *tibi omnia mandata mea, et caeremonias, atque judicia.* Sed quoniam *necesse erat, ut translato Sacerdotio* per Christum, *et legis translatio fieret*, magna inter Sinagogam, et Ecclesiam differentia fuit inducta ex sacrificio praesertim novae legis, quod antiquis omnibus infinite praecellit: hinc judicialia, et caeremonialia praecepta sublata sunt: moralia vero adhuc observanda sunt, non tam vi promulgationis a Moyse facta quam quod a natura ipsa praecepta sunt (a). Scripturae autem novi Testamenti, in quo loquutus est Deus nobis per

(a) Caeremonialia quidem vaticinia, et figuras venturi Messiae nondum impletas significarunt, et legem suapte natura temporariam uni populo datam non semper pro eodem durare. Igitur quae leges caeremoniales, et typicae erant, utpote superstitiosae, sunt prohibitae, atque mortiferae. Attamen de tempore, quo caeperunt esse tales, disputatum fuit. Augustinus *Epist. 48. ad Hieronymum.* tria distinguit tempora. Primum ante Domini mortem, quo nec mortuas, nec mortiferas dicit; alterum a Christi morte usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, quo mortuas, non mortiferas illas declarat, ut Synagoga cum honore tumularetur; tertium denique fuit a solemni Evangelii promulgatione, quo et mortuae, et mortiferae factae sunt. Quae autem caeremonialia ad ornatum cultus divini, et dignitatem sacerdotii videntur instituta, recte ex his argumentum duci potest ad leges similes perfectiores faciendas, tuendasque contra profanos impugnatores. Legem revera coelibatus hoc argumento S. Hieronymus contra Jovinianum propugnavit « Nam et in veteri lege, dixit, qui pro populo hostias offere» bant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur, ad tem» pus ab uxoribus separati, et vinum, et siceram non bibebant, quae solent » libidinem provocare. Etsi hisce sacerdotibus uxores permissae erant, quia » modus perveniendi ad sacrum mynisterium fuit haereditarius. Imo contra cavillationes profanorum argumentum ducitur ex iisdem legibus, quando temere insectantur caeremonias ab Ecclesia institutas, variasque divini cultus solemnitates. Hinc caeremonialium, et eo vel magis judicialium legum spectari debet interna ratio, ob quam vel ad moralia reduci possunt, vel nova potestate Ecclesiae facta ob rationem potiorem, aut similitudinem quamdam restaurantur. Quapropter si quae judiciales adhuc vigent leges, hae servantur quod ab Ecclesia receptae sunt, non tamquam Mosaicae legis reliquiae, sed ut Apostolorum, et Ecclesiae mandata, vel quia naturam moralium legum habent ex. gr. lex Num. XXX. de potestate patris irritandi vota liberorum impuberum, quae refertur can. 14. et 15. XXXII. q. 2. etiam nunc obtinet utpote in naturali potestate parentum fundata. Nec mirum id esse debet, cum ipsas leges Romanorum in multis concordare cum legibus Judicialibus Hebraeorum constet. *Lege P. Pithaeum*; *Collatio legum Mosaicarum cum Romanis.* Unde advertit Suarez, has judiciales leges non sub jure divino, sed canonicis constitutionibus computari.

(1) *Deut.* 31.

Filium suum, ab Evangelistis, atque Apostolis, divino Spiritu afflatis, confectae fuere. Christus enim omnia verbo tradidit; nec scripsisse, nisi ea solum vice, cum coram adultera digito scribebat in terra, docet Augustinus contra Marcianum. Adhaec, hujus novi testamenti praecepta juvat similiter distinguere et in *moralia*; Christus namque ipse (1) confert novam legem moralem cum antiqua morali; et in *caeremonialia*, quae agunt de sacrificio, de sacramentis, ac de aliis hujusmodi; et in *judicialia* demum, quae per se, et aperte non docuit Salvator, sed suis Vicariis commisit, quibus jus ea ferendi dedit, uti antea demonstratum est.

Leges divinas ab homine immutari non posse certum est; neque enim homo major, aut par est Deo (a). Utrum vero Summus Pontifex possit aliquando ob justam causam in his dispensare, ut plurimum Theologi, et Canonistae, post D. Thomam (2) negant. Id vero non tollit, quod ille, tamquam interpres Juris divini, possit aliquando declarare praeceptum aliquod non extendi, nec locum habere in peculiari quadam et determinata materie, quod de juramento praesertim dictum puta, matrimonio rato, de vinculo spirituali Episcopum inter, et Ecclesiam etc. Haec enim etsi juris sint divini, Papa tamen remittit, atque commutat, ut suo loco videbimus. Et sane si res ita se non haberet, tunc deesset regimen Ecclesiae, quando rebus adversis, ac difficillimis temporibus premeretur.

CONCLUSIO TERTIA

Traditionum veritas asseritur, illasque ad essentiam juris sacri pertinere demonstratur.

Traditionem dicimus juxta P. Thomam Charmes esse doctrinam, fidem, mores, vel disciplinam christianam spectantem, quae in libris canonicis non est scripta; sed tantum Conciliis, aut unanimi consensu Ecclesiarum habetur (b). Non scriptis tan-

(a) Jus divinum positivum mutabile dici potest; quippe conformatum utilitati hominum, in certo statu viventium. Ejus duratio tamen nonnisi a Deo pendet. Ipse declaravit fore, ut vetus foedus novo tolleretur; *Jerem. XXXI. 34. et alibi.* Christus autem nullibi dixit ante consummationem saeculorum mutatum iri novum; imo servandum usque ad illam docuit.

(b) Etsi nomine traditionis ea, quae non scripto, sed viva voce populis nun-

(1) Matth. *V.*

tum verbis, sed traditis, jus divinum nobis prodiit; etenim lex, quam in visceribus scribendam promisit Deus (1), atque in cordibus fidelium, nec membranis tantum, mortuisque litteris consignanda erat, sed verbis ore prolatis, quae pectoribus maxime committuntur. Ipsa natura hoc consilium non praeteriit, quae terrae latebris pretiosiora commisit. Nec Deus antiquo, nec Christus novo foedere huic bono defuit; Moyses enim ad traditiones provocat, cum ait (2): *Interroga Patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi.* Sic et usquedum religio, et fides tradita scripturis sacris non fuit a principio praedicationis Christi, et discipulorum suorum, scimus Ecclesiam Dei edoctam verbo Domini non scripto; et maxime quidem prae multitudine fidelium indocta, et imperita. Imo et jam scripto verbo Dei, plurima, quae etiam fidem spectant, traditione tenemus; plurimasque regulas juris sacri sola traditione ab Apostolis ad successores manasse, dubium non est (*a*).

Praeterea ipsa divinitas scripturarum, authenticitas praesertim versionis, canon librorum, ceteraque hujusmodi aliunde cognosci non possunt, nisi traditione; quâ et ipse genuinus sensus verborum distinguitur. Judicium denique Ecclesiae, quod pro regula fidei habendum est, ne casu prolatum videatur, aut pro lubitu, traditione ipsa innitatur, oportet. Traditiones igitur juris sacri partes sunt, quod et objectum ipsius juris demonstrat; siquidem mores respicit, qui in quacumque communitate leges scriptas praecesserunt, vimque suam retinent citra ipsas scriptas leges.

Hinc praxis Ecclesiae, ut controversiae, quarum nullus in scripturis sermo occurrit, traditione dirimerentur; quod factum est in causa de die Paschatis; de validitate Baptismatis ab haereticis collati; baptismi puerorum, et baptismi per

ciata sunt, intelligimus, et Ecclesiae observata consensu, quasi per manus tradita ad nos pervenerunt; attamen sive divinae, sive sint humanae, hoc est, sive ad fidem spectent, et a D. N. J. C. procedant, sive disciplinam respiciant, et ab Apostolis oriantur, ad jus scriptum referuntur, iis exceptis, quae ab usu Ecclesiarum originem duxerunt.

(*a*) Tum quia etiam vigebat illo tempore disciplina arcani, de qua dictum Christi *Matth. III.* aliquot Doctores explicant: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos.*

(1) *Deuteron. XXXI. 22.*

(2) *Deuteron. XXXII. 7.*

aspersionem ; de quibus ne ullum verbum quidem in scripturis habetur ; immo et ipsi Pseudo-Reformati de sui baptismi validitate incerti manerent traditione eversa.

Theologis veritatem, atque necessitatem traditionum propugnandam, et ab haereticorum, atque Protestantium erroribus vindicandam relinquimus : sat tantum nobis erit verbis Trid. (1) hoc argumentum absolvere. « Salutarem, inquit, ve» ritatem, et morum disciplinam contineri in libris scriptis, et » sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apo» stolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae » ad nos pervenere (a).

Traditiones spectari possunt, et quoad materiam, et quoad formam, denique quoad originem. *Materia* traditionis est dogma, factum divinum, vel humanum, institutio alicujus ritus, juris, functionis ; *forma* sita est in testimonio, professione, aut usu et exercitio ejus dogmatis, facti, ritus, juris etc. Quoad *originem* tandem traditiones sunt vel *divinae*, vel *humanae*, atque hae aut *apostolicae* sunt, aut *ecclesiasticae* (b).

Traditiones, etsi analogae, atque affines sint consuetudini, moribus, observantiis ; stricte tamen distinguuntur inter se : *Mores* enim denotant actus frequentes, publicos, uniformes, et quodammodo inveteratos : *Consuetudo* jus moribus inductum consensu tacito legislatoris ; et differt in eo a traditione, quod haec non novum dogma, novam institutionem, ritum indicet ; sed testimonium de dogmate, vel ritu jam

(a) Traditiones divinae apostolicae coalescunt ex traditione omnium Catholicarum Ecclesiarum in eandem doctrinam conspirantium ; hinc esse illas universales patet. Etsi non obstet, quin peculiares Ecclesiae aliquando non consentiant, uti patet de causa baptismi haereticorum, de authentia sacrorum librorum etc.

Haeretici nomen accepere suum a propria inventione, aut electione in causa religionis. Protestantes novitate distincti, hostes cum illis necessario fuerunt Traditionum, quae et propriae inventioni et electioni opponuntur, quod enim traditum fuisse quis negat, eo ipso nuperrime id inventum, electum, aut recenter constitutum esse fatetur. Hinc Tertullianus *de praescript.* ait : « Haereses dictae graeca voce ex interpretratione electionis, qua quis sive » ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur..., Nobis vero nihil ex » nostro arbitrio indulgere licet ; sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio » suo induxerit. — Apostolos Domini habemus auctores ».

(b) Distinctio traditionum in mere - Apostolicas, et divino - Apostolicas quoniam nihil novi docet, imo potius originem confundere potest traditionum cum modo, quo propagatur, ideo de ea solliciti non sumus.

(1) *1. Sess. IX.*

alias instituto (*a*): consuetudo vero denotat jus novum non scriptum. *Observantia* demum tamquam forma traditionis, et consuetudinis, est testimonium moribus, et factis expressum de jure tradito, vel per consuetudinem inducto (*b*).

CONCLUSIO QUARTA.

Regulae traduntur, quibus traditiones divinae, apostolicaeque ab humanis distingui possunt.

Quoniam traditiones particularium Ecclesiarum, etiam divinae, atque apostolicae corruptionibus obnoxiae esse possint (*c*), hinc nonnullae regulae statuantur, oportet, quibus verae dignoscantur a falsis; et primo, ex Tertulliano (1) illa habenda est uti Apostolica, et Divina traditio, quae conspirat cum doctrina Ecclesiarum originalium, et matricium, quas nimirum Apostoli fundarunt (*d*).

(*a*) Quod testimonium situm est in publica professione, in doctrina Patrum, aliorumque Scriptorum, in gestis synodalibus, in usu perpetuo.

(*b*) Hoc praeterea praemonitum volumus; instituta nimirum, et praecepta Apostolorum duplicis esse speciei; alia temporaria, quarum ratio ad tempus fuit; ex. gr. abstinentia a sanguine, suffocato etc.; alia, perpetua, utpote causam habentia sempiternam in Ecclesia, puta aqua permiscenda calici. Insuper traditiones Apostolicas, alteras Apostoli a Christo Domino acceperunt, ex. gr. confirmationem, et matrimonium esse sacramenta; alteras vero, Spiritu Sancto suggerente, ad Ecclesiae utilitatem ediderunt, ex. gr. quadragesimae jejunium.

Demum animadvertendum quod a vinculo traditionum, quas Apostoli a Christo acceptas, fidelibus servandas reliquerunt, Ecclesia fideles eximere non potest; nec illas contraria aliqua consuetudine abrogatas fuisse patet. In quem sensum explicanda sunt duo illa capita juris: *Sunt quidem — Contra statuta Cap. XXV. q. 1.*

In aliis vero, quas Apostoli videlicet constituerunt tamquam Pastores Ecclesiae, poterit quidem Summus Pontifex, ut in ceteris Ecclesiae legibus, dispensare: ex. gr. in trina immersione in baptismate ec.

(*c*) Exemplo sit controversia de celebratione Paschae Ephesi celebrati a S. Joanne Apostolo, et successoribus ejus cum judaeis ex prudenti indulgentia ne istos offenderet: quod in pravum sensum detorquens Polycrates Ephesiorum Episcopus tempore S. Victoris Papae contendit hoc omnino ex lege evangelica observandum. Ita ibi corrupta fuit traditio.

(*d*) Id aevo nostro praesertim opportune cadit in Ecclesiam Rom. eo quod ex Irenaeo *l. 3. c. III. adversus haereses*: « ob principalitatem potentiorem Ec-» clesiae Romanae, omnes undique fideles, et omnes Ecclesiae cum ea in fi-» de consentire debent », ita ut cognoscere romanam traditionem, ac fidem, perinde sit, ac intelligere traditionem, atque fidem aliarum orbis catholici Ecclesiarum Apostolicarum. Dixi vero opportune in Ecclesiam Romanam;

(1) *De praescript. c. VII.*

Secundo ex Augustino (1) : Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est; nonnisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur.

Tertio; si quod fidei dogma Patres ab initio, juxta suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, hujusque contrarium ut haereticum refutarunt; quod tamen e sacris litteris non habetur, id nimirum est divinae traditionis; non enim nisi ex divina revelatione fidei dogmata habentur: talis est perpetua Beatae Mariae virginitas, etc.

Quarto; si unanimiter Ss. Patres doceant aliquam esse traditionem divinam, ita tenendum est, quamvis ejus materia Ecclesiae, et Apostolorum non excedat auctoritatem; aliter communiter Ss. Patres decepti, tota decepta esset Ecclesia; quod indefectibilitati ei promissae adversatur.

Quinto; si quidquam est nunc in Ecclesia communi fidelium consentione probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit; id ex Apostolorum traditione necessario derivatum est: puta vota dissolvere, juramenta remittere etc. quae cum sint juris naturae, sub potestate humana non cadunt.

Sexto; si viri ecclesiastici aliquod dogma, vel unam quamlibet consuetudinem uno ore tuerentur nos ab Apostolis accepisse; sine dubio certum argumentum est, ut id ita esse credamus.

CAPUT VIII.

DE JURE HUMANO.

Ex jure divino oritur jus humanum; quod recte in *civile* (a) dividitur, et *canonicum*: Utrumque distinguitur suis Constitutionibus, legibus scilicet, quae a supremo Principe communitatis sive sacrae, sive profanae emanant. De his sequentibus Conclusionibus disserere juvat.

eo quod in aliis, ubi successio Apostolorum ob incursionem barbarorum defecit, aut haeresi, vel schismate aliquando infectis, fidem esse inquinatam dubitandum saltem est.

(a) Civile jus, nimirum quod quisque populus sibi constituit, et cujusque civitatis proprium est, praeterimus; juris enim canonici provinciam, quam regimus, transcendit. Hoc unum tamen de eo fas erit observare juxta Benedictum XIV. in illo nempe, leges esse alias a jure sacro correctas; alias adprobatas, nec correptas, nec adprobatas alias esse.

(1) *Lib. IV. contra Donatist.*

CONCLUSIO PRIMA

Essentialia legis enucleantur.

Constitutio sive lex (*a*) ex D. Thoma (1) est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata, cum voluntate eam perpetuo obligandi. Lex ergo est rationabile decretum Superioris legitimi, subjectam sibi Communitatem obligare volentis ad aliquid faciendum, vel omittendum communis boni gratia, legitime promulgatum (*b*). Hinc quoad materiam, lex debet esse rationabiliter justa (*c*), idest juri divino negativo, vel positivo non opposita, honestati nempe non adversa, ideoque possibilis; item nec nimis ardua, alias nec nomen legis meretur (2); denique ut respiciat bonum commune, et sic differt a privilegio.

(*a*) Etsi saepe legis nomine jus civile utatur; recentioribus, quos sequimur, et legis, et constitutionis nomine uti promiscue arridet; essentia enim sunt eadem.

(*b*) Lex a praecepto differt 1.° quod illa datur Communitati, uti tali, hoc homini privato, et personis singularibus, 2.° lex per se est perpetua; mandatum expirat tum morte praecipientis, tum ejus, cui datum est; 3.° lex immediate afficit locum, et territorium legislatoris, praeceptum adhaeret ipsis personis immediate. Nihilominus lex, et praeceptum quandoque sumuntur pro sinonymis. Statutum stricte denotet legem particularem a Principe subordinato, vel magistratu pro loco particulari latam. *L. Mandatum cap. XV. mandati.*

(*c*) Notandum est, dari res nonnullas, quae in se, et semper justae erunt, ut praecepta naturalia, *honeste vivere* etc. aliquas vero res esse in se indifferentes, quae tamen dicuntur justae, si ad regimen, et salutem populi sint idoneae: injustae, si non ita. Potest vero esse, ut quod respectu unius populi sit justum, respectu alterius sit injustum: itaque cum dicitur legem debere esse justam, id intelligitur, ut sit talis in se, vel adaptetur utilitati civium. *Salus enim populi suprema lex esto*, ait Tullius *de legib. 2. n. 9.* Duplex ergo distinguitur justum, ait Suarez *loc. cit. n. 30.* unum secundum naturalem rationem, quod numquam deficit, si ratio non errat, et appellatur etiam aequitas naturalis: alterum legale, quod lege humana constituitur, et hoc licet in universali justum sit; solet tamen in particulari deficere, nec propterea lex injusta est; nam necesse est universaliter ferri, et defectus, ait Aristoteles, non ex legislatore, sed ex ipsa materia provenit. *Justorum* ideo, *vel injustorum distinctio* lex dicitur a Cicerone *loc. cit. num. 30.* et Apostolus *ad Corinth.* datam sibi dicit potestatem a Christo in aedificationem, non in destructionem. D. Thomas vero ait: *q. 97. 1. 2.* « dicun» tur leges justae et ex fine, quando ordinantur ad bonum commune; et ex » auctore, quando lex lata non excedit potestatem ferentis; et ex forma, » quando scilicet secundum aequitatem proportionis imponuntur subditis » onera in ordine ad bonum commune ».

(1) *1. 2. q. 90.* (2) *Cic. lib. 2. de Leg.*

» Constat profecto, ait Cicero (1), ad salutem civium, in-
» columitatem, vitamque omnium quietam, et beatam, con-
» ditas esse leges (a) ». Ad causam vero efficientem legis quod spectat, necesse est, ut feratur ab habente potestatem legislativam in alios tanquam subditos, seu in integram Communitatem perfectam. Hinc summus Pontifex ferre leges potest quoad universam Ecclesiam (b): a Pontifice dependentes, uti ejus Legati, intra limites suae Legationis (c): Cardinales in Ecclesiis sui tituli, in quibus jurisdictionem quasi Episcopalem habent: Episcopus in sua dioecesi (d): idem dic de

(a) Ulpianus *in lib. de reb. 2. D. de constit. Princil.* ait: In rebus novis constituendis evidens esse debet utilitas, ut recedatur ab eo jure, quod diu aequum visum est. Nec obstat, quod finis legis tendat in bonum privatorum, puta pupillorum, minorum etc. Nam hoc ipso quod favet pupillis, minoribus etc. saltem indirecte, et mediate cedit in bonum commune; hujus enim est has personas defendere privilegiis specialibus. Deinde hujusmodi leges non attendunt bonum singularium personarum qua talium, sed sub aliqua ratione communi, scilicet prout sunt pupilli, minores etc. qui constituunt aliquam communitatem. Caeterum licet aliquae existant sanctiones directae ad unam personam, et ad casum singularem, hoc ipso quod relatae sunt in corpus juris communis, se extendunt ad omnes casus similes, et vim legis communis sortiuntur. Ita DD.

(b) Siquidem certa fide credendum est *eum esse verum Christi vicarium: totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem, et doctorem; et ipsi in B. Petro pascendi, et gubernandi Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse.* Verba sunt Concilii Florentini, uti jam antea notatum fuit.

(c) Legati stabiles decernunt Leges in provincia, vel regno, ad quod mittuntur. Repraesentant enim potestatem legislativam Summi Pontificis, eorumque jurisdictio habetur in jure Canonico ut ordinaria, et major quam Episcopalis; *Cap. fin. de offic. Legati I.*

(d) Sacrosancta Synodus Trid. *Sess. 23. c. IV.* declarat « Episcopos, qui » in Apostolorum gradum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue » pertinere; et *positos*, sicut ait Apostolus, *a Spiritu Sancto* regere Eccle- » siam Dei, eosque presbyteris superiores esse ». Ipse usus perpetuus totius Ecclesiae confirmat unumquemque Episcopum in sua dioecesi potestatem legislativam habere. Et sane Ecclesiae Catholicae firmissimum dogma est, ait Benedict. XIV. *De S. D. lib. XIII. cap. 1.* « Episcopos esse superiores pre- » sbyteris, non solum ordinis potestate, sed etiam jurisdictionis. Ex eo » porro sequitur necessario posse ab illis leges ferri, quibus presbyteri, » etiam inviti, et reluctantes cogantur obtemperare ».

Quoniam vero, leges, et decreta ferri possunt vel *secundum jus commune*, quando scilicet ea, quae generalibus Ecclesiae legibus sunt praecepta, prohibitave, eodem modo inculcantur, et urgentur; vel *contra jus commune*, si quando ea prohibeantur, quae expresse sunt concessa communibus Ecclesiae legibus, aut vicissim prohibita, conceduntur; vel *praeter jus commune*, quando ea praecipiuntur, aut prohibentur, quae non attingunt leges generales; hinc quaenam leges, et decreta ab Episcopis ferri possint, explican-

(1) *Cit. lib.*

Archiepiscopo, qui tamen in Concilio Provinciali potest pro universa provincia condere leges (1).

dum ducimus. Et primo non deest potestas legislativa Episcopis, quoad ea quae sunt *secundum jus*. Illorum enim est earum legum observationi invigilare; et qui non obtemperant, rebelles existunt et in suum Praelatum, et in omnem Ecclesiam. Porro secundum legem imperant, quando circumstantias determinant, in quibus lex adimplenda est, aut similia. Secundo *contra jus* nullas ferre leges possunt etiam sub boni promovendi colore; et si ferrent, nullius roboris essent: quod et de jure scripto intelligi debet, et de consuetudinibus, quae aut in tota Ecclesia, aut in regno, aut in provincia vim legis habere censentur. Et re quidem vera Innoc. III. *Decretal. lib. 1. tit. XXXIII.* dicit « Sacerdotes tibi dioecesana lege subditos, qui ad tuam » Synodum venire contemnunt, dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid » statuendum quod canonicis obviet institutis, per censuras Ecclesiasticas » ad Synodum venire compellas etc. ». Id etiam clare eruitur ex Bulla *Auctorem fidei* Pii VI, in qua n. 7. haec habentur: « Doctrina Synodi (Pisto» rianae) in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter Eccle» siasticae disciplinae constitutionem, idque contra omnes contrarias con» suetudines, exceptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioe» cesis, majori gloriae Dei, et majori aedificationi fidelium* — per id quod » supponit Episcopo fas esse, proprio suo judicio, et arbitratu statuere, et » decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in » universa Ecclesia, sive etiam quae in unaquaque provincia locum habent, » sine venia, et interventu Superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae » sunt, aut probatae, et vim legis habent — inducens in schisma, et sub» versionem hierarchici regiminis, erronea ». Inde multa sunt exempla constitutionum episcopalium, quae ob eam rationem vi carere declaratae sunt. *Vide Bened. XIV. de Synod. lib. XII.* Immerito ergo quidam Episcopus statuebat irregularem esse, qui contempta censura ad superiorem ordinem ascendere praesumeret, cum eae solae irregularitates agnoscendae sint, quae a jure decernuntur. Pariter non potest Episcopus nova impedimenta matrimonii dirimentia instituere, quia nulla alia, quam ea admitti possunt, quae jure communi decernuntur. Sicque cum ann. 1626 Arch. Kioviensis decretum Concil. Trid. circa matrimonia clandestina non promulgatum apud Ruthenos, nulla facta mentione Concilii, suo nomine promulgandum existimasset, Romana Congregatio Concilii pronuntiavit constitutionem illam vi carere, aliaque remedia esse providenda. Juvat etiam heic observare cum Benedicto XIV. *lib. XII. cap. VIII.* quod tales quandoque emergant rerum circumstantiae a jure communi non praevisae, ut ex quadam Epikeja, seu tacita ipsiusmet juris permissione liceat Episcopo jus commune relaxare, seu aliquid *contra* ejusdem severitatem indulgere, praesertim si res dilationem non patiatur, nec facile Summus Pontifex consuli queat, ejusque summa auctoritas implorari.... Non ideo tamen fas erit Episcopo hanc facultatem ex juris indulgentia sibi competentem.... quodammodo ostentare, edicendo scilicet per modum universalis statuti, quod solum in aliquo specialissimo casu est sibi permissum.

Statuta demum *praeter jus commune* posse Episcopum condere non ambigendum est, et quaecumque ad disciplinam reparandam, et promovendam ipsi expedire videbuntur, praecipere, prohibere, poenas decernere; atque ex his statutis jus dioecesi proprium conflatur. *Vide Benedictum XIV. l. XII.*

(1) *Cap. II. de Majoritate.*

Insuper Abbates, vel alii Praelati in territorio, ubi jurisdictionem quasi Episcopalem obtinent (1). De Capitulo de-

cap. VI. qui multis exemplis hoc comprobat. Vide et eundem Pontif. *lib. XI c. IV. et V.* ubi, ut novitatis, vel nimiae severitatis effugiat notam Episcopus in suis constitutionibus, congrua monita exhibet, quaeque de consuetudinibus localibus ratio habenda sit docet. Hoc tamen praetereundum non est quod nimirum, in certis casibus extraordinariis res ad Metropolitanum duci possit, vel a Rom. Pontifice remedium implorari, qui paterne posset Episcopum etiam monere. At ob interpositam appellationem ad Superiorem, nullatenus statuti vis retardatur, aut suspenditur, quod inculcatur *c. ad nostram de appellat.* Concil. Trid. *sess. XXII. c. X.* Unde debet interea statutum observari, si Episcopus instet. Vide Bened. XIV. lib. III. c. V.

Aliqua demum strictim attingere de promulgatione statuti Episcopi opus est, deque consensu, aut consultatione Capituli circa eadem. Et quoad primum non ambigendum omnino Episcopos posse extra synodum leges ferre contra quosdam minus probatos auctores, quibus accensendus in primis auctor libri: *Les droits du second ordre*. etc. proprio etenim nomine jurisdictionem exercent illi in omni dioecesi tum in fideles, tum in ipsos sacerdotes, ut qui *positi sunt regere Ecclesiam Dei*; atque ad eos pertinet gubernatio omnis dioecesis; uti traditio ipsa quoque declarat, Theologi docent, et ex dictis supra deducitur.

Num vero statuta extra Synodum lata, obitu Episcopi vim suam amittant, similiter et casuum reservatio, etsi alii alia sentiant, nobis non arridet sententia illorum, qui cum Barbosa *De officio Episcopi p. 3. Alleg. 93.* tenent negativam partem; nulla enim lege fundatur; imo opposita colligitur ex argumentis supra expositis. Quoad secundum spectat « Non negamus, ait Benedictus XIV. *de Synod. lib. XII. c. I.* consuevisse, imo et quandoque in » rebus gravioris momenti debuisse etiam Episcopos priusquam quidquam » decernerent, inferiorum presbyterorum consilium et sententiam exquire» re, ut tali pacto majus pondus, majoremque auctoritatem suis decretis » conciliarent ». Quod probat doctissimus Pontifex testimoniis Canonum, Patrumque. Deinde observat. « Aucto in qualibet dioecesi sacerdotum numero, » quos in unum convocare difficile foret, inde factum esse, ut soli canonici » Cathedralis sint consiliarii nati Episcoporum ». Hinc laudatus Pontifex eodem loco non licere Episcopo affirmat aliquod gravis momenti negotium aggredi, et deliberare inconsulto Capitulo. Hoc probat praesertim Decretalibus, *lib. III. tit. X. c. V.* in quibus haec habentur: « Mandamus, quatenus in » concessionibus, et confirmationibus, et aliis Ecclesiae tuae negotiis fratres » tuos requiras, et cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragas et » pertractes; et quae statuenda sunt, statuas, et errata corrigas, et evellenda » dissipes ». Unde concludit constitutiones inconsulto Capitulo editas, utpote deficientes a norma jure praescripta, carere firmitate. At simul observat, quod: « licet Episcopus teneatur sui Capituli consilium exquirere, non tenetur » propterea illud sequi, nisi in casibus a jure expressis. Ubi enim jura Capi» tuli consensum exposcunt, illud facere tenetur, quod major pars canoni» corum faciendum concluserit: ubi vero solum exigunt consilium, satisfa» ciet, si canonicos consulat, quin deinde ad eorundem sententiam ample» ctandam ulla lege addicatur ». Unde sufficiet, ut Episcopus consilium Capituli exposcat, nisi agatur de unione certorum beneficiorum, et certis Capitulo propriis juribus ». Quin imo addit optimus Pontifex, ab ea ipsa petendi consilium Capituli obligatione solutus erit Episcopus per consuetudinem » legitime praescriptam ».

(1) *Ita Hostiensis.*

mum Cathedralis, Sede Episcopali vacante, dubium movetur. Plures enim negant posse ab eo ferri ullam legem, quae sit stabilis et permanens; quia jurisdictio, quae ipsi committitur ad tempus, non valet nisi ad conservandum, non vero ad mutandum. *Episcopali sede vacante non debet aliquid innovari*, ait Innocent. III (1). Communis vero, et probabilior est sententia, ait Suarez, Capitulum hanc facultatem habere: nam ei devolvitur *administratio in spiritualibus, et temporalibus* (2), et alibi (3) jus ipsum dicit: *Episcopali sede vacante potest Capitulum, seu is, ad quem episcopalis jurisdictio tunc noscitur pertinere, iis, quibus potest Episcopus, absolutionis beneficium impertiri.* Quibus positis, Capitulum posse quoad disciplinam, quae potest Episcopus, in dubium revocari non posse videtur. Id vero eo magis affirmandum, si urgeat necessitas condendi aliquam legem ad eradicandam ex. gr. aliquam pravam consuetudinem, et praevideatur diu sedes vacatura; secus enim certum Ecclesiae damnum sequeretur. Porro id nil futuro Episcopo nocebit, cum poterit, quoties voluerit, eam revocare (4). Hoc tamen intelligitur, nisi Capitulo idem specialiter prohibitum reperiatur; vel contraria sit consuetudo, ut idem Suarez fatetur.

Haec eadem facultas est Communitatibus religiosis sive per solum caput, sive per membra in capitulo, vel congregatione capiti unita. His enim jurisdictio, et potestas competit gubernativa alicujus Communitatis. Quod autem Capitulum spectat, Sede non vacante, potest illud statuta ferre de levioribus tantum, quae spectant ad ordinem, et regimen quotidianum: puta circa administrationem suorum redituum (5); nam etsi non habeat jurisdictionem simpliciter vivente Episcopo, habet exercitium tamen talis jurisdictionis a Superiore sibi concessum, vel consuetudine acquisitum, juxta DD. Quod valet et in Communitatibus Ecclesiasticis inferioribus, et collegiatis juxta Innocent. (6) Et ratio est, quia etsi talia statuta non obligent vi statuti, seu jurisdictionis, obligant tamen per modum conventionis, seu pacti initi inter membra talis Communitatis, cujus vigore tacite se obligare censentur. Quod si vero

(1) *C.* Novit *ne sede vacante.*
(2) *C.* Si Episcopus *de supplenda in 6.*
(3) *Cap.* Episcopali *de Majoritate in 6.*
(4) *Suarez de leg. c. VI. c. 6.*
(5) *Vide Suarez de leg. lib. IV. cap. VI.*
(6) *In cap.* Cum accessissent *n. 2. de elect.*

dictae Communitates seu collegia ratione alicujus privilegii, vel consuetudinis praescriptae jurisdictionem haberent, tunc leges juxta modum jurisdictionis condere possunt. His tamen limitibus horum omnium potestas circumscripta est, quod 1.° nequeant statuta, vel leges facere juri communi Pontificio contrarias, aut statutis a Pontifice confirmatis adversantes; cum inferior nequeat immutare legem Superioris (3); 2.° Eorum potestas non se extendat ad res gravioris momenti, praesertim ad ea, quae ad summum Pontificem in signum supremae ejus potestatis referuntur, vel propter arduitatem ultimum Tribunal requirunt.

Legis causa etiam formalis seu forma interpretanda manet: nimirum signa externa, quibus voluntatem suam obligandi legislator manifestat, et promulgat subditis. Est autem promulgatio non tantum necessaria per modum conditionis ex parte hominis, qui sine notitia legis obligari nequit, sed etiam ex parte ipsius legis, ita ut ista vim obligandi completam obtineat per promulgationem tamquam partem essentialem. Ita communius cum Suarez. Lex enim est regula totius Communitatis, et locutio Principis ad Communitatem, et totum populum directa, ita ut ab omnibus subditis intelligi possit (a).

Promulgatio legis debite facta statim in actu primo obligat omnes, cum totam vim obligandi sit consecuta, non vero in actu secundo illos, ad quos notitia non pervenit, quae proin notitia requiritur solum per modum conditionis, ut detur obligatio in actu secundo. Hinc quamvis promulgata lege, omnes jam sint obligati, per accidens tamen ignorantes illam excusantur, ita ut contraveniendo non peccent (b).

(a) S. Thomas ad rem inquit *1. 2. q. 90. art. 4.* Lex imponitur aliis per modum regulae, et mensurae. Regula autem, et mensura imponitur per hoc quod applicatur his, quae regulantur, et mensurantur. Inde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet, ut applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa est necessaria ad hoc, quod lex habeat suam virtutem. Hinc *Leges instituuntur, cum promulgantur.*

(b) Dummodo inculpabiliter ignorantes sint: nam omnes tenentur leges scire, unde Levit. *cap. IV.* habetur: *Anima, quae peccaverit per ignorantiam.*

(3) *Clement. 2. de elect.*

CONCLUSIO SECUNDA.

Modus (a) promulgationis legum, quo utitur Sedes Romana, defenditur.

Ex nova disciplina Romae inolevit mos promulgandi constitutiones Pontificis per affixionem transumptorum ad valvas Basilicarum Urbis, et Cancellariae Apostolicae, Curiae generalis in Monte Citorio, et in acie campi Florae dumtaxat, adjuncta clausula, qua declaratur omnes ubique fideles hac sola publicatione ad Pontificias exequendas constitutiones perinde adstringi, ac si personaliter notificatae singulis fuissent. De hac forma concertati sunt Canonistae (b). Nobis arridet sententia, quae favet huic novae disciplinae (c), quae recte plurimorum DD. dicitur, et eo vel magis quod nititur praxi, ac stylo Curiae Romanae, quae de intentione Pontificis nos certos reddit, nimirum de voluntate ipsius legislatoris, a qua forma promulgationis, uti dictum fuit, pendere debet. Et revera regulae Cancelleriae, atque non paucae aliae constitutiones Romae tan-

(a) Modus sive forma promulgationis, utpote qualitas variabilis ejus, lege naturali non est praescripta; ideo nec constanter eadem in Ecclesia obtinuit, sed accommodata temporibus fuit. Judicio enim, et voluntate legislatoris probanda relinquitur. Proindeque etiamsi constet, Apostolos decisionem controversiae per eos definitae, literis dedisse ad Christianos Antiochenae Ecclesiae *Act. cap. XV.* hanc formam tamen non sequuti sunt omnes, et praesertim Siricius, Innocent. Leo, qui dumtaxat ad Episcopos aliquarum provinciarum decretalia mittebant, quae vel recepto more, vel adjuncto mandato subinde cum aliis atque aliis Episcopis communicata, atque toto orbe dispersa erant. Vide Ballerinium *in appe. ad Op. S. Leon. Tom. III. pag. 11.* Gregorius vero Magnus ad Imperatorem Mauritium *lib. III. cap. LXII.* non improbavit formam sancitam a Justiniano. *Nov. VI. c. XLVII.* juxta quam non solum Romae, aut in concilio ipso, sed in singulis provinciis, et Ecclesiis Metropolitanis, et Episcopalibus constitutiones promulgari obtinuit.

(b) Oppugnant hanc Romae factam promulgationem praesertim Gallicani Doctores, qui Justinianeam *cit. nov.* tamquam legi essentialem requirunt, ratione nixi, quod aliter incerta, nec sufficiens legis notitia haberetur. Sed inepte; et quidem praeterquamquod Justinianus ipse, quum novas leges per provincias etiam publicamdas voluit, non eam protulit rationem, ut videlicet illae valerent; sed ne ab iis observandis facile quis excusaretur. *Ut nullus,* ait *cit. nov. XLVII. de cetero occasionem sumat cujuslibet ignorationis* Leges ad Justinianum usque promulgatae quippe forma ab eo non praescripta, nullae fuissent, a tot saeculorum spatio essentialibus destitutae.

(c) Nec potest ulli esse dubia saltem quoad leges declaratorias, quibus Summus Pontifex jus divinum explicat circa dogmata, aut mores; ex. gr. condemnando libros, vel theses etc. vel jus divinum declarat non existere, vel authentice interpetratur: hoc jus etenim novum non existimatur.

tum promulgatae fuere, et tamen obligatoriae recognoscuntur; porro injustitiae notam non effugeret Sedes Romana tali forma utens, si contra jus esset. Adhaec facta Romae promulgatio si non sufficeret, vel ex natura legis hoc esset, vel ex aliqua constitutione Pontificia, aut canone concilii: non enim Justinianea sancita forma (1) obligat Ecclesiam, quae numquam illam admissam uti legem voluit. Cum vero naturae legis opposita non sit ex antea dictis promulgatio Romae facta; nec ab adversariis constitutio, vel canon aliquis proferri potest illi contraria, improbanda non est haec eadem velut insufficiens promulgatio (*a*). Praeterea nonne etiam semel in curia Principum laicorum publicatae aliquando fuerunt leges ab iis? Et revera sic sub primis Imperatoribus factitatum est; tunc enim vel in foro Trajani, vel in atrio Minervae proponebantur leges. Demum nec contra valet, quod statutum reperitur, ut secundum jus civile procedatur, ubi jure canonico nihil praescriptum sit etc. (2); etenim Ecclesiam scimus usam esse forma promulgationis propriae. Insuper illud in cit. cap. de judicialibus causis intelligendum patet. Item nec facessit, quod tali forma dicunt certam obligationem ex incertis rumoribus legis induci; distinguatur enim, oportet, actus ipse obligandi, qui cognitionem legis supponit, a lege promulgata, quae, quantum in se est, intrinsece obligat. Quis plane quidem obligatum dicit, qui adhuc inculpabiliter satis sufficientem legis notitiam non habuerit? Si Romae nova lex promulgatur, ait Cajetanus (3), et non Curia ipsa curat, ut promulgatio ad Ecclesias Cathedrales deveniat, neque Praelati, qui ibi sunt, insinuent suis Ecclesiis, accusari nec apud Deum, nec apud homines possunt nescii. Consentaneum est hoc juri Justinianeo (4); cui favet et Bened. XIV. (5) (*b*).

(*a*) Nos non praeterit ob diversas locorum, aut temporum rationes usuvenire posse, ut lex nova certo loco minime utilis sit; aut sine graviori detrimento in usum deduci non possit; ast hoc nec obstat, quin lex allata forma juste promulgetur: nam eo in casu ex praesumpta voluntate legislatoris, subditi excusati haberentur: non enim ibi urgeret lex; dummodo non esset aperte contraria voluntas illius; tunc enim praesumptio cederet veritati.

(*b*) Quod si ex Concordatis, vel diuturna regionum consuetudine, ipsis legislatoribus Ecclesiasticis non ignota, et saltem tacito consensu approbata

(1) *Cit. Nov.*

(2) *In cap. I. de novi oper. nunciat.*

(3) *In S. Thom. 1. 2. q. 90. n. 4.*

(4) *Novell. LXVI.*

(5) *De S. D.*

Ex his facile erit colligere, quam male senserint illi juris publici doctores, qui promulgationem, quam defendimus, contra ipsius naturae jus esse affirmare non dubitarunt. Inter hos non ultimus esse videtur Romagnosius (1), qui hac nostra aetate in summos Pontifices invehitur, atque ipsos absurdissimae novitatis accusat ex eo, quod *suis decretis Urbis, et Orbis velint, ut notificatio facta in extero territorio, habeatur ut facta in nostro*. Cujus impudentissimum os obstruxisse videtur clarissimus Doctor e Societate Jesu Tapparellius (2) his verbis: « non videbat Romagnosius hujusmodi *Notificationes* » spectare *Societatem catholicam,* quae pro suo territorio ha- » bet universam terram; ac proinde nescit *territorium exte-* » *rum*. Cum universa hac societate agit Roma ejusdem ca- » put, atque mittit nuncios in omnes Orbis partes, modo a » perfidis rebellibus id non impediatur. Haud itaque fieri po- » test, ut in regionibus catholicae unitati addictis ignorentur » decreta ad ipsas spectantia, postquam Romae divulgata jam » sunt. In illis vero regionibus, in quorum finibus, ne cognitio » talium decretorum pervadat, Haeresis, aut Impietas castra » posuerunt, num Ecclesia, quae non solet armis uti ad viam » sibi faciendam, permittere debebat, ut rebelliones legiti- » mae fierent per ignorantiam prorsus voluntariam? Quaenam » vero civilis societas patitur, ut rebelles iis non teneantur » legibus, quorum ipsi impediunt promulgationem? » Quibus omnibus illud addere juvat cum Cardinali Soglia (3), quod Ro-

invaluit, ut decreta sive leges disciplinae in iisdem sint promulgatae locis, ubi sunt observandae, praesumendum est illos ibidem, nisi expresse contradicant, noluisse novis legibus, aut decretis obligare ex ipso, quod non promulgant ibi (dummodo eis media, cum volunt resistere, non desint) proindeque cum expedire credunt ea recipi debere, curare solent, ut promulgentur, et recipiantur. Forma autem promulgandi leges jam propugnata patitur exceptionem juxta DD. quoad leges irritantes, vel contractus, vel alium actum, qui jure divino, aut naturali, aut positivo alioquin esset validus; istae etenim leges ex aequitate, et benigna interpretatione, nisi in singulis dioecesibus promulgentur, aut alia via sciantur, effectum non habere censentur. Ratio est, quia lex irritans juxta DD. etiam ignorantes ligat. Consequenter nisi sic promulgentur magis obessent, quam prodessent. Hoc tamen, ait Suarez *de legib. 1. 5. c. XXXIII.* non valet de legibus irritantibus, quae sunt circa actiones, et res, in quibus Papa habet liberam disponendi, vel dispensandi facultatem, uti sunt beneficia ecclesiastica, professio religiosa etc.

(1) Istituzioni di civile filosofia *lib. V. pag. 303.*

(2) Saggio Teoretico di dritto naturale *vol. V. p. 3. e seqq.* Palermo *1840. — 43.*

(3) *Institutionum juris publici ecclesiastici libri tres* Laureti *1844.*

mani Pontifices numquam voluerunt, ut suis legibus ad disciplinam pertinentibus sic vulgatis ii obligentur, qui vere illas ignorant, ubi culpabilis non sit ipsorum ignorantia.

Quod vero attinet ad leges Episcoporum, aut statuta synodica, omnes tenent sufficere illam promulgationem, qua voce praeconis in platea civitatis manifestentur, aut in Ecclesia Cathedrali palam legantur, aut exscripta in locis publicis pateant affixa; et ubi decreta synodorum Clerum solummodo afficiant, sufficit, ut recitatio in ipsa synodo fiat. Ita Bened. XIV. (1).

CONCLUSIO TERTIA.

Decursus temporis non requiritur, ut lex vim habeat obligandi.

Leges promulgatae obligant per se; non ergo decursus temporis requiritur, ut obligent. A voluntate autem legislatoris pendet, si velit illud statuere. Mos tamen fuit Ecclesiae, ut legis obligatio inciperet post aliquod tempus statutum, quod quidem majus, vel minus aliquando fuit pro voluntate legislatorum. Ubi vero nullum temporis intervallum ab illis præfixum fuerit, etsi recepta erat DD. sententia in utroque jure probata, et moribus firmata, quod post promulgationem rite factam, expectandus fuisset lapsus temporis duorum mensium, ut inciperet et obligatio legis, et facultas puniendi trasgressores; arridet tamen magis doctrina illorum, qua lex obligare dicitur, statim ac ejus notitia ad fideles pervenerit (*a*). Quoad statuta vero Episcoporum, vel etiam Synodorum spectat, quae intra ambitum unius Episcopatus coarctantur, illa mox a publicatione obligabunt (2).

Multa denique adhuc remanent tractanda, quae generatim constitutiones, ac leges spectant, puta de subjecto legis, de interpretatione, et cessatione ejusdem, ac de effectu illius etc.; sed quoniam haec in disciplinis moralibus magis ma-

(*a*) Quoad jus civile spectat, ex Cod. noviss. hujus Regni *Part. 1. art. 1.* lex, ubi promulgatur, obligat post diem promulgationis; pro locis vero dissitis a loco, ubi promulgata fuerit, singuli adduntur dies pro singulis viginti milliariis, nisi aliud sit expressum.

(1) *Lib. IV. de S. D.*

(2) *Vide Bened. XIV. de S. D. lib. XIII. n. 1.*

gisque enucleata habentur, ne longius, quam nostri instituti ratio patitur, progrederemur, heic praetermisimus, et tantum de effectu legis irritantis quaedam adnectenda duximus.

CONCLUSIO QUARTA.

Effectus legis irritantis demonstrantur.

Lex irritans actum contra legem celebratum, irritum seu nullum, sive invalidum reddit. Hunc autem ipso jure, scilicet ante ministerium, et sententiam judicis, directe lex, vel indirecte irritat (*a*); non autem ipso jure, si ad nullitatem inducendam ministerium judicis requiratur vel declarantis actum esse nulliter gestum, vel per sententiam rescindentis illum (*b*): quod et intelligitur, quando lex irritat poenaliter, seu in poenam principaliter, licet utatur verbis directis; poena enim regulariter non incurritur sine sententia judicis (*c*).

Lex simpliciter prohibens aliquem actum, et non addens clausulam irritantem, nec personas reddens ad agendum inhabiles, actum non facit irritum, sed solum illicitum; ita cum pluribus Suarez (1). Quidquid enim sit de legibus juris civilis, ubi unus, et alter textus per modum regulae generalis videntur opponi huic doctrinae; attamen in re canonica satis defenditur illa sententia ex regula juris (2): *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*; ergo etc. Ratione etiam confirmatur; valde etenim effectus diversi sunt, et separabiles, prohibere, et irritare actum: sicut esse illicitum, et esse invalidum prorsus sunt diversa, et ita, ut ab uno alterum non pendeat. Item haec irrita-

(*a*) Irritatur actus *directe* per verba nullitatem, vel irritationem importantia; qualia sunt *irritus sit*: *pro infecto habeatur*: *nullam obligationem inducat*: *teneatur acceptum in conscientia restituere* etc.; irritatur vero *indirecte* inhabilitando personas ad gerendum actum, aut formalitatem per modum formae substantialis, aut aliquid per modum *conditionis sine qua non*, requirendo.

(*b*) Puta si dicatur: *irritetur*, *annulletur*, *pronuntietur nullus*, *rescindatur*.

(*c*) Si legislator irritet actum principaliter in poenam delicti, vocatur, et est irritatio poenalis: si vero principaliter propter bonum commune, vel singularium personarum, vocatur, et est irritatio non poenalis.

(1) *Lib. V. de legib. cap. XXVIII.*

(2) *Cap. XVI. de regular.*

tio repugnat naturae actus, et est odiosa. Ergo lex, quae simpliciter prohibet, non est simul et irritans, nisi et clausulam irritantem habeat. Nec valet contra regula illa: *Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. De his etenim haec agit, quae contra jus irritans fiunt, non vero prohibens: etsi etiam quae contra hoc jus prohibens fiunt, pro infectis haberi possint, h. e. pro infirmis, non vero nullis, ita ut judex talem actum possit, ac debeat dissolvere, et rescindere, adeoque facere, quasi non fuisset, et vires post rescissionem nullas habeat amplius. Ad haec si opponitur, quod lex naturalis prohibendo actum, illum facit irritum, ut similiter concludatur de lege positiva, reponitur, quod regulariter loquendo jus naturale non irritat actum, cum illum prohibet, ut docet Suarez, et Sanchez, nisi in duobus tantum casibus; 1.° quando actus fit ab eo, qui caret potestate illum celebrandi; ut si quis donet rem non suam; 2.° quando actus perpetuam continet malitiam, et ipsa etiam executio turpitudinem, ut si quis paciscatur de fornicatione, de usuris illicitis; ad illicita enim non potest dari obligatio.

Huc sequentia spectant axiomata: *Ea, quae fiunt a judice, si ad ejus non spectent officium, viribus non subsistunt* (1). *Invalidae rei invalida est confirmatio* (2). *Non firmantur tractu temporis, quae de jure ab initio non subsistunt.*

Lex demum irritans actum simpliciter, non hoc ipso irritat pro foro interno, nisi addat clausulam, ex qua colligi possit, quod etiam irritat pro foro interno, et obligationem in conscientia tollat; vel nisi Judicis sententia declaraverit nullitatem actus. Hoc contra Vasquez, et alios jurisconsultos. Lex enim irritans actum jure naturali validum pro utroque foro, nisi irritationem etiam pro foro interno exprimat, in hoc non irritat: sunt namque effectus diversi, et separabiles. Demum cum sit lex odiosa, et strictae interpretationis, extendenda non est ad forum internum, et eo vel magis *quod in obscuris minimum est sequendum* (3), h. e. quod minimum gravat. Confirmatur vero ex eo, quod aliquae praesertim juris canonici leges, quando irritant actum, addunt subinde clausulam, qua insinuant irritationem pro foro interno; v. g. etiam *in foro animae non suffragetur*: *quod ob-*

(1) *64. de R. J. in 6.*
(2) *Reg. 26. in 6.*
(3) *C. XXX. de R. J. in 6.*

tentum est, non valeat retineri : viribus careat absque omni alia declaratione. Ubi ergo similis clausula non reperitur, recte censetur lex non irritare pro foro interno.

CONCLUSIO QUINTA.

De privilegiis, eorumque speciebus, effectibus, forma, et interpretatione disseritur.

Privilegia ad theoriam legis reducuntur; sunt enim, ut in jure dicitur (1) : *leges privatorum quasi privatae leges*; quia in privati gratiam feruntur, ut vel praeter, vel contra leges agere possit (*a*). Hinc eadem propemodum in iis consideranda manent, ac in notione legis intelliguntur, nimirum essentia, materia, forma, subjectum activum, et passivum, effectus, interpretatio, ac demum cessatio. Et quoad *essentiam*, Privilegium est concessio juris specialis, et permanentis a legitimo Superiore in personam, dignitatem, aut possessionem, contra, vel praeter jus commune justis de causis facta (*b*).

Materia privilegii est quidquid concedi honeste potest, modo subjectum sit sub potestate concedentis, et sub hac ratione privilegium aliud est *affirmativum*, quo ex. gr. datur suffragium

(*a*) Etsi lex non est nisi ad bonum commune lata, non immerito tamen privilegium diximus legem privatorum, scilicet in gratiam concessam alicujus; respectu enim aliorum sive Communitatis est vera lex, qua prohibentur privilegium turbare, et revera respondet ei obligatio saltem negativa non impediendi usum ejus.

(*b*) *Concessio juris* dicitur privilegium idest gratia sive favor, unde ex regula 61. in VI. *quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*; quapropter *το juris* pro facultate sumitur, non pro necessitate, nisi concessum sit intuitu totius Status, aut Communitatis c. II. *de foro compet.* dicitur *personalis*, quod proinde trahi non debet ad exemplum, nec ad alias personas, aliosve casus, quam formaliter, aut virtualiter expressos extendi potest ex. gr. facultas testandi extendi potest ad jus faciendi codicillum; dispensandi in votis ad facultatem commutandi etc. dicitur *Permanentis* : quatenus ad plures actus similes pertinet, et sic distinguitur a dispensationibus, quae ad unum, aut alterum actum concedi solent. Demum dicitur *ex justa causa* : intellige id non ad validitatem ejusdem, quia valor privilegii pendet omnino a voluntate concedentis, sed ad licitum potestatis usum.

(1) *Can.* privilegia 3. *dist.* 3.

in aliena Ecclesia, et potest etiam non subdito competere ; non enim est tam actus jurisdictionis, quam cujusdam donationis, aliud est *negativum* ex. gr. non recitandi horas canonicas. Insuper vel est *praeter jus*, si non derogat legi communi, et est gratia singularis per se non competens privilegiato ; vel *contra jus*, cui scilicet privilegiatus per se subjicitur, et non potest concedi nisi aliquo modo subditis ; per illud enim vel eximitur a lege, qui subdi debet, vel aliquis exercetur actus jurisdictionis, qui tantum in subditos aliquo modo exerceri potest; vel denique *secundum jus* nec inepte privilegia dicuntur, si non concessiva, saltem declarativa illius sint ; nam etiam, quae juri communi competunt, privilegiis inseruntur, si ferantur ad tollendas anxietates, vel aliorum molestias, et sunt speciales gratiae.

Subjectum privilegii activum est, qui solus potest legem condere, tum quia est lex privata, tum quia ab eo concedi potest, qui est auctor legis, a qua aut dispensat, aut in qua limites ponit, aut praeter illam concedit agi. Hinc Potestates tantum in iis rebus privilegia concedere possunt, de quibus disponere possunt. Conceditur autem vel *motu proprio*, et est illud, quod in literis ejus habet clausulam *motu proprio*, quia conceditur independenter a precibus, etiamsi privilegiatus per se, vel alius pro eo supplicaverit; vel *ad instantiam*, quod sine dicta clausula, sed ad preces alterius conceditur. Item vel in corpore juris clausum est, quod scilicet in aliqua juris communis parte comprehenditur, et ideo rationem legis obtinet, tale est privilegium Canonis, et fori, aliaque personis ecclesiasticis concessa ; vel speciali concessione indultum, per rescriptum, vel diploma, vel literas, vel *oretenus*, sive *vivae vocis oraculo*, ut ajunt : Primum de subreptione, aut obreptione argui non potest ; alterum semper habet illam tacitam conditionem, *si preces veritate nitantur* (1). Denique aliud est *gratiosum* et dicitur illud, quod ex mera liberalitate concedentis, sive gratia datur, non intuitu meritorum; *Remuneratorium* aliud, quod pro meritis conceditur, puta intuitu laborum, molestiarum, etc. qualia fere sunt privilegia Religiosorum. In subjecto passivo vero privilegium distinguitur vel *reale*, quod proxime, et directe confertur loco, muneri, dignitati, et

(1) *Cap.* Ex parte 2. *de rescript.*

consequenter etiam, et ultimo loco personis, quae illa habent; nam hae solae sunt capaces favoris, et beneficii, uti sunt privilegia Cathedralibus concessa, statui clericorum etc.; vel *personale* et conceditur immediate, et directe personis sine contemplatione rei ex. gr. si privilegium concedens dicat: tibi Caj do facultatem dispensandi, horas canonicas non recitandi etc. Quod si partim personale, partim reale sit, appellatur *mixtum*; nimirum si ita conceditur, ut non solum Communitas eo uti possit, sed etiam singula membra, quatenus sunt ejusdem membra, et confertur certo personarum generi, seu qualitati; ut Privilegium restitutionis in integrum, item S. C. Macedonianum concessum filiisfamilias, ne ex mutuo sine consensu Patris accepto obligentur. Hoc privilegium proinde, sicut realia, perpetuum habetur.

Forma privilegii intelligi debet ex insinuatione facienda privilegiato, si illud motu proprio sit concessum, et acceptione ejus; assimilatur etenim donationi, nec requiritur scriptura, ubi jus specialiter eam non requirit (1). Insuper concessio facta aut scripto, aut *vivae vocis oraculo* distinguitur *vel primo, et per se*; vel per *communicationem*, qua uni concessum, extenditur ad alium; imo ipsi privilegiato potest indulgeri potestas aliis communicandi, quod tripliciter evenire potest 1.° absolute paritatem indicando nempe his verbis *pariformiter* sive *aeque principaliter*, quo fit ut uni ademptum, alteri non intelligatur similiter ademptum; 2.° limitate scilicet non aeque principaliter, sed accessorie tantum propter connexionem, quo modo privilegia Religiosorum communicantur eorum familiaribus etc. aut dominorum, servis, et hoc modo non plus communicatur, quum fuit in ipsa communicatione expressum. Item imminutum privilegium in uno, aut extinctum, in altero minuitur, aut extinguitur; 3.° verbis generalibus simpliciter tantum conceptis (a). De communicatione privilegiorum inter Religiosos, cum de his sermo instituetur, dicemus.

Quoad *effectus* privilegii spectat, hoc necessitatem eo utendi

(a) Primo modo communicata privilegia participantur omnia aliis, sed ordinaria tantum, non extraordinaria; quia sub generali locutione non veniunt, quae speciali nota, et mentione sunt digna; arg. c. 81. *de R. I.* in 6. Si secundo modo etiam extraordinaria censentur concessa aliis, at non sine limitatione, de qua alibi erit dicendi locus.

(1) *Cap. XVII. de praebend. in 6.*

non importat; est enim gratia, uti dictum fuit; hinc ex regulis juris nemo beneficio sibi concesso uti cogitur. At in usu legitimo impediri non potest. Quapropter Privilegiatus remediis juris, uti potest, si turbatur in eo; actionibus scilicet personalibus ex. gr. *injuriarum*, *utili*, *confessoria*, interdicto *uti possidetis*.

Interpretatio privilegiorum, ubi dubium sit de mente concedentis, ita facienda est, ut attentis verbis, subjecta materia, et circumstantiis, ac stylo curiae consonet menti concedentis, a qua velut anima totam suam vim habet. Dupliciter, ut Fagnanus advertit (1) habetur illa: 1.° per *extensionem* seu *extensive*; 2.° per *comprehensionem* seu *comprehensive*. Haec prima interpretatio declarat privilegium ultra verba legis, non ultra mentem legislatoris, scilicet extendit illud ad alium casum seu personam non comprehensam sub verbis legis, sed non ultra mentem legislatoris. Altera est, qua legis alicujus decisio transfertur seu extenditur ad alium casum, vel personas, tum ultra verba legis, tum ultra mentem legislatoris, quamvis non contra mentem ipsius. De his haec praecipua servanda sunt: 1.° extensio privilegii semper fieri debet in propria verborum significatione, scilicet ex usitata significatione, vel usu communi, vel secundum jus privilegio proportionatum, nempe saeculare est interpetrandum juxta jus civile: ecclesiasticum, juxta canonicum, nisi major sit necessaria, ut privilegium non sit injustum, vel inutile, aut frustra datum; ut Suarez advertit (2); 2.° Authentica interpretatio peti debet a Principe, si possit consuli; 3.° Privilegia favorabilia sunt late interpretanda, ut jus dicit (3): *Beneficium Principis latissime est interpretrandum*. Talia sunt in corpore juris concessa in favorem Religionis, causae piae, vel boni publici: item aliis indulta, quae non cedunt in praejudicium tertii, et merum favorem continent, ex. gr. dispensandi, a casibus reservatis absolvendi, comedendi carnes in die abstinentiae etc. Latior quoque fit interpretratio in privilegiis *motu proprio* et ex *certa scientia* datis (4); 4.° Strictae interpretrationis sunt privilegia odiosa, quantum patitur proprietas verborum (5), nisi privilegium contineat favorem Reli-

(1) *In cap.* Quod nonnullis *XXV. de privilegiis.*
(2) *L. 8. de legibus c. I. num. 15.*
(3) *Cap. XV. de R. I. in 6.*
(4) *Cap. XXIII. de praeb. in 6.* (5) *Cap. XV. de R. I. in 6.*

gionis, aut causae piae, aut corpori juris sit insertum. Sunt vero odiosa privilegia, quae contra jus commune sunt (1), vel contra jus privati (2). Imo privilegium, quo derogatur juri tertii, idque non exprimit privilegiatus, est subreptitium, ac nullum (3).

Restat, ut de cessatione dicatur privilegii; at de ea sequ. conclus.

CONCLUSIO SEXTA.

Modis, quibus privilegia cessant, excussis, de revocatione eorumdem pertractatur.

1.° Cessat privilegium interitu personae privilegiatae, non tamen morte concedentis, sive depositione ab officio; dummodo privilegium sit non conditionatum ex. gr. *ad nostrum beneplacitum*; etenim hac conditione posita, concedentis morte privilegium extinguitur (4), vel si gratia nondum esset facta, sed commissio solum alteri data, ut gratiam, vel privilegium alicui conferat; tunc si re integra moriatur delegans, evanescit potestas delegati. At si concessum fuerit sub clausula: *donec revocavero*, non cessat morte concedentis ejusdem ex communi DD. nam revocatio requirit factum, nempe actum novum voluntatis, qui non habetur per solam mortem. 2.° Extinguitur, si sit reale, sola rei extinctione, cui inhaeret (5), dummodo sine spe restitutionis extinguatur; aliter permanet privilegium ex. gr. si casu comburatur Ecclesia cum spe refectionis (6). 3.° Lapsu temporis, ad quod concessum fuerit, et verificatur in privilegio temporali. 4.° Cessante causa finali. Ita DD. cum Reiffenstuel, quod intelligitur de privilegio, quod derogat juri communi, vel tertii, ad cujus conservationem requiritur causa. 5.° Renunciatione expressa personae, in cujus solius favorem concessum fit, quod si fuerit in favorem Communitatis, Dignitatis, loci, non potest a perso-

(1) *Per cap. VII. 9. de privileg.*
(2) *Arg. cap. XII. de offic. ord.*
(3) *Per cap. I. de const. in 6.*
(4) *Cap. V.* Si gratiose *de rescriptis in 6.*
(5) *Per textum in cap.* Accessorium *42. de Reg. Jur. in 6.*
(6) *Confer* Luc. Ferrarium *verbo* privilegium *art. 3.*

nis particularibus renunciari (*a*). Tota Communitas vero recte renunciare potest privilegio, si ei non sit utile, vel sit indifferens (1). Secus si in praejudicium cessisset illius, quo casu unus de Capitulo contradicens impedit renunciationem (2). 6.º Si privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat; quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non esse in ejus dispendium retorquendum jus dicit (3). 7.º Privilegia *affirmativa* concessa cum gravamine aliorum ex. gr. exigendi decimas *per non usum* amittuntur tacita renunciatione scilicet via praescriptionis, dummodo fuerit interim occasio utendi privilegio, et tamen eo usus non fuerit privilegiatus *scienter, sponte ac voluntarie*, *per tempus requisitum ad praescriptionem pro qualitate privilegiorum*. Eadem vero si *merae sint gratiae per merum non usum* numquam amittuntur; est enim actus liberae facultatis, in qua non datur praescriptio. Idem dicendum, si privilegia sint *negativa* gratiosa ex. gr. non jejunandi. At si haec cum onere aliorum alicui fuerint concessa ex. gr. non solvendi decimas, amitti possunt *per usum contrarium*. Ita DD. communiter. 8.º Abusu privilegii illud nimis extendendo, et contra intentionem concedentis utendo etc. at regulariter per sententiam judicis id fieri debet (4), nisi jus statuat privationem ipso facto; sic qui scienter eligit indignum, privatur pro prima vice jure eligendi. Sed et hoc casu licitus est usus privilegii, donec feratur sententia declaratoria criminis. 9.º Revocatione valida concedentis, vel ejus successoris, et privilegiatis debite insinuata (5) (*b*); aliter licite pergunt, et valide in usu privilegii, licet casu et per accidens in notitiam venirent

(*a*) Possunt tamen Praelati Regulares limitare, extinguere, imo etiam tollere subditis suis usum quorumcumque privilegiorum etiam a Sede Apostolica concessorum. Sic concessit Gregorius XIII etiam Societati Jesu.

(*b*) Valida non est 1. si ab inferiore concessum privilegium, a Superiore sit confirmatum; 2. si conventionale sit seu onerosum interveniente pacto datum, vel inde aliquod dominium alicujus rei acquisitum; item si remuneratorium non gratitudine, sed justitia, eique commensuratum sit; vel gratuitum quidem, sed non subdito concessum, et ab eo acceptatum; involvunt enim haec privilegia, vel transeunt in pacta. Adhaec si non per legem communem fit revocatio, et publicam, quo casu promulgatur eodem modo ac lex; tunc ea non habet effectum, antequam ea privilegiato specialiter per nuncium sive epistolam intimetur.

(1) *Cap.* Cum accessisset *VIII. de constitutionib.*

(2) Innocent. *in cap.* Accedentib. *XV. de privilegiis.*

(3) *Cap.* Quod ob gratiam *LXI. de reg. jur. in 6.*

(4) *Cap. VII. d. LXXIV. et cap. XXIV. de privileg.*

(5) *Cap. I. de constit. in 6.*

revocationis ; ratio est : arbitrio revocari gratia potest , quae pro arbitrio data fuit. Nec desunt DD. quibus arridet distinguere privilegium non ut donationem, sed ut precarium ; aliter nec regulariter revocari posset. Salvo tamen quod illicite, etsi non invalide sine justa causa revocaretur privilegium. Duplici autem modo revocari potest privilegium *expresse* et *tacite*. *Expressa* revocatio fit 1.° per clausulam generalem ex. gr. *non obstantibus* quibuscumque privilegiis, sicque derogatur privilegiis constitutioni privilegiantis contrariis : et recte ; nam genus per se comprehendit omnes species (*a*) ; 2.° Fit specialibus clausulis derogatoriis, nimirum „ si privilegium, cum concederetur, fuit munitum clausula aliqua derogatoria , ut ex. gr. non censeretur revocatum, *nisi expressa, specialis, et specifica in futuris Bullis mentio illius fiat;* vel nisi totus tenor ejusdem *de verbo ad verbum inseratur* sequenti constitutione ; haec privilegia non revocata intelliguntur , nisi sub iisdem clausulis specialibus , et talibus , quales ad revocandum requirit clausula privilegio apposita (*b*) ; nec clausula illa generali revocarentur, quia per genus non derogatur speciei (1) (*c*). *Tacita* revocatio evenit per actum Principis directe privilegio contrarium , qui non subsisteret sine derogatione illius, modo sciat, vel recordetur privilegii prius concessi ; nec valet praesumptio virtualis voluntatis ipsius illud revocandi. Hinc de hac tacita revocatione apud Pirbing sequentes traduntur regulae: 1.ª Per legem universalem censentur tacite revocata pri-

(*a*) Hoc tamen regulariter intellige; nam excipiuntur 1.° privilegia in corpore juris contenta; censentur enim leges publicae, et requiritur clausula derogatoria legum, vel canonum ; 2.° privilegia per modum contractus ex. gr. in remunerationem meritorum concessa , et ad horum revocationem clausula derogatoria sic exprimatur, oportet : *etiamsi per modum contractus fuerit concessa.* Imo nec talis clausula sufficit, si privilegia data sint non subditis , et semel acceptata ; nec enim ex plenitudine potestatis quis potest derogare juribus non subditorum. Ita DD.

(*b*) Ex. gr. *non obstantibus privilegiis quibuscumque etiam munitis hac clausula derogatoria , ut eis derogari non possit, nisi eorum expressa, specifica fiat mentio , aut de verbo ad verbum , quorum tenores pro expressis habemus.* Quidquid dicant aliqui DD. quibus tenores verborum arridet inseri debere per extensum.

(*c*) Si in concessione privilegii clausula derogatoria sit : *Et istud suspendi , vel revocari non possit per literas contrarias, et quoties illae emanabunt, istud ab illis exceptum , et denuo concessum censeatur etc.* Sensus est quod revocari possit tantum per clausulas, quae sufficienter derogent prioribus derogatoriis.

(1) *Arg. l. 80. ff. de R. I.*

vilegia in corpore juris contenta , quia censetur ea scire legislator ; 2.ª per rescriptum particulare Principis non censetur tacite revocatum privilegium prius concessum, nisi in illo addatur clausula expressa derogatoria prioris privilegii (1); 3.ª nec tacite revocatur privilegium prius concessum per aliud posterius illi contrarium , nisi in posteriori fiat specialis mentio prioris (2); 4.ª per latam sententiam a Principe contra privilegium , hoc non revocatur , sed censetur illud reprobare tamquam subreptitium , vel alias infirmum habere, ac declarare (3).

De privilegiis Regularium , cum de his , atque monasteriis tertio vol. disseremus, pertractabitur.

CAPUT IX.

DE CONSTITUTIONIBUS PONTIFICUM.

CONCLUSIO UNICA.

A prima Ecclesiae tempestate constitutiones edidere Pontifices ; harumque species explicantur (*a*).

Inter criminationes , quibus furunt , fremuntque S. Sedis hostes , ut membra a capite suo distrahant , et Christi corpus discindant , non minus gravis illa est recensenda , qua in Pontificum vitium vertunt constitutiones eorum , asserendo quod jus edendi illas sibi abripuerunt saeculo IX. adveniente ex falsis Mercatoris decretalibus. Nihil hoc insolentius tamen, vel erroneum magis (*b*). Et revera quid causae fuit, cur abute-

(*a*) Constitutionis nomine illud genus legum venit proprie , quae a supremo Principe Communitatis sacrae , vel profanae emanant. E foro civili illa vox transivit in jus Ecclesiasticum , legemque stabilem , ac permanentem a mandato speciali , et transitorio distinguit.

(*b*) Cantilena est haereticorum , et Van-Espenii , Febronii , Eybelii aliorumque in Sedem Romanam odio, ut ajunt , Vatiniano flagrantium quod per

(1) *Cap. VI. de rescript.*

(2) *Cap. XIX. v.* nullum *de rescript.*

(3) *Cap. XXI. de sent. et re jud.*

rentur Pontifices falsis mercibus, in iis praesertim, quae ipsis vi primatus jure competunt, cujus omnium maxime, uti demonstratum jam fuit, est legislativa potestas, quam quidem exercuerunt constitutionibus suis jam per octo saecula ante collectionem Isidorianam, et in illis praesertim temporibus, cum nec concilia generalia cogebantur? Errasse forsan Ecclesiam dicendum, quae sub tali regimine vixit spatio tot saeculorum, ut Protestantes, qui nonnisi verba fundunt, sequamur, vel arrogantius negetur illis constitutionibus ipsam usam fuisse in aedificationem corporis sui? Nonne si jure isto destituti fuissent Pontifices, a Christo non satis provisum fuisset Ecclesiae, ob cujus amorem sanguinem ipse fudit? Hinc omnibus constat ad Romanam Ecclesiam matrem omnium aliarum, et magistram, controversias quascumque, et graviores undique delatas, ab ea solutas fuisse. Monumenta Ecclesiastica, atque ipsae decretales epistolae Summorum Pontificum, quas memorant antiqui PP., quasque existentes adhuc recognoscere quisque potest, id testantur; 1.° saeculo S. Clemens I a Corinthiorum Ecclesia consultus, *scripsit*, ut S. Irenaeus narrat (1) *potentissimas literas Corinthiis ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians, quam in recenti ab Apostolis acceperat, traditionem*. Saecul. 11.° Episcopi Asiani, qui Judaeorum more ipsa luna 14, Pascha celebrabant, non excluso ipso S. Irenaeo, legi Victoris Papae obtemperarunt, ne sacris interdicerentur (2). Sic et S. Stephano Papae re-

Isidorianas decretales fuerint fracti nervi disciplinae, novaque potestas in illam sedem collata. Sed id recte calumniam dices potius cum Devoti *Instit. Canon. lib. I. tit. III.* Isidorianas enim decretales nullum novum jus induxisse constat, sed omnes esse excerptas ex sententiis Ss. Patrum, et veris Summorum Pontificum post Siricium constitutionibus, canonibus conciliorum, Romanis legibus; et disciplinam comprehendere, quae jam obtinebat. Hoc patet etiam ex ipso Blondello e numero haereticorum, praeterquam quod ipsa communis ratio dictat, novam disciplinam non posse ab homine privato institui, atque provehi.

Dionysius Exiguus primus decretales a canonibus discrevit, atque ordine recensuit; sed non inde cum Van-Espenio dicas, quod ante Dionysium conciliorum canones tantum, non item Apostolicae Sedis decreta auctoritatem obtinuerunt; etsi etenim non discretae a canonibus conciliorum, non desiderabantur tamen in aliis antiquioribus collectionibus. Cetera illa ex authographis in archivio servatis authentice recognoscuntur. Demum nihil intererat, discretae ne essent, an non, sedis Apostolicae decretales. Nec vero privatus Codex, uti ille Dionysii poterat addere, vel adimere quid auctoritatis constitutionibus RR. PP. quae ex horum primatu totam vim habent suam.

(1) *Lib. III. contra haeres. c. III. num. 3.*

(2) *Constant. epist. R. P. col. 99.*

baptizantes, quos ab haereticis baptismo lustratos scirent; et paulo ante S. Cornelio Papae Novatiani paruerunt (1). Julius denique I audiendus (2) saeculo IV prae omnibus aliis plurimis, qui Eusebianos objurgans, ait: *an ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, decernatur* (a)? Adhaec in pervetusta collectione canonum, teste Coustantio ipso jam citato, multae reperiuntur nomine *Auctoritatis* scriptae decretales: ex. gr. Auctoritas Syricii ad Himmerium, Auctoritas Innocentii ad Victricium etc. (b). Non ergo a collectione Mercatoris, ut adversarii effutiunt, causam habuerunt Pontifices constitutiones edendi (c).

Praeterea Romanorum Pontificum epistolas cura primitivorum Episcoporum post lectionem Sacrorum Bibliorum recitari in Ecclesiis eorum mos erat; sicque mandata Sedis Apostolicae cunctis observanda insinuata, atque manifesta erant. Porro hujus disciplinae rationem adversarii minime reddere possunt, nisi in Pontificum vitium vertant constitutiones eorum, et ad jus eorumdem proprium non referunt.

Ne autem de veteri illorum constitutionum auctoritate suspicari fas sit, utque simul obedientia et subjectio exhibita Pontificum constitutionibus intelligatur, nec non gravissimae poenae transgressoribus sancitae cognoscantur, audire praestat Tertullianum ipsum, lue jam Montanistarum infectum, qui adversus reconciliationem poenitentium ita scribit (3): « Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium (d): Pontifex scilicet maximus, quod est Episcopus E-

(a) Apud cit. Coustant. reliquae, quae nunc supersunt, Summorum Pontificum primorum saeculorum decretales epistolae ad rem erunt videndae.

(b) Ipsi Jurisconsulti voce *auctoritatis* non denotabant, nisi jussa Superiorum, et edicta publice proposita. *Vicat in Vocab. I. U. verbo* auctoritas.

(c) Ad rem juvat monere, quod ad saeculum usq. III forsan Romanae Ecclesiae Bibliotheca erat, quae dicebatur *Archivium*, *Schrinium*, *Chartarium*, ubi decretalium authographa acta, et canones conciliorum, ceteraque ecclesiastica monumenta servabantur. *Coustant. praef. ad epist. RR. PP. n. 44*. Et ita, si quando dubia insurgerent, recursus habebatur ipsi chartario. Hinc Hieronymus *Epist. 110. n. 91*. dixit: « *Cum in chartis ecclesiasticis* juvarem Damasum Romanae urbis Episcopum, et Orientis, Occidentisque synodicis consultationibus responderem etc. ».

(d) Ex stylo jurisconsultorum vocat peremptorium edictum, quod perimeret disceptationem; hoc est ultra non pateretur adversarium tergiversari, aut excusari.

(1) *Epist. ad Fabium Antiochenum ibidem.*

(2) *Ibidem epist. I.*

(3) *L. de Pudicitia.*

» piscoporum, edicit : ego et moechiae, et fornicationis deli-
» cta poenitentia functis dimitto ».

Multa interim moliendo faciunt S. Sedis hostes, ut Romanorum Pontificum constitutiones aspernentur, asserentes, quod ipsis constitutionibus Pontifices causam propriam promovent; etenim illi causam non egerunt propriam, sed Christi, ejusque Ecclesiae: praeterquam quod admissa tali eorum exceptione, quid de judice, quid de parente, quid de Principe, qui petulantem litigatorem, immorigerum filium, rebellem subditum compesceret? Non latet nos tandem, Pontifices ut plurimum in concilio generales edidisse leges; ast hoc non obstante, saepe etiam mandata sua comprehendisse literis jam demonstratum fuit, quibus omnes parere cogebantur, quaeque saepe ad certas Ecclesias datae, deinceps omnibus communes fiebant; proindeque cum aliis Episcopis, aliisque provinciis mittebantur, aliquando in manuscriptis, ac exemplaribus additamentum accepere: *et universis provinciis*. Videtur vero circa IV. saeculi finem usitatum, ut Romani Pontifices, quando ad aliquem Episcopum responsa dirigebant, ab eo exposcerent, ut ceteris eadem communicarentur ex. gr. Siricius ad Himerium Tarracon. scribit circa ann. 390. « Haec, quae ad tua consulta rescripsi-
» mus, in omnium Episcoporum nostrorum perferri facias no-
» tionem, et non solum eorum, qui in tua sunt dioecesi (idest
» metropoli) constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses,
» ac Boeticos, Lusitanos, atque Gallicos, vel eos, qui vicinis
» tibi collimitant hinc inde provinciis (1) ».

Caeterum constitutiones aliae generales sunt, et universum catholicum obligant orbem, cujus speciei sunt omnes dogmaticae, quaeque universalem sanciunt disciplinam; aliae vero speciales sunt, et de rebus alicujus regni, personae, aut Ecclesiae decernunt (*a*).

Utrasque species Decreta, Decretales, Epistolae, Bullae, Brevia spectant. *Decretorum* nomine intelliguntur priscae

(*a*) A constitutionibus distinguuntur stricte *Canones*, qui proprie eduntur in conciliis; *Constitutiones* vero dogmaticae sive *dogmata* respiciunt fidem; *mandata*, mores, et disciplinam; *interdicta* quidpiam fieri vetant; *Sanctiones* poenam in transgressores statuunt, legibusque omnibus adnexae sunt. §. *10. Inst. de rerum divis.* Loquendi usus tamen in omnibus valde incostans est.

(1) *Conc. Labb. t. II. p. 1022.*

Constitutiones, quae, nemine consulente, a R. Pontifice in Synodo Ecclesiae Romanae (quae tunc latius patens suburbicarias regiones fere complectebatur), aut etiam totius Italiae Episcoporum, magna ex parte editae sunt : quamquam eo nomine comprehendantur etiam responsa Sedis Apostolicae per illa tempora ad Episcoporum quaestiones emissa. *Decretales* sunt Pontificum constitutiones ad consultationem sive Praelatorum, sive privatorum emissae, eaque intentione ut plurimum editae, ut ad similes casus trahantur, et legis universalis vim, ac dignitatem habeant. Ideo decretales dicuntur, quod, per eas causa mature deliberata, aliquid generaliter valiturum decernatur. Ita Dojat (1). Unde illud : *Decretum statuit* : *Decretalis respondet. Epistolae* autem Apostolicae, vel a personis, ad quas missae sunt, vel a causa, et argumento scriptionis, vel etiam a modo, quo mittuntur, nomen habent (*a*).

Bullarum, et *Brevium* denique nomina a recentiori literarum forma invecta fuerunt. Bullae enim seu literae bullatae a sigillo nomen duxerunt vel plumbeo, vel aureo, quod exhibent hinc figuras Ss. Apostolorum Petri, et Pauli, hinc nomen Pontificis (*b*). Eae si non modo Pontificis, sed etiam Cardinalium manu subscriptae in Concistorio ferantur; *Bullae concistoriales* dici solent, quibus alterum superadditur signum Crucis, brevi lemmate circumdatum. Sunt etiam *Bullae dimidiae*, quae scilicet in sigillo impressum non habent nomen Pontificis, et feruntur, antequam coronetur, *Bullae* dicuntur ordinationes, aut concessiones Pontificum in rebus gravioribus editae, formisque sollemnibus munitae : debent continere praefationem, narrationem rei, et salutationes consuetas. Describuntur in membranis, et quidem charactere veteri, quod dicitur *gothicum*, et *bullaticum*.

(*a*) *Familiares* dicebantur, quae ad viros pios, et doctos vel solatii, vel consilii petendi causa, aut benignitatis mittebantur; *Tractoriae*, quibus Episcopi ad Synodum vocabantur, dictae etiam *Synodales* : at S. Augustinus illas intelligit literas per orbem missas, velut *encyclicas*, circa eos, qui de crimine convicti fuerunt, aut super criminis objectis respondere pertinaciter detrectant. Alia genera litterarum Pontificiarum, ne longius abire videamur, cum res feret, enucleabimus.

(*b*) Bullae *aureae* sunt, quibus Sedes Apostolica confirmationem imperii aliamque gratiam Impp., aut Regibus largitur ob sigillum in auro cusum.

(1) *Praenot. lib. II. cap. XX.*

Altera forma literarum *Breve* ideo dicitur, quod in brevioribus membranis conscribuntur sub annulo Piscatoris, nimirum sigillo in rubra cera impresso, coelatam praeferente figuram D. Petri piscantis.

Distinguuntur ergo Bullae a Brevibus I. quod haec praesertim pro levioribus, illae pro gravioribus plerumque negotiis feruntur; II. quod haec Latino intelligibili, et eleganti charactere, illae Longobardico, aut Teutonico, antiquo Gallico licet latino, nulla linea, nec puncto adhibito, nec servata orthographia, uti fit in Brevibus, scribuntur (*a*); III. quod Brevia per Cardinalem a secretis Brevium, Bullae in Cancellaria Apostolica expediuntur; IV. quod Bullae sigillum habent aureum, vel plumbeum pro ratione eorum, ad quos mittuntur; Brevia sigillum cerae rubrae, in quo impressa est imago S. Petri piscationem exercentis; V. quod pro Bullis subobscurae, crassioresque membranae, pro Brevibus albae, et subtiles adhibentur (*b*).

Differunt *Brevia* in negotiis privatis concessa a simplicibus *Signaturis*. *Signaturae* sunt adnotationes, quae vel ab ipso Papa subscribuntur precibus et libellis, vel a Cardinalibus, aut aliis Praelatis a Pontifice praepositis utrique Signaturae, vel gratiae, vel justitiae: suntque scripturae absque sigillo, atque respondent adnotationibus, et subscriptionibus, quibus Imperatores etiam leges condebant.

Aliquando Papa utitur Encyclicis Epistolis, quae vel ad omnes orbis Episcopos, vel ad Praelatos alicujus regionis tantum diriguntur, et videntur tunc maxime adhiberi, quando exponenda est doctrina, vel cum adversus abusum aliquem sit reclamandum, quin tamen positivum aliquid praescribatur (*c*).

(*a*) Sunt hi Characteres corrupti, quibus Romani veteres utebantur, apicibus, lineolis, et fluxibus additis a Longobardis.

(*b*) Non obstantibus autem supra dictis, et aliis differentiis inter Bullas, et Brevia, et non obstante quod major solet adhiberi fides Bullis ob sollemniorem ritum, quo sunt conscriptae; conveniunt tamen in hoc quod Brevia tantam vim in illis materiis, in quibus sunt conscriptae, habent, quantam Bullae in ceteris materiis. Unde etiam vim legis habent *l. fin. 6. de legibus.* De gratiis per Secretarium Brevium expediendis sub poena nullitatis, confer Bened. XIV. *tom. I. const. 145. §. 5.*

(*c*) De clausulis Constitutionum, quarum non parva vis est, confer Rebuffi Praxim. Hoc tamen monitum volumus, quod ex dictis antea facile infertur Gallos DD. qui alias judicium S. Sedis de re dogmatica cum summa veneratione omnes confitentur accipiendum, male sensisse circa aliquas ex illis dogmaticis

CAPUT X.

DE RESCRIPTIS.

CONCLUSIO PRIMA.

Rescripta enucleantur, et distinguuntur.

Rescriptum quasi responsum scriptum definitur (1): responsio scilicet Supremi Principis ad alicujus supplicationem, relationem, vel consultationem in scripto data (a). Dividitur in rescriptum *gratiae*, quo ex liberalitate Principis aliquid præter, vel contra jus conceditur; uti sunt v. g. officia, privilegium, favor, gratia, vel beneficia supplicanti concedenda (2); vel *justitiae*, quod ad justitiae administrationem fere secundum jus commune exercendam tendit (3) (b); vel *mixtum*, quod gratiam simul, et justitiam continet; uti esset v. g. Re-

judiciis, puta: *motu proprio; de scientia nostra*; *de plenitudine potestatis etc.* his enim derogari potestati Ordinariorum dicunt, quibus pertinet in prima instantia judicare de erroribus, et quaestionibus occurrentibus; et subdunt non satis consonare illi Ecclesiae consuetudini, qua res majoris momenti, aut in concilio, aut in collegio Cardinalium sollemniter judicantur. Haec quidem, et, quae antea diximus de potestate summi Pontificis supra concilium, Gallos errare declarant: Verum id magis patebit, et cum in altero volumine contra eosdem Papae immediatam auctoritatem in unamquamque dioecesim propugnabimus, et cum mox de Conciliis Oecumenicis agemus. Unde nec obstare demonstratum manet contra eosdem etiam clausulam: *non obstantibus quibusvis Apostolicis necnon in provincialibus synodis, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et conciliis.*

(a) Si relatio, vel consultatio fit a privatis vocatur *subscriptio* vel *annotatio*: si vero a Magistratu, seu Principe fit consultatio, et Princeps ad hanc insertis precibus directe respondet, vocatur *epistola*: si vero sine insertione precum de negotio publico diligentius respondet, dicitur *Sanctio Pragmatica. L. fin. cap. de diversis rescriptis.*

(b) Vocatur etiam ad *Lites*, et vel explicat jus dubium, vel ad petitionem delegat judicem ad decisionem alicujus litis, aut alias jubet administrari justitiam; et distinguitur a rescripto *gratiae*, etiam quod hoc valorem et vim suam oblinet a die datae, a die scilicet, a qua expeditum est v. g. in Dataria Romana. *Cap. VII. et IX. h. t.* Illud vero vim et valorem suum non

(1) *Ex. l. fin. C. de diversis rescript.*
(2) *Cap. V. VII. XII. h. t. in 6.*
(3) *Cap. XII. et LIX. de appell.*

scriptum Apostolicum, quo executori simul mandatur collatio beneficii, et committitur potestas compellendi resistentes. Rescriptum potest lato, vel stricto sensu accipi: lato sensu venit quodcumque Rescriptum sive contra, sive praeter, sive secundum jus. Stricte autem, solum secundum jus (a).

CONCLUSIO SECUNDA.

Vitia Rescriptorum explicantur.

Rescriptum vitiatur, vel saltem suspectum redditur, 1.° si non sit debite formatum juxta stylum Curiae, et consuetudinem legitime praescriptam, specialique clausula non sit munitum (b); 2.° si latum fuerit contra jus commune, non addita clausula derogatoria ejusdem; 3.° si per illud laedatur jus alteri quaesitum, et rescriptum de eo mentionem non faciat; 4.° Rescriptum *justitiae* vitiatur, si eo uni, vel pluribus certis judicibus committerentur omnia negotia, tam præsentia, quam futura; nam per hoc nimium praejudicatur potestati ordinarii judicis, quod Pontifex non praesumitur facere; 5.° si eodem delegaretur judex incertus, et ad arbitrium impetrantis eligendus, non addita clausula; 6.° si in rescripto aliquid mandatur nimis durum, prorsus insolitum, aut contrarium rectae rationi, aut publicae utilitati; 7.° si Rescriptum habet inexcusabilem soloecismum contra latinita-

statim obtinet a die, quo expeditum est, sed primum a die, vel tempore *praesentatae*, hoc est, quo literae sunt actu praesentatae judici delegato in *C. XII. h. t. et c. I. eod. in 6.*

(a) Secundum jus, illud explicando, si dubium sit; vel observari mandando, si clarum. Heic non abs re erit etiam advertere, quod si in rescripto reperiatur *motu proprio*, inde non sequitur, quod instantia, vel supplicatio, vel consultatio non praecessit, sed solum indicatur, quod Princeps motu proprio potius, et sua clementia, quam precibus, et alicujus instantia inductus sit ad dandum rescriptum. Habet tamen illa clausula hunc effectum, quod vitium *subreptionis* opponi rescripto non possit.

(b) Forma rescripti praecipue in his consistit nimirum 1. ut nomen Pontificis praeponatur, annus Incarnationis, et Pontificatus, ac dies, et quidem per integras voces, non per cifras numerorum; 2. ut rescribens debito nomine compellat illos, ad quos mittit; nam Papa rescribens Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos confirmatos, *Venerabiles Fratres*; reliquos viros omnes cujuscumque ordinis, Principibus, et Imperatoribus non exclusis, *Dilectos filios* appellat, et cum uni tantum scribit, numquam utitur plurali numero; 3. Rescripta *gratiae* bullantur cum filo serico rubro, et croceo; rescripta vero *justitiae* cum filo cannabis, ex quo plumbum pendet.

tem, vel errorem contra stylum curiae Romanae, aut Camerae Apostolicae; 8.° si continet rasuram, lituram, vel cancellationem in loco suspecto, seu parte Rescripti substantiali; nisi facta sit in ipsa Cancellaria, quod praesumitur, si Rescriptum, in quo reperitur rasura, adhuc clausum fuerit Ordinario exhibitum; 9.° et praecipue per obreptionem, et subreptionem (*a*).

Tam gratiae, quam justitiae Rescriptum obtentum fraude, vel dolo obreptitium, vel subreptitium, quoad omnes partes vitiatur, si illae tendent ad unum, eumdemque finem, etiamsi expressio falsi, vel suppressio veri non fuerit causa concessionis (1). Si Rescriptum est obreptitium, vel subreptitium ob ignorantiam, vel simplicitatem, tunc discrimen est faciendum. Nam si talis exprimitur falsitas, vel tacetur veritas, qua cognita Pontifex nullas omnino dedisset literas, tunc Rescripta justitiae, vel gratiae vitiantur in totum, et sunt nulla ac irrita. Item si qualitates, et circumstantiae, quae de jure communi, consuetudine, aut stylo Curiae Romanae specialiter sunt exprimendae, silentio serventur, licet ex ignorantia etc. tale Rescriptum est invalidum (2): non enim verisimile est, Pontificem, cujus est jura tueri, voluisse jura tot vigiliis excogitata, et firmata, uno verbo, vel Rescripto evertere. Insuper ejusmodi qualitates etc. pertinent ad substantiam, et formam actus. Vide Reiffenstuel (3). Si vero qualitates sint tales, quae licet de jure etc. non specialiter tamen debent exprimi, et Princeps concederet, etiamsi veritas non exprimeretur, tunc probabilius valent tum Rescripta justitiae, tum gratiae (4). Quod si demum vitiata una parte Rescripti per obreptionem, vel subreptionem, caeterae partes cum non sint ita connexae, ut ad unum finem tendant, ipsae non vitiantur: uti DD. tenent (5); quia utile per inutile vitiari non debet, si ab invicem separari possit (*b*).

(*a*) Subreptio juxta communem fit tunc, quando tacetur, et non exprimitur veritas ad rem per se seu intrinsecce pertinens. Obreptio, quando narratur falsum. *c. XX. de rescript.* quamvis non desunt, qui volunt, quod *Obreptio* et *Subreptio* sint voces synonimae, et promiscue illas usurpent.

(*b*) Si petatur Rescriptum justitiae, debet exprimi 1.° rescriptum anterius si quod obtentum sit in eadem causa; 2.° distantia rei a loco judicii ultra

(1) *Ita expresse habetur c. II. h. t. et c. XV. eod.*

(2) *C. XXIII.* Taceatur *de praeb. in 6. etc. et c.* Ecclesia *L VII. de elect.*

(3) *h. t. n. 167.*

(4) *Ita c. XX. h. t. c. VIII. et XIV.* Nos igitur *de praeb. in 6.*

(5) *Reg. 37. juris in 6.*

CONCLUSIO TERTIA.

Tempus, quo praesentandum Rescriptum, et quamdiu duret, explicatur; utrum revalidari possit, exponitur; tempus denique, quod inspiciendum est in illo, designatur.

Quoniam tota vis Rescripti a voluntate pendet rescribentis, si tempus a rescribente praefixum reperitur, praesentandum est Rescriptum juxta illud: si vero praefixum non erit, et Rescriptum sit justitiae, distinguendum; vel unicum obtentum est super eadem re, et per se tamdiu durat, quamdiu jus est agendi, aut excipiendi, super quo impetratum est (*a*); vel duo impetrata sunt, et is, qui impetravit primum, intra annum per malitiam, vel negligentiam eo non fuit usus, Rescriptum primum evanescit, et convalescit secundum; licet istud sine mentione prioris impetratum fuisset, adeo ut deinceps primus impetrans adversus posteriorem non amplius possit opponere exceptionem (1). Rescriptum justitiae, re adhuc integra, expirat morte concedentis (*b*). Si vero Rescriptum sit gratiae, et

dietam, si inde tantum distat; 3.° conditio personae privilegiatae, si contra talem impetratur Rescriptum; 4.° lis pendens, et judex, si causa jam sit inchoata in judicio; 5.° sententia lata, vel appellatio interposita, si alterutrum jam contigit; 6.° transactio, vel laudum, si alterutro modo causa jam sit finita; 7.° diffamatio, si petatur inquisitio specialis contra aliquem. Si vero Rescriptum petatur gratiae in causa beneficii ecclesiastici obtinendi, debet exprimi 1.° beneficium etiam tenue, vel jus ad aliquod beneficium, si tale jam habet petens; 2.° qualitas beneficii antea obtenti, et valor: 3.° modus, quo vacare coepit beneficium, quod petitur; 4.° jus, si quod alius ad illud habet; 5.° possessio etiam colorata, imo et detentio non notorie injusta, qua alius occupavit idem beneficium; 6.° Rescriptum anterius, si quod vel ipse petens, vel alius jam obtinuit super idem beneficium; 7.° patrimonium, quod habet petens, si petat rescriptum *in forma pauperum*; 8.° habilitas, vel potius inhabilitas, propter quam si non dispensetur, petens est incapax, si petitur, et datur rescriptum in *forma gratiosa*, non in *forma dignum*. Denique nomen Sancti illius Ecclesiae, in qua est beneficium, nisi sit cathedralis. Ita DD. passim tum ad res Cancelleriae, tum ad h. t.

(*a*) *Per se* dictum est; nam Rescripta ad lites etiam expirant morte concedentis, aut cessatione officii ipsius delegantis, v. g. per resignationem, re adhuc integra, seu nondum facta citatione partis per delegatum (nam re adhuc non integra nec rescriptum gratiae, nec justitiae expirat morte concedentis juxta communem) ita quidem, ut etiamsi delegatus mortem concedentis ignoraverit, processus postea per ipsum formatus non valet. Ita Abbas in c. *Gratum* XX. n. 10. *de offic. delegat.* et Reiuffestuel h. t.: intellige tamen, si solus delegatus ignoret; secus, si communis ignorantia, et error concurrent.

(*b*) Res adhuc non est integra, etiamsi tantum citatio partis per Delegatum facta fuit; c. *Gratum* XX. *de offic. delegat.*

(1) *Ita c. XXIII. h. t.*

continet in se gratiam jam *factam*, non expirat per mortem concedentis etiam re adhuc integra (a); quod si continet gratiam primum *faciendam*; expirat per mortem concedentis, re adhuc integra (1). Caeterum etiam Rescripta Pontificia, quae morte concedentis expirarunt, iterum reviviscunt, et revalidantur vi regulae 12 Cancellariae de revalidatione literarum; in qua novus Pontifex *revalidat literas gratiae, et justitiae per Praedecessorem intra annum ante diem obitus concessas; et debitis temporibus earum executoribus non praesentatas*, ut per executores praedictos, vel ab eis subdelegatos ad ipsarum executionem procedi possit, ac debeat, aeque ac si executio hujusmodi temporibus praedictis *inchoata esset*. Poterit ergo executor literarum gratiae, et justitiae, quae jam expirarunt, novo Pontifice electo, inchoare suum officium; tunc enim reviviscunt regulae Cancellariae, et cum regulis literae (2).

Quoad tempus denique inspiciendum in Rescripto, si quæratur, an illud sit validum, vel si dubitetur, ad quas causas, et actiones se extendat, inspiciendum est tempus *datae*, quo literae Apostolicae sunt in curia Romana expeditae; si vero quaestio sit, quando judex delegatus jurisdictionem accipiat, aut num acta judicis per Rescriptum revocati sint valida, inspiciendum est tempus *praesentatae*, quo Rescriptum praesentatur delegato, aut executori (3). In literis autem gratiae regulariter attenditur ad tempus *datae*; excipiuntur etenim aliqui casus, inter quos patet beneficium posse alicui confer-

(a) Rescriptum gratiae factae ad beneplacitum concedentis durat, donec ille revocaverit; aut donec ipse concedens moriatur, quia morte voluntas solvitur, et extinguitur; c. *Si gratiose* V. *de rescript.* Rescriptum gratiae concessae ad beneplacitum Sedis Apostolicae non expirat morte Papae concedentis, quia Sedes ipsa non moritur, et durabit perpetuo, nisi a successore fuerit facta revocatio; in d. c. *Si gratiose.* Rescriptum gratiae ad beneplacitum personae, et dignitatis, quae perpetua est, juxta aliquos, qui volunt quod praeponderet dignitas, non expirat morte concedentis. Alii vero volunt, quod praeponderet nomen, quod praecedit, et sic quod gratia non extinguatur, si praecedat nomen dignitatis; arg. ex c. *Quoniam* XIV. *de offic. et potest. jud.* Rescriptum gratiae concessae cum clausula: *donec revocaverimus*, *donec duxerimus ordinandum*, et hujusmodi; durat perpetuo, nisi a concedente, vel successore ipsius revocatur, nec expirat morte concedentis. Sic Barbosa, Reinffestuel, et alii.

(1) *Utrumque clare habetur c.* Gratia *IX. de Offic. jud. delegat.*

(2) *Ita Gloss. ad dictam regulam.*

(3) *Ita colligitur ex c. XII. de appellat. et c. IV. de restit. spol.*

ri, modo habeat aetatem requisitam tempore *praesentatae*, etsi tempore *datae* non habuisset (1).

CONCLUSIO QUARTA.

Cui committenda executio Rescriptorum: ad quid executores teneantur, aperitur.

Si Rescripta jurisdictionem exigant, et cognitionem causae requirant, a Sede Apostolica, ejusque legatis committi debent personis Dignitatem, vel Personatum habentibus, vel Canonicis in Ecclesia cathedrali (2). Si vero illi, quibus Rescriptorum executio committitur, sint meri executores sine ulla causae cognitione, non indigent praedictis qualitatibus. Adhaec si executio Rescripti pertinet ad Episcopum, et vacat Sedes, Capituli est illud exequi; ita quidem, ut illi, pro quo scripsit Pontifex, etiam beneficium, cujus collatio alias ad solum Episcopum pertinet, conferri debeat (3). Quod si, vacante Sede, Rescriptum directum est ad Capitulum, et interim eligatur, et confirmetur Episcopus, ad hunc pertinet executio (4).

Quod denique executores spectat, hi inquirere debent de impedimentis Rescripti; quod si nullum sit, executioni mandare tenentur intra tempus praescriptum; si vero nullum praefixum reperitur, et Rescriptum est justitiae, potestas judici delegata nullius certi temporis lapsu extinguetur: si autem Rescriptum est gratiae, vel ad beneficium, Ordinarius, ad quem literae sunt directae, intra 30 dies a praesentatione numerandos, collationem facere, et provisum in possessionem mittere debet, nisi obstet impedimentum, aut contradictor; alias virtute Bullae executoriae, ut vocant, quae simul cum alia datur, adire ei licebit alium judicem, qui provisum examinet, et, si dignum repererit, beneficium conferat.

(1) *Ex cap. XXIX. de praebend. in 6.*
(2) *Cap. XI. h. t. in 6.*
(3) *Sumitur ex cap. I. de institut. in 6.*
(4) *Colligitur ex cap. VII. h. t.*

CONCLUSIO QUINTA.

Regulae notantur ad Rescripta recte interpretanda.

Et quoad Rescripta justitiae 1.ª est: Rescriptum accipiendum est secundum propriam, et communi usu, praesertim curiae, ex qua emanavit, receptam significationem. 2.ª In dubio, quia non constat de contraria voluntate rescribentis, intelligi debet secundum jus commune, ne illi deroget, etiamsi necessarium foret a verborum proprietate discedere, et clausulam adjectam transponere (1). 3.ª Stricte interpretandum est nec ad casum, aut personam rescripto non expressam, aut conjunctam cum casu, sive persona expressa, extendi debet; quia detrahitur jurisdictioni Ordinarii. 4.ª Rescripti verba ita interpretanda sunt, ut quam minime praejudicetur aliis, eorumque juri quaesito.

Quoad Rescripta vero gratiae, quae non sunt contra jus, neque in praejudicium juris ab altero quaesiti, ea latae sunt interpretationis (2); exceptis tamen Rescriptis ad beneficia, quae per se, et regulariter sunt strictae interpretationis, quia sunt ambitiosa, seu per ambitionem impetrari solent (3): diximus regulariter; nam late interpretandae sunt literae beneficiales concessae ex motu proprio; item si favorem simpliciter contineant, ut si detur Episcopo facultas conferendi beneficia Dioeceseos, quae erant reservata. His adde literas concessas in compensationem damni, quod aliquis occasione Ecclesiae sit passus.

(1) *C. XVIII. h. t.*
(2) *C. IV. de praeb. in 6. et c. 1. de fil. praesbyt. in 6.*
(3) *Textu expresso in cap.* Quamvis *de praeb. in 6.*

CAPUT XI.

DE CONCILIIS.

CONCLUSIO PRIMA.

Origine Conciliorum distincta, et propugnata, de Oecumenicis Conciliis nonnulla praemittuntur.

Coetus sive legitimus conventus catholicorum Antistitum, ecclesiasticis de causis in unum locum evocatorum, concilium dicitur (*a*), graece Synodus. Conciliorum autem originem alii a jure naturae repetunt, propterea quod nihil magis consonum, quam ut corpus morale eo, quo possit, modo sub capite suo conveniat; alii divinae institutioni acceptam referunt, atque a Scripturis id non alienum videtur in quibus haec habentur: *Ego Sapientia habito in consilio* (1), et alibi (2): *Ubi enim* (*b*) *sunt duo, vel tres congregati, in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Certum vero est, quod primi omnium Apostoli in coenaculo Hierosol. adhuc commorantes, unanimi sententia Matthiam Apostolum elegerunt

(*a*) Isidorus *c. I. dist. 15. n. 1.* nomen concilii tractum adfirmat a concursu ciliorum; dicit enim; *Cilia* oculorum sunt, unde qui sibimet dissentiunt, non agunt concilium, quia non consentiunt in unum. Hug. et Archid. (*in cap. can.*) a vocibus decunt *Con.* et *cilium.* Alii a considendo, vel conciendo.

(*b*) Particula *enim* indicat ad praecedentia verba referendum hoc dictum, ex quibus argumentum nonnisi grave conficies. Postquam enim verba fecerat Christus de homine, qui correctionem etiam coram duobus, vel tribus testibus factam respuit, inde subdidit: *Quod si non audierit, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus, et publicanus.* Ne quis autem Praelatorum Ecclesiae congregationem parvi faceret, addidit: *Amen dico vobis: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Id dictum de ecclesiastico conventu indicant maxime verba adnexa: *Iterum dico vobis; quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.* Utque ostenderet, quanti habendae sint Congregationes Praelatorum, adjecit: *Ubi enim sunt duo, vel tres etc.*

(1) *Prov. VIII. 12.*

(2) Matth. *XVIII. 20.*

in locum Judae (1). Inde electionem decreverunt diaconorum (2) : iterumque in unum coacti, quid de caeremoniis mosaicae legis esset sentiendum, definierunt, et paullo post Jacobus, et Seniores Hierosolymis Paulo suaserunt, ut se ritui Purificationis subjiceret (3) (a).

Concilia vel generalia, graece Oecumenica, et sunt illa, ad quae Episcopi universi orbis vocantur, universam sic Ecclesiam exhibentes, de quibus hoc capite : vel particularia, et topica, ubi non omnes sunt Episcopi simul coacti, quae pro diversis rationibus par erit subdistingui. Sed de his sequenti capite agetur.

Concilia Oecumenica, ubi legitima sint, esse infallibilia in definitionibus eorum, quae fidem, moresque respiciunt, soli haeretici negant. Ut autem Concilium Generale legitimum dicatur, has conditiones habeat, oportet; I.ª est ut legitime convocetur; II.ª ut in Concilio ordo servetur secundum ecclesiasticas regulas; III.ª ut controversiae examen ad scripturae, et traditionis normam instituatur, et ut nemo excludatur, qui audiri voluerit; IV.ª ut in Concilio plena sit suffragiorum libertas; V.ª ut definitioni consentiat totalitas Episcoporum moralis, h. e. eorumdem pars maxima; VI.ª ut decretis Patrum accedat Romani Pontificis vel per se, vel per legatos suos consensus seu approbatio, et confirmatio. Ubi itaque constabit haec omnia servata fuisse in Oecumenicis Conciliis, de horum definitionibus fidem, moresque spectantibus sine haereseos nota dubitari non potest. Utrum vero hujusmodi conditiones revera in aliquo Concilio Oecumenico adfuerint, nec ne, nemini in dubium revocare licebit, 1.° si habeatur moralis evidentia facti, quae ex probatis

(a) Jus divinum, et potestas conveniendi in Synodos non solum ex his patet, sed et ex ipsa libertate Ecclesiae, et independentia a Statu civili. Oportet enim, ut ad finem conservandae fidei, unitatis, et integrae disciplinae adhibeantur media opportuna, et pro temporum ratione quasi necessaria. Valentinianus hinc ab Episcopis orthodoxis rogatus, ut contra Arianos Synodum cogere liceret, respondit (*Sozom II. H. Tit. 6. c. VII.*) « Sibi, qui » unus ex laicorum numero esset, non licere se hujusmodi negotiis inter» ponere: et ideo sacerdotes, et Episcopi, quibus haec curae sunt, seorsum » per se, ubicumque libitum fuerit, *in unum conveniant* ». Ex hoc tamen non sequitur, quod conferri cum Principibus ea de re non possit; multa enim subsidia pro securitate Patrum requiruntur, quae nisi ab ipsis praestari nequeunt.

(1) *Act. 1.*
(2) *Ibid. 6.*
(3) *Act. XXI.*

historicis eruitur ; 2.° si adsit confirmatio Romani Pontificis; 3.° si ab universa catholica Ecclesia ut tale habeatur (a). Nam de Ecclesiae universae infallibilitate fides dubitare non sinit. Verum quoniam multa horum oppugnantur ab haereticis, atque anti-politicis, nobis non satis esse videtur eadem leviter attigisse. Hinc sequentibus conclusionibus haec , et cetera huc spectantia fusius tractanda , et firmissimis rationum momentis firmanda putamus, et primum contra Lutherum, et Calvinum jus convocandi Concilium Rom. Pontifici negantes, ac Imperatoribus , ac Regibus tribuentes , sit

CONCLUSIO SECUNDA.

Ut Concilium Oecumenicum dicatur legitime convocatum , auctoritate Summi Pontificis est cogendum.

Et re quidem vera sacrum sit , vel profanum regimen , ubi conventus maximus indicendus est , ab eo utique id fieri debet , cui de jure competit jus convocandi seu indicendi illum ; hoc est , cui suprema est potestas ; ne turbae , ac factiones praevaleant , quin ullum obtineatur bonum , ut experientia ipsa testatur. Porro uni Romano Pontifici convocandi Oecumenici Concilii jus convenit praeterea nemini : Concilium enim Generale universam Ecclesiam repraesentat ; ac proinde ab eo cogendum est , qui de jure divino auctoritatem habet in universam Ecclesiam, quique ipsam pascit , ac regit ; quod profecto solius Romani Pontificis est. Adhaec veniendi , conveniendique , imo et permanendi in Concilio quis onus imponere posset universis Episcopis , nisi Rom. Pontifex, qui solus jure divino primatu super omnes , Episcopis non exclusis , gaudet ? Principatus politici nec universales natura sua sunt , nec perpetui , sicut inepto paralogismo antipolitici supponunt. Praeterea Concilium Oecumenicum, ut legitimum sit , nomine, atque auctoritate Ecclesiae profecto indicetur, oportet, nec debet esse acephalum. At nomine , atque auctoritate Ecclesiae indictum dici non posset ,

(a) Ex hoc non est inferendum , quod Concilium a Rom. Pontifice confirmatum antecedenter ad Ecclesiae consensum non sit infallibile. Eo enim ipso, quod Concilium legitimum est , falli non potest ; verum aliud est Con-

et utique acephalum esset, si non esset indictum ab universae Ecclesiae capite, illo capite inquam, cujus est statuere ac definire, expediatne certis temporibus coire synodum, ne unitas ecclesiarum acerbitate temporum dissolvatur magis, quam constringatur: cujus est judicare de causa convocationis, satisne sit gravis, et justa, ut pastores avocentur a gregibus, longas itineris, et peregrinationis molestias suscipientes; cui denique sacra potestas est in fide, moribus, et disciplina generali dicendi etiam in Concilio; ipsi enim dictum fuit a Christo: *Pasce agnos: pasce oves — Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos — Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Igitur Oecumenicum non esset Concilium, quod a Romanis Pontificibus indictum simul non fuisset; et quidem vel per sese, et directe; vel auctoritate, et nomine eorum, et indirecte per Imperatores.

Quod factitatum esse in octo prioribus Oecumenicis Conciliis in Oriente celebratis, et horum acta testantur, et Historica monumenta aperte docent. Ex his enim non obscure colligitur, illa octo Concilia licet per Imperatores coacta fuerint, hos tamen id fecisse vel auctoribus, vel assentientibus Romanis Pontificibus, qui hoc illis tamquam Ecclesiae advocatis permiserunt; imo aliquando ab iisdem Imperatoribus, multis, justissimisque hisce de causis illud postulavere Pontifices, nimirum, quod 1.° illa aetate adhuc lex civilis vigebat, ne hominum conventus sine Imperatorum auctoritate agerentur; 2.° quod tunc temporis Ecclesia vix suis sumtibus potuisset in Generalem Synodum convenire, atque ob id ferebant, ut Imperatores convocarent Concilia, ut simul, vehicula atque alimenta Episcopis praeberent. Nec inde est, quod quis suspicetur ea Concilia non fuisse legitima ex eo, quod ab Impp. essent convocata; nam illam convocationem Summi Pontifices confirmabant mittendo legatos suos, qui Pontificio nomine praesiderent.

Nec praetereundum silentio est, quod a Theologis, et Canonistis quidam excipiuntur casus, in quibus extra ordinem jus est Cardinalibus, qui in locum Cleri Romani successere, convocandi concilium generale (quod imperfectum tamen ob id

cilium esse in se legitimum atque ideo infallibile, aliud constare nobis, quod legitimum fuerit. Hoc secundum, praeter alia argumenta, facile cognoscimus, si Ecclesia Generale Concilium receperit.

dicitur (*a*)). Illorum primus est, si in manifestam apostasiam, aut in haeresim impingeret Pontifex ut doctor privatus, quod numquam adhuc evenisse constat; desineret etenim esse membrum Ecclesiae, et Petri successor (*b*). Secundus, si de Pontificatu inter plures dimicaretur, et unus ex contendentibus adhuc esset in possessione; tum si in concilio litem componere recuset, cadit jure suo, illiusque negligentiae per collegium apostolicum cavetur. Tertius, si nullus est in possessione, tunc potiore jure Sedes vacare censebitur. Sic lata adversus contendentes sententia depositionis in Concilio Constantiensi, electus fuit Martinus V anno 1417. Quartus denique, si Pontifex summe catholicus, in summo Christianae rei discrimine, cui per unum concilium certissime occurreretur, pertinaciter illud indicere detrectaret (*c*). Extra hos casus, invito Rom. Pontifice, legitime Synodos fieri non posse, antiquissimi canones, et exempla docent.

(*a*) Concilium hoc, quia caret capite, cui imperatum a Christo fuit, ut confirmet fratres suos, et ideo etiam pro eo Dominus oravit, ne deficeret fides ejus, non est perfectum, quod nempe auctoritatem babet definiendi quaestiones fidei, sed tale est, quod sufficiet ad providendum Ecclesiae de capite. Ecclesia enim sine dubio habet potestatem providendi sibi de capite, quamvis non posset sine capite statuere de multis, de quibus potest cum capite. Lege Bellarm. *de Concil.* c. XIV. l. I.

(*b*) Si Pontifex esset occulte Apostata, vel haereticus, tum ab eo petendum esset, ut concilium cogeret, cui id discutiendum, et judicandum relinqueretur; quod si abnuat illud convocare, sibi suo facto damnationem creabit.

(*c*) Turrecremata *l. III. c. VIII.* vix monet esse possibilem hunc casum; non enim credibile dicit ullum Pontificem tam malum fore, qui non velit concilium celebrare, si aperte constet esse id necessarium Ecclesiae, quod si etiam talis sit ipse, Deus tamen, qui Ecclesiam conservat, sine dubio vel ejus mentem mutaret, vel eum de medio tolleret. Praeterea dicit, quod si nihil horum fieret, posset ipse haberi tamquam suspectus de haeresi; nam qui errori manifesto non resistit, cum possit, et debeat, eum approbare censetur; ex c. *Error* dist. 83. Confer Muzzarelli *de auctorit. R. P.* c. XVI. p. 5. Ballerini *de potest. ecclesiast.* c. IX.

CONCLUSIO TERTIA.

Ferendi suffragium in Conciliis nullum laicis jus esse demonstratur; quibusnam vero ex clericis id juris sit, aperitur.

Protestantium, et Calvinistarum error fuit unumquemque fidelem sive laicum, sive clericum vocandum esse ad Concilium cum jure ferendi suffragium decisivum; quem errorem facile erit ex Scripturis refellere. In his enim numquam legimus Christum laicis fecisse potestatem pascendi, ac regendi ovile suum; et sane clare ex actis Apostolorum colligitur, quod tacuit multitudo in Concilio Apostolorum Hierosolymis coacto, et facta diligenter super circumcisionem disquisitione, solum Petrum, Paulum, Barnabam, et Jacobum loquutos fuisse legimus (*a*). A quo Concilio exemplum, et normam duxit Ecclesia suorum caeterorum conventuum (*b*).

Omnium Catholicorum sententia jure divino solum Episcopi quidem (*c*) habent jus suffragii in Conciliis; horum etenim est definire, quae sunt de fide credenda, vel agenda: *Dabo vobis Pastores secundum cor meum*, ajunt Scripturae (1),

(*a*) Verba, quae leguntur in actis Apostolorum c. XV. v. 6. sunt haec: Con» veneruntque Apostoli et seniores (*hoc postremo vocabulo in novo testamen» to semper significantur Presbyteri et aliquando etiam Episcopi*) videre de « verbo hoc; quum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit.... » tacuit autem omnis multitudo, et audiebant Barnabam, et Paulum, nar» rantes, quanta Deus fecisset signa, et prodigia in Gentibus per eos, et » postquam tacuerunt, respondit Jacobus etc. ».

(*b*) Imperatores, ac Reges conciliis adfuisse constat. Ad rem tamen audiatur, oportet, Cardinalis Petrus de Alliaco *lib. de unit. Eccl.* « Expedit, in» quit, quod Reges, et Principes mittantur ad generalia Concilia non ad » onerandam, et confundendam, sed ad honorandam, et confortandam Ec» clesiam, et ad ea, quae ibi decreta fuerint, quantum in eis est; exequen» dum ». Hinc Constantinus M. in Concil. Nicaeno requisitus, ut auditis quorumdam Episcoporum querimoniis Judex esset, illud dignum tanto Principe protulit: *vos a Deo nobis dati estis Dii, et conveniens non est, ut homo judicet Deos.* Apud Ruffinum 1. hist. c. II.

(*c*) Titulares Episcopi, qui interea nullam gubernant peculiarem Ecclesiam, etiam illo jure gaudere omnes norunt, qui tamen quamvis in actu secundo carent jurisdictione, cum sint occupatae Ecclesiae ab infidelibus tyrannis, ad quarum titulum consecrati sunt; retinent tamen jurisdictionem in actu primo quoad illas. *Episcopatus* autem, ajente Cypriano *lib. de unit. Eccl. unus est, cujus pars a singulis in solidum tenetur.*

(1) *Hierem. 3.*

et pascent vos scientia, et doctrina — *Attendite* (1) *vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (a). At jure ecclesiastico, evecta dignitate Cardinalium supra Episcopos, illi eodem jure suffragii usi sunt primo in conciliis Lugdunensibus I et II. Item aliquot abhinc saeculis, tempore scilicet Basileensis Concilii, Moderatores sive ut vocant Generales Ordinum regularium, et Abbates ab Episcopis benedicti, ob adeptam administrationem, et jurisdictionem quasi Episcopalem in subjectos, eodem suffragii jure dignati sunt (2). Ex Presbyteris autem, et aliis clericis minoribus licet evocari aliquos, qui juvent tantum in disputationibus, et aliis ministeriis; quod ex subscriptionibus respectivis clare evincitur; quibus ut consiliarios vel ministros se demonstrant. Hoc et de procuratoribus Episcoporum absentium intelligendum (b).

Hinc de jure eorum, qui vocari debent (quod convocationem ipsam spectat, ne quis de contemtu agere aut expostulari possit) heic pauca juvat adnectere. Itaque oportet, ut 1.° in generali convocatione nemo, qui de jure vocandus sit, excludatur, ac proinde omnes Episcopi sunt vocandi, ita ut ex Episcopis nulli excludantur, et undequaque veniant, modo non sint excommunicati, et constet esse Episcopos. Danda autem est opera, ut indictio majoribus Ecclesiae provinciis innotescat; 2.° ut saltem ex majori parte christianarum provinciarum aliqui adveniant, aut nisi adfuerint, consensum praebeant (c); 3.° ut legitima convocationis formà servetur, et quae excusatio absentiae admitti queat, et num denique delegati ab absentibus, et quatenus recipiendi sint, cognoscatur.

Haec quoad convocationem satis. Quoad celebrationem concilii, quae multa continet capita, de solemnitatibus puta,

(a) In partem sollicitudinis Episcopi vocati, quam Rom. Pontifex habet omnium Ecclesiarum, in conciliis non meri consiliarii sunt, sed Judices, qui respondent, atque subscribunt *Placet: definiens subscripsi*.

(b) Personas evocandas in Concilio facile erit videre in catalogo eorum, qui in Concilio Trid. convenere.

(c) Hoc ita intelligendum, ut, si concilium in Oriente celebretur, sufficiat, ut ex Occidente mittantur aliqui a Summo Pontifice, qui suppleant aliorum locum; et sic e contra, si in Occidente celebretur. Leg. Bellarm. C. XXII. *de Concil. et Eccl.*

(1) *Act. 21.*

(2) *Vide Bened. XIV. de Synod. dioeces. l. 5. c. II.*

ac caeremonialibus, quorum principia tit. de *majoritate*, *et obedientia* exponuntur: item de libertate suffragiorum, aliisque essentialibus, quorum defectu nullum verum et legitimum censetur, quoniam instituti ratio non patitur de his omnibus disserere, de jure tantum praesidendi dicemus, eo vel magis quod ex eo multa de illis enucleata manent. Sit itaque

CONCLUSIO QUARTA.

Romano Pontifici est ordinarium jus Oecumenicis praesidere conciliis.

Praesidere in consessu jus relationis simul importat, et rogationem sententiae; sunt enim consectaria ejus. Ipse de Marca hoc innuit (1). Haec tamen omnia effectus sunt primatus Romani Pontificis, quem jure divino ipse Pastor, et Pater super omnem exercet Ecclesiam, adeo ut etiam Episcopi, et Principes respectu ejus oves, et filii dicantur, ut ex illis Joan: verbis notum est: *pasce oves meas*; ac proinde ei tantum illa convenire nemo non videt. Quid etenim Concilia Oecumenica sine Romano Pontifice praesidente sunt, et quam auctoritatem habent? Certe nullum judicium Episcoporum sine illo infallibile esset; a Christo quidem hoc Ecclesiae adpromissum; sed causa Petri sive *petrae*, super quam aedificavit illam (2): nam ait: *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*(3). Et revera Christi adpromissiones nonnisi *uni* Ecclesiae factae sunt: quae autem unitas sine capite? quae una Ecclesia sine Pontifice? ablato capite nulla erit Ecclesia: nulla Ecclesia, nulla infallibilitas, quam autumant adversarii: quoniam nihili nullae sunt adfectiones, nulla praedicata. Adhaec cum monarchicum sit regimen Ecclesiae, uti paulo ante demonstratum est, conventus legitimus qui, quaeso, poterit totum regnum exprimere sine Principe? nec ergo Concilium Oecumenicum sine Papa.

(1) *De concord. lib. V. cap. VII.*
(2) Matth. *XVI. 18.*
(3) *Ibid.*

Factum ipsum acriter argumentum urget; etenim finge saeculo XVI schismaticam Ecclesiam Orientalem coactam in Synodo vel Constantinopol. vel alibi, ad profligandas sententias, quae sibi opponebantur; dum simul Catholica Tridenti Concilium celebravit, ut itidem illius errores adversantes sibi damnaret; nonne hoc casu praesidentia Pontificis sola esset, qua Tridentinum Concilium Oecumenicum legitimum evaderet, non vero Constantinopolitanum (*a*)? Recte ideo haec constans Ecclesiae praxis fuit, ut R. Pontifices, vel per se, vel per legatos praeessent Generalibus Conciliis. Quod si secundo, et quinto ex his Conciliis non praefuerunt, utrumque tamen postea illi confirmarunt. Ex quibus omnibus patet ea Concilia generalia haberi non posse legitima, in quibus negaretur praesidentia legatis Pontificis, ut clarum est ex Concilio Ephesino II. quod ob eam rationem praecipue tamquam latrocinium habitum est (*b*).

CONCLUSIO QUINTA.

Status legitimus Synodi Oecumenicae pendet etiam ex confirmatione Pontificis.

Definitiones Concilii Oecumenici haberi debent uti definitiones totius Ecclesiae corporis, quod per Episcopos sub uno visibili capite collectos repraesentatur; at concipi animo non posset, totum Ecclesiae corpus aliquid definire, ubi

(*a*) Hinc solutum concilium intelligitur, simul ac Papa egreditur ab eo; simul ac ibi non praesidet; nec remanet nisi conventus, et si pertinaciter remanet, conciliabulum erit.

(*b*) Lege Bellarm. *de concil. et Ecc.* Et revera quamvis Impp. nonnullis Conciliis generalibus in Oriente celebratis praefuisse constet, non *auctoritativa* tamen, sed *honoraria* fuit eorum praesidentia, scilicet quod locum honoratiorem, eminentioremque haberent, quum tamen illis nunquam interfuerint per seipsos R. Pontifices, ut patet ex ep. Leonis Papae ad Theodosium 17. et 47. ad Concil. Chalced. ubi dicit se non venire ad Synodum, quoniam id non patitur consuetudo, nec ulla Praedecessorum habet de hac re exempla. Ast miserunt semper ad praesidendum *auctoritative* suos Legatos, ante quos, utcumque tolerabile esset, in loco eminentiore, et digniore sedebant in Concilio Impp. Hinc in Concilio Florentino in initio nullatenus fuit permissum, uti Graeci contendebant, ut in summo loco sederet eorum Imperator, et Summum praecèderet Pontificem. Ipseque Constantinus non ausus est sedere nisi in sede humiliore, quam essent sedes Episcoporum, et annuentibus Episcopis, ut colligitur ex Theodoreto l. 1. c. VII. *histor.* et Eusebio lib. 3. *de vita Constant.*

ei consensus et approbatio ejusdem capitis Ecclesiae non accederet. Ex quo factum est, ut nullum generale concilium, cui R. Pontifex subscribere recusavit, habitum fuerit unquam in Ecclesia legitimum: imo Patres omnium Conciliorum consueverint pro eorum, quae fuerant in ipsis gesta, corroboratione a Romano Pontifice subscriptionem, atque adprobationem humiliter petere, atque obtinere (*a*). Et revera sententia Episcoporum ut infallibilis sit, oportet, ut ipsi sint uniti cum capite Ecclesiae, centro unitatis ipsius; sic enim Christus ab illo dependentes posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Nec vero nos latet cujusque Praesidis esse sequi in decreto ferendo majorem partem suffragiorum, sed verum est tamen Pontificem non ut Praesidem tantum, sed ut Principem Ecclesiae summum posse retractare judicium etiam majoris partis, et non sequi illud; igitur si uti Rex potest solus judicium irritare, hoc multo magis Pontifex potest, quam Rex; illius enim est dirigere, et confirmare fratres suos, ita ut ad hoc habeat assistentiam Spiritus Sancti, ne erret juxta illud: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (1).

Ad rem S. Gelasius P. (2) agens de rejecto a Sede apostolica canone concilii Chalcedonensis circa praerogativam Sedis Constantinopolitanae, dicit: « Totumque, ut dictum est, in se- » dis Apostolicae potestate positum est. Ita, quod firmavit » in Synodo Sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod re- » futavit, habere non potuit firmitatem (*b*) ».

(*a*) Confirmatio heic est corroboratio actus in synodo gesti, vel juris ab ea editi, facta per legitimum Superiorem. Haec vero si non explicita, sufficit ut implicita habeatur, cum scilicet quae a Sede apostolica ante Synodum praescripta, vel definita sunt, a Synodo, ut oportet, recipiantur, vel pari forma praescribantur, aut definiantur, etsi nullus subsequatur actus.

(*b*) Hujus veritatis nisi obliti essent DD. Gallicani, inter quos eminet Bergier *Dizion. Theol. art. Concil. n. 4.* docere ausi non essent decreta concilii, generalis vim legis habere independenter ab acceptatione et confirmatione Pontificis. Interim ipsi Gallicani DD. inter characteres Oecumenici concilii convocationem ipsius factam a Pontifice necessariam ita esse tenent nobiscum, ut sine illo tale dici non possit. Ex quo quam male de propositionibus libertatis suae Ecclesiae, quas in conventu nationali redactas dicunt, a Pontificibus tamen pluries reprobatis, sentiendum sit, jam videre deberent. Et re quidem vera quatuor propositiones in comitiis editae an. 1682. ex quibus eorum libertas vocitatur, agentes de Conciliorum, et R. Pontificum jure et potestate, quorum judex non erat certe competens natio illa, quam parvi faciendae sint, nemo est, qui non videat. Si quod dubium enim, si qua lis exo-

(1) Lucae *XXII.*

(2) *In tomo de anathematis vinculo.*

Haec confirmatio actorum concilii non minus necessaria videtur, quoties aliquis defectus adfuisset in convocatione, aut celebratione Concilii, ne quidquid in eo actum, decretumque fuisset, irritum, cassumque haberetur; quo casu confirmata a Pontifice non minorem vim habent, quam definita ac sancita ab ipso extra concilium tenerent (a).

De synodis quibuscumque particularibus etiam nationalibus advertere juvat; quod si positive reprobentur ab apostolica Sede, nullam penitus vim habere possunt. Patet id ex primatu Romanae Ecclesiae super alias. Quod quidem concedere debent ii etiam, qui potestatem oecumenicarum synodorum supra RR. Pontifices autumant: intelligitur enim de Ecclesiis quibuscumque particularibus propositio (41. in ordine) Wicleffi in concilio Constantiensi damnata: « Non est » de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse su- » premam inter alias Ecclesias ».

CONCLUSIO SEXTA.

A legitimis spuriae Synodi distinguuntur.

Status legitimus Synodorum pendet ex eo, quod in iis celebrandis satisfactum sit juribus illorum, qui quadam circa easdem gaudent petestate; unde oportet, ut recte sint convocatae, celebratae, et confirmatae, uti a principio dictum fuit. Hinc sunt Synodi spuriae, quae in his aliquo modo deficientes, jactitatae sunt uti Oecumenicae, plenariae, nationales etc., cum revera non fuerunt nisi turbae, illicitae conjuratio-

riri praesumeretur in re conciliorum, et R. Pontificum jura, et potestatem spectante; certe ab una natione finiri, et cognosci non poterit. Attamen Galli mandato reipublicae, non Christi nomine tunc coacti, causam totius Ecclesiae communem contemto judicio unitatis catholicae sibi solis definiendam sumpserunt, contradicente illico, et iterum Sede Apostolica. Igitur nonnisi valde temere, et arroganter definierunt. Nec si decreta obtendunt Constantiensia, eis quid proderint; ignorare enim non possunt ea a viris summis maximoque numero, ad casum schismatis referri, nec se ejus litis quae inter summos viros diversarum nationum agitabatur, et etiam nunc agitatur, legitimos disceptatores et judices esse.

(a) Praxis quidem Patrum Conciliorum fuit semper petere a Romano Pontifice confirmationem eorum, quae statuerunt in Concilio. Imperatores vero aliquando si concilia confirmarint, testificative fuit, vel receptive, aut *executive*, nunquam *auctoritative*. Confer Lucium Ferraris verbo *Concilium* art. 1. n. 55. et 59.

nes, *synagogae satanae* (1), etc. Sunt vero aliqui conventus, qui legitimi ab initio fuere, et degenerarunt postea, puta quia animo schismatico continuati post dissolutionem legitima auctoritate factam; hos illicitos, et spurios habendos patet. Sunt et aliae Synodi, quarum praecedentibus vitiis confirmatione rerum gestarum provisum fuit, auctoritate legitima superveniente. Hinc Synodi simpliciter probatae habentur, quarum status scilicet in dubium a nemine catholicorum revocatur. Aliae vero partim probatae, partim improbatae censentur, ut juxta aliquos Sardicensis ann. 351 Imp. Constantio, et Julio I Rom. Pontifice, ubi Occidentales Episcopi 300 Catholicam confirmarunt fidem; Orientales autem 76 Arianae subscripserunt fidei; cordatiores autem eam inter Oecumenicas recensent, quorum sententia nobis arridet; Syrmiensis ann. 356 Imp. Constantio, et Liberio Pontifice; Quinisexta; Constantiensis; et Basileensis. Lege Bellarm. (2). Omnino improbatae aliae ut Ariminensis ann. 363 Constantino Imp., in qua Nicoena conclamata fuit fides, et a Symbolo sublata vox *omousion*, latine *consubstantialis*: Ephesina II ann. 449 sub Theodosio Juniore, in qua Eutychiana haeresis confirmata fuit, S. Flavianus Episcopus Cpolitanus occisus, et Legati Rom. Pontificis in fugam dati; duplex Cpolitana, altera ann. 730 contra sacras imagines sub Leone Isaurico, altera sub Constantino Copronymo, qua Christi, et sacrarum Imaginum eversio definita fuit; Pisana denique a nonnullis Cardinalibus coacta, favente Maximiliano Imp., et Ludovico Galliarum Rege; tabula harum omnium in fine libri secundi reperitur (*a*).

(*a*) Distinguenda sunt tria Pisana Concilia; etenim praeter istud, alterum celebratum fuit ann. 1134. ab Innocent. II. contra Petrum Leonem antipapam, Anacletum secundum dictum; tertium ann. 1419. a quibusdam habitum ad tollendam schisma Greg. XII. et Bened. XIII. de Pontificatu contendentium, quod nec probatum, nec reprobatum dicit Bellarm. *de Concil.*

(1) *Apoc. II. 9. et III. 9.*

(2) *De controversiis tom. II. cap. VII. de Concil. L. I.*

CONCLUSIO SEPTIMA.

Oecumenicum Concilium, etsi utilissimum, absolute necessarium non est.

Ecclesiae universae, summa cum potestate praeest successor Petri, cujus judicium infallibile esse demonstratum jam est, ubi de cathedra, ut ajunt, loquitur de rebus fidem, moresque spectantibus. Generale concilium ergo non est ei omnino necessarium: et revera sacrorum comitiorum necessitas nonnisi ex forma imperii democratici, aut aristocratici deducitur, non vero monarchici, ex qua pro certis negotiis Status regni, aut provinciae tantum congregantur, quibus tamen Christus non adstrinxit Ecclesiam. Nec illud temperamentum aristocratiae monarchiae ecclesiasticae, quod ab aliquibus Doctoribus datur Ecclesiae, potestatem summam Pontificis offendit; Episcopi etenim etsi sint rectores veri Ecclesiarum, Legislatores, et Judices causarum; adstricti tamen ad unitatem conservandam cum capite, magis illam eandem potestatem demonstrant; quapropter nec concilii generalis necessitatem inducunt.

Insuper vel Ecclesiam non instructam sufficienti regimine dicas, oportet, a Christo, qui ad usque ultimam sanguinis sui effusionem dilexit illam; vel non necessaria penitus Oecumenica Concilia: accidentalia enim sunt haec, et intermittentia, nec periodica; imo quasi moraliter hisce temporibus impossibilia (1). Dein nonne Scepticismum in causis divinae religionis provehere conantur, qui pro necessitate Oecumenici concilii dimicant? hi etenim sunt, qui Gallicanis sententiis addicti, Romanum Pontificem ex cathedra loquentem negant infallibilem, et consensum universalis Ecclesiae ad ejus judicium requirunt, ut sit irreformabile. At iidem eundem consensum posse vix, aut ne vix quidem constare autumant sine Concilio Generali, quod ipsum tamen examini subjectum volunt, quia illegitimum, et reprobum esse posset; sicque non in Romano Pontifice, non in conciliis Oecumenicis inerrantia admittitur; causae Religionis indefinitae manebunt, et scepticismum in fide promovetur.

A scepticismo interim immunis fuit semper Ecclesia, quae necessaria non credidit illa concilia, utpote etiam ab ortu suo

(1) *Vide quae diximus cap. VI.*

usque adhuc, conciliis celebratis Oecumenicis non amplius, quam circiter viginti, bene se gessit, et cum gloria, tot saeculorum spatio, sub regimine solius Summi Pontificis, difficillimis praesertim temporibus trium prope proximorum saeculorum; et soli innixa Petro seu *Petrae*, super quam a Christo fuit aedificata, hostes suos undique in ipsam irruentes profligavit, prostravitque impavida, et portae inferi adversus eam haudquaquam praevalere potuerunt.

Quod si vero absolute necessaria dici non possunt; moraliter tamen aliquando talia erunt; etsi utilissima semper. Re quidem vera, praeter casum præsertim plurium de Papatu contendentium, in quo concilium erit necessarium, ut certum eligatur caput Ecclesiae, aliaque statuantur ad schisma extinguendum; erit et moraliter necessarium, ut unanimis Ecclesiae totius sensus manifestius appareat, et homines turbulenti acriore potestatis et dignitatis fulgore perstringantur, et revocentur ad officium suum; aut pertinaces graviore auctoritatis pondere, atque sententia opprimantur, mactenturque. Utilissima demum esse semper Concilia vel ex hoc uno evincitur, quod exequi licet in iis illa, quae etsi non jus Pontificis, tamen vires ejus excedunt. Hoc ex Tridentini celebratione cuique patet.

CONCLUSIO OCTAVA.

Auctoritas Synodi Oecumenicae evincitur, atque aperitur.

Oecumenicae Synodi sententiam in declaranda fide, et moribus tradendis toti Ecclesiae communibus catholici, ut antea praemisimus, infallibilem profitentur ex suo capite Rom. Pontifice, pro quo Christus rogavit, *ut non deficeret fides* ejus (1) et super quem aedificavit Ecclesiam, *ne portae inferi praevalerent adversus eam* (2). Cui quidem Ecclesiae parum amicos se prodere videntur illi, qui Papam infallibilem negantes, atque ab hujus sententia ad futurum Concilium appellari posse autumantes, ipsius Concilii sententiam nec quoad fidem, nec quoad mores infallibilem esse affirmant, eo quod

(1) Luc. *XXII. 32.*
(2) Matth. *XVI. 18. Vide quae notavimus cap. VI. concl. 3.*

ipsum Concilium examini subjiciendum arbitrantur. Si neque Papa infallibilis per eos est, nec Concilium; ecquem alium dicent tali donatum privilegio a Christo fuisse? num seipsos, vel nullum? Proh Deus! quid de Ecclesia, quid de fide ejus erit? num Sectariis et contumacibus cavillationes, et futiles exceptiones deesse poterunt, ut Synodos illegitimas dicant, ut auctoritate earum profligata, totum corpus Ecclesiae destruant (*a*)? In civili Statu num leges latae a Principe, vel Optimatibus, num sententiae pronuntiatae a supremis judicibus, num comitia habita ab ordinibus hujusmodi, privatorum examini subjiciuntur, quia omnes leges, omnes sententiae, omnia possunt non esse justa? Rationem poscendi examen Conciliorum, ut de legitimitate eorum constet, ex ipsa natura status illorum pendere concedimus; sed illi certo tribuendum, cujus est confirmare concilia, summo scilicet Pontifici, quem infallibilem quia Gallicani DD. negant, adversariis viam aperuere oppugnandi auctoritatem conciliorum. Ergo sicut Pontifici, Petri successori; ita et Episcopis sub illo coadunatis negari certo non potest, ut synodicam proferentes sententiam, recte clamitent (1): *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*; illi, inquam, Spiritui, qui ex Christi promissione manet in Ecclesia (2), quamque infallibilem, teste Augustino, universi Episcopi in concilio repræsentant ex omnibus christiani orbis partibus coacti, quique Ecclesiae suae, cui praesunt, fidem testantur (*b*).

(*a*) Propositio 29 Lutheri a Leone X. damnata sic habet: « Via nobis facta » est enervandi auctoritatem conciliorum, et libere contradicendi eorum ge- » stis, et judicandi eorum decreta, et confidenter confitendi, quidquid ve- » rum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque con- » cilio ».

(*b*) Jam demonstratum fuit subditis liberum non esse pro lubitu leges Ecclesiae non acceptare, ac proinde leges etiam Conciliorum Oecumenicorum; unde merito Bossuet *defens.* l. XI. c. XV. carpit De Marca, qui libertatis Gallicanae in eo fundamentum reponebat, quod liberum esset nova decreta sive conciliorum, sive Pontificum non admittere, quando consuetudines, et mores Ecclesiae Gallicanae infringunt. *Neque satis cautum, et honestum videtur*, ait Bossuet, *passim in eo reponere libertatem, ut ab Ecclesiae universalis decretis recedere liceat.* Ultro tamen concedere par erit, uti jam concessum antea novimus, quod nempe decreta etiam Conciliorum Oecumenicorum, disciplinam spectantia non ita absolute feruntur, ut rigorem canonum nullatenus moderari intendat Ecclesia, si locorum primi Pastores novam aliquam legem minus sibi salutarem judicantes apud Summum Pontificem reclament, interimque

(1) *Act. XV.*

(2) Joann. *cap. XIV.*

Maximam sane auctoritatem ac vim habent concilia Oecumenica de iis etiam rebus, quae ad disciplinam Ecclesiae, et reformationem morum pertinent. Et quamvis salva sit Sedi Apostolicae Romanae suprema potestas eis derogandi, ea tamen nunquam praesumitur sine speciali mentione velle statutis conciliorum generalium derogare, nec quidquam contra ea indulgere (1). In ipsius disciplinae legibus, et causis facti priora emendari a posterioribus posse inde patet; atque id tunc fieri scripsit August. (2), cum scilicet aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur, quod latebat. Quando vero discors inveniatur sententia in gestis conciliorum, illius concilii magis teneri sententia debet, cujus aut antiquior, aut potior sit auctoritas (3). Sunt tamen etiam disciplinae canones quidam velut immobiles, qui perpetuam decentiam, et cum religione conniventiam habent, qui etsi jure humano nitantur, perpetuo ob id manebunt, uti in celebratione praecipuorum festorum manifestum est (a).

De judicio demum Ecclesiae, quod factum respiciat, quod in dogmaticum distinguitur, universale, et particulare, sic breviter rem expedire juvat. Et primo monendum, quod veritates revelatae Scripturis sacris, aut Traditione, quas Ecclesia uti tales proponit, praecise dogmata audiunt; etsi tamen et aliae sint veritates, quae negari non possunt, nisi et dogmata simul negentur, quibus sunt adnexae: hujusmodi sunt facta dogmatica, puta liber haereseos nota damnatus ab Ecclesia, ut *Augustinus* Jansenii. De his infallibiliter judicat Ecclesia, sicut et quisque fidelium tenet, ita ut nullus dubitaverit unquam, quin putaretur non recte de Ecclesiae auctoritate sentire. Revera ipsi adversarii fatentur infallibilem Ecclesiam in interpretando Scripturas sacras; sensusque harum declarando, syllabo librorum canonicorum statuendo: cur ergo cum de aliis scripturis, aut de sensu

differant exequi, quando tolerat ille, cujus sollicitudini, et prudentiae Concilia ipsa suorum decretorum executionem concredunt.

(a) Puta: in celebratione Paschae, quae ad dogma pertinebat Resurrectionis Christi, et abrogationis legalium, et ad unitatem Ecclesiae conferebat. Sic quae spectant ad communionem laicorum sub una specie, quae conjunctionem habet cum dogmate praesentiae totalis Christi sub unaquaque specie.

(1) Honor. III. *in cap. ex part. tua 3. de cappell. Monach.*

(2) *L. II. de baptism. contra Donatist. cap. III.*

(3) *In can.* Domino 28. *in fin. dist. 50. et Innocent. III. in cap. XXIV. ad Campostellanam Bracarens. Episc. l. II.*

illarum judicat, quae de fide, ac religione tractant, infallibilis non erit? Cum Traditionem, quae fidem explicat, Ecclesia infallibiliter ex scriptis Patrum proponit, certe de facto dogmatico infallibiliter decernit; secus enim ex Traditione fidem elucescere quisque negare posset; factum ergo dogmaticum infallibiliter judicat. Adhaec: tolle hoc judicium infallibile in factis dogmaticis, quisque suo sensu ex libris fidem hauriret, nec una fides Christi esset in omnibus.

Quoad facta universalia, illa nimirum, quae dogmati non adnexa, nec ad illud referuntur, dicendum, quod Ecclesia tota tenetur ea admittere, puta Canonizationem Sanctorum, adprobationem Ordinum Religiosorum etc. Imo cum plurimis Canonistis, et Theologis dicimus in his Ecclesiam errori non esse obnoxiam, ne dicatur totam Ecclesiam ipsam errasse, quod Deus non permitteret unquam. Hinc omnes, qui judicio Ecclesiae in factis universalibus se opponere audeant, si non haereseos, temeritatis nota certe inurendos fateamur, oportet.

In factis simplicibus demum posse Ecclesiam errare non negamus; pendet etenim in iis judicium a prudentia, et investigationibus humanis: etsi erit omnibus nefas temere ipsius judicium de talibus factis negligere, puta de absolutione alicujus, de aliquo cultu privato etc. De his regula jam notata tenenda Augustini (1), qui scripsit: *concilia priora saepe a posterioribus emendari, quum experientia cognoscatur, quod prius latebat.*

(1) *Lib. II. de baptismo contra Donatistas.*

CAPUT XII.

DE CONCILIIS TOPICIS, SEU PARTIALIBUS

CONCLUSIO PRIMA.

Dioecesanae Synodi, et Nationalis origo, tempus, et auctoritas distinguitur.

Non solum a causis, quas tractant, sed et a locis Synodi partiales dicuntur (*a*) Ex his primum se offerunt *Dioecesa-*

(*a*) Quo tempore coepit Christiana Religio, imperium romanum dividebatur in provincias, una exemta· Italia, quae in undecim regiones divisa erat. *Plin. l. 3. c. V.* Provincia plures complectebatur civitates ab una metropoli pendentes. Sub Adriano ipsa Italia abiit etiam in provincias. Tempore Constantini Magni pluribus inter se adnexis provinciis, exorta est partitio in dioeceses. Quarto saeculo exeunte, Imperium in 120 provincias dividebatur, quae tredecim constituebant Dioeceses. Ipse Constantinus imperium Romanum in Orientale, et Occidentale divisit, limitesque in Illirici, et Traciae finibus positi sunt. *De Marca l. de C. 3. et 9. cap. IV.*

Ad Magistratus vero quod spectat, praestat monere, quod plures civitates Romanorum, et Graecorum praeter Senatum, qui alias curia dicebatur, habebant Defensorem civitatis seu Dictatorem, qui eminebat inter Curiales, exercens jurisdictionem. In principibus civitatibus provinciarum superior erat magistratus, qui Proconsul dictus, Praeses, vel alio nomine provinciam regebat. Sub eodem Constantino, uti dictum est, institutis dioecesibus, singulis earum praepositus fuit etiam amplior magistratus, qui in omnem Dioecesim imperium habebat. Hanc civilem politiam notavimus, ut facile hinc Ecclesiae politia cognoscatur, quae ab ea pro faciliore expeditioreque regimine sui sumpsit exemplar; et ita ut si aliquae civitates crescebant in imperio, etiam ecclesiastici honores crescerent in ea: *Ex Concil. Taurinen. et can. XV. Concil. Chalcedonens.* Hinc jam saeculo IV receptam fuisse totius Christiani orbis divisionem in Occidentales, et Orientales Ecclesias Summi Pontifices *Apud Constant.* S. Ambrosius in gestis Concil. Aquilejen. cui ipse praefuit *t. 2. Collegi Lab.* et S. Hieronymus *Epist. 97.* testantur. Patres vero Concilii Cpolitani *c. 2. apud Labb.* explicant terminos Ecclesiae Orientalis intra Dioeceses Thraciam, Asiam, Orientem, cujus metropolis erat Antiochia, Ægyptum. Coeteras omnes dioeceses, Macedoniam scilicet, Daciam, Illiricum integrum, Italiam (sic stricte dictam Praefecturam Romanam), Galliam, Britanniam, Hispaniam, et Africam, ad Ecclesiam Occidentalem pertinere scripserunt. Octo nimirum aut novem dioeceses dedere Occidentis Ecclesiae, quinque Orientali. Ut autem Magistrati-

nae : in quas Metropolitae, et Episcopi unius Dioecesis (*a*) conveniebant. Hae si a Patriarchis, qui Dioecesibus praeerant, indicebantur, ut in Oriente, tum *Patriarchales*, tum *majores*, *plenariae*, *universales* dicebantur, ut distinguerentur a Provincialibus, verum cum aliquo additamento, ut Natalis Alexander advertit; ex. gr. *plenaria totius Africae*, ne cum Oecumenicis permiscerentur. Si a Primatibus indicebantur, ut plerumque in Occidente (ubi excepta Rom. Praefectura alios Patriarchas fuisse non constat) *Dioecesanae* generatim audiebant. Pariter *Nationales* nuncupatae fuere illae, in quas conveniunt Archiepiscopi, et Episcopi unius regni, vel nationis, praeside vel Patriarcha, vel Primate regni.

Prima Ecclesiae tempestate, cum tyrannorum saevientium persecutiones, Oecumenica concilia celebrari non paterentur, Episcopi in partiales Synodos conveniebant, Dioecesanis praesestim institutis ob fidei, vel disciplinae graviora negotia, ab altero exeunte saeculo, ut probat Thomasinus (1); et fortasse antequam Provincialia obtinerent; tunc temporis enim memoratur Antiochenum contra Paulum Samosatenum; Africanum de baptismo haereticorum; de provincialibus vero nullum verbum est. Eorumdem, si non origo, certe forma a Concilio Cpolitano I repetenda est, quod instituit, vel confirmavit majores Dioeceses (2).

bus civilibus, Praesides responderent ecclesiastici, sicut in minoribus civitatibus cum senatu defensor civitatis seu dictator rem civilem procurabat, sic Ecclesia in iisdem Episcopum constituit, qui cum presbyteris rem spiritualem regeret. In provinciarum civitatibus principibus, ubi Proconsul, aut Praeses in re civili jus dicebat; Ecclesia Metropolitas posuit, qui rebus ecclesiasticis totius provinciae praeessent. Demum in civitatibus Dioecesum principibus constituit Patriarchas, Episcopos scilicet, qui totius Dioeceseos in spiritualibus curam haberent. In Occidente tamen unus omnium dioecesum est Patriarcha R. Pontifex. Inde ortae Ecclesiae Episcopales, Metropoliticae, et Patriarchales.

Caeterum monendum manet, quod Ecclesia illis civilibus formis non ita se adstrinxit, ut ab eis nunquam discederet; libertatis suae etenim fuit, non necessitatis hoc sequi. Unde etsi Canone VI Concilii Sardicensis vetatur in oppidis, et villis constitui Episcopatus, tamen non semper haec regula obtinuit; in vicis etenim, exiguisque oppidis Episcopos constitutos reperimus. Imo Concil. Carthaginense II. *c. V.* permittit Episcopum ordinari in pago, ubi populus admodum crevit.

(*a*) Summi Pontifices, ut observat Bellarminus *lib. 1. de cleric. cap. XVI.* primis sexcentis vel octingentis annis ad graviora negotia dijudicanda cogebant Concilia Nationalia Episcoporum Italiae.

(1) *De vet. et nov. Eccl. discipl. P. II. lib. III. c. XLV.*

(2) *Can. 3. confer not. praeced.*

Ingens habetur numerus harum Synodorum. Inter omnes praecellunt quinque a Graecis celebratae saeculo IV, Ancirana scilicet, Neocesarensis, Gangrensis, Antiochena, et Laodicena, quarum canones comprobavit prae coeteris Concil. Calcedonense. Plures vero tempore Victoris Papae pro Paschatis controversia: item tempore Stephani pro haereticorum baptismi controversia celebratae fuere: non paucas denique alias aliis temporibus, aliisque de causis habitas fuisse constat tam in Oriente, quam in Occidente, ubi frequentes praesertim non solum in Africa, sed et in Gallia, atque Hispania fuisse probant priorum temporum historiae.

Tempus cogendi eas nullum reperitur antiquitus constitutum: in Africa annuae tamen erant, indeque dictae etiam *anniversariae*. Coeterum ne saepe Episcopi a sua sede abessent, rebus Ecclesiae synodis provincialibus consulentibus, Dioecesanae antiquatae sensim in Occidente fuere; cum inducta praesertim fuit ea disciplina, ut sine Sedis Apostolicae auctoritate non liceret Synodos haberi; ad eam enim et ordinaria omnium Ecclesiarum sollicitudo pertinet, ut suo loco demonstrabimus.

Harum auctoritas maxima cum esset, judicium earum tamen erroribus poterat esse obnoxium, uti ex synodis patet, quas Cyprianus habuit pro rebaptizandis haereticis.

CONCLUSIO SECUNDA.

De Conciliis Provincialibus disseritur; qui proprie ad ea accedere teneantur; quid in iis antiquitus agebatur, et tempus, intra quod coacta fuere, exponitur.

Provincialia Concilia dicuntur, ad quae unius provinciae Episcopi praeside Metropolitano, vel Archiepiscopo evocantur. Concilium Lateranense IV (1), et Tridentinum (2) decreverunt, ut, Metropolita impedito, aut Ecclesia Metropolitana vacante, antiquiori Episcopo suffraganeo sit jus convocandi Synodum provincialem (a). Ad hanc vero praeter omnes alios

(a) Qui suffraganeis carent, cum Abbatibus *Nullius* suae Dioecesis posse celebrare Synodum censuit Sacra Congregatio; ast contrarium decisum reperitur in Synod. Rom. ann. 1725. quum sint meri honorarii Archiep. Bened. XIV. *de S. D.* l. 1. c. VI.

(1) *Cap.* sicut olim *XXV. de accusationib.*

(2) *Sess. XIV. de Reform.*

Episcopos suffraganeos (*a*) (exceptis exemptis , qui aliquem vicinum Metropolitam eligere tenentur , ad cujus provinciae Synodum accedant (1)) cathedralium canonicos (2) vocandos, non tamen invitos cogendos patet ex Bened. XIV. (3) (*b*). Verum in dubium revocari nequit , quin ante Tridentinum non parum in hac re variatum fuerit ; etenim ad Concilium Toletanum VIII adciti fuere Abbates , et subscripserunt. Alios demum ex consuetudine vocatos novimus ; ann. enim 1565 Synodo Cameracensi Deputatos Collegiatarum, Abbates vel proprio nomine , vel per procuratores , nonnullos Praepositos , ac Priores cum Archipresbyteris , et Procuratoribus Abbatissarum adfuisse refert Van-Espenius (4) , et veterum conciliorum acta Presbyteros quoque interfuisse demonstrant (5). Tridentinum sanxit inde, ut non solum Episcopi , sed ut ii etiam , qui de jure , et consuetudine interesse debent , conveniant. Coeterum suffragium decisivum in his Synodis Metropolitae, et Episcopis comprovincialibus est ; consultivum coeteris (*c*). Quanta porro sit earum auctoritas , demonstrat Canus (6) , qui docet non confirmatas a R. Pont. errare posse ; secus , si ejusdem accesserit auctoritas.

Hae Synodi autem primis octo saeculis veluti ordinarium erant Tribunal , et quidem judicio definitivo ad dijudicandas causas Presbyterorum , Monachorum , Clericorum , et Laicorum , si quid contra Clericos haberent , imo et Episcoporum, et ipsius Metropolitae. Causae autem , quae in iis agebantur ,

(*a*) Si quis ex his rite impediatur, procuratorem mittere tenetur cum excusatoriis literis , alias communione privetur. Can. *placuit* 10. dist. 18.

(*b*) » Visum fuit nobis (ait Innoc. III. *dist. 10. c. X.*) ut Capitula ipsa ad hujusmodi Concilia debeant invitari , et eorum nuntii ad tractatum admitti , maxime super eis, quae ipsa Capitula contingere dignoscuntur ». Non habent vero nisi vocem *consultivam* ; siquidem jurisdictionem non habent , qua valeant decreta praeceptive condere.

(*c*) Conciliis Provincialibus Neapolitanis interfuere non modo Episcopi Nolanus , Acerranus , Isclanus , Puteolanus , et Aversanus exemptus , Canonici Ecclesiae Cathed. Neap. et Procuratores Capitulorum Cathed. Provinciae , sed et *universus Clerus* tam civitatis , quam Dioecesis ibidem ad Synodum Provincialem celebrandam per edictum respective vocatus , et legitime congregatus. *Synod. II. ann. 1699.*

(1) *Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. II.*
(2) *Ibid.*
(3) *De S. D. l. III. cap. V.*
(4) *J. E. P. I. Tit. XX.*
(5) *Apud Justellum in Biblioth. J. C. num. 1.*
(6) *L. V. de auctorit. cap. IV.*

erant, 1.° ut de confirmationibus, et de electorum ad Episcopatum consecrationibus cognosceretur, sicut et de cessionibus, translationibus, et depositionibus Episcoporum, deque Cathedralium divisionibus, et erectionibus; 2.° ut statim episcopali judicio debellaretur error, aut haeresis, si de novo erupisset; 3.° ut qui se laesos ab Episcopis arbitrarentur, Synodi judicium experirentur; 4.° ut num censurae ab Episcopis juste inflictae fuerint, expenderetur; 5.° ut res dubiae dilucidarentur, et graviora negotia, quae in provincia emergebant, tractarentur; 6.° ut Concilii Oecumenici statuta reciperentur, promulgarenturque; 7.° ut interdum res in illo definiendo praeparatentur; 8.° ut vitia emendarentur, moresque reformarentur. Tridentinum denique sic cavit (1) « Provincialia Concilia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis renoventur ». Possunt igitur leges disciplinae instituere. Nec in sua dioecesi potest quilibet Episcopus ea decreta pro nutu suo mutare, sed debet intra sex mensium spatium presbyteros omnes aggregare, ut coram eis plenissime omnia referat, quae in Concilio acta, vel definita noscuntur (2). Verum eadem decreta Conciliorum, etiamsi a S. Pontifice approbentur, per se extra provinciam, obligatoriam vim non habent

Cognitiones majorum causarum, quae primum in provinciali Synodo excutiebantur, a sede Apostolica inde recte sibi vindicatae; item appellationes ab episcopali judicio, quas indiscriminatim accipere illa consuevit, nec non aliae emergentium temporum difficultates in causa fuere, cur provinciales Synodi fere in desuetudinem abierint.

Ex Concilio Nicaeno I (3) bis singulis annis necessario habebantur hae Synodi, quod confirmatum fuit ab Antiocheno, et Calcedonensi. Ex Concilio vero Lateranensi IV (4) semel in anno. Tridentinum denique (5) decrevit saltem quolibet triennio celebrandas has Synodos Provinciales. Ab eo vero tempore ubique terrarum longe rarius potuerunt conciliariter convenire Episcopi.

(1) *Sess. XXIV. cap. II.*
(2) *Dist. VIII. cap. VII.*
(3) *Can. V.*
(4) *Citat. cap. de accusat.* (5) *Citat. sess.*

Has vero sine R. Pontificis concessione non posse haberi post Greg. VII defendit Gratianus: ét nullam vim esse illis in Italia, cum Papae auctoritas non accesserit, DD. docent. Quin immo Galli ipsi, quorum Synodi prioribus VIII saeculis nunquam a Sede Romana confirmatae leguntur, ut notat Pithoeus (1); posterioribus temporibus, praecipue post Tridentinum, decretorum suorum conciliorum adprobationem petere non dubitarunt. Statuta vero eorumdem publicanda non esse inscio eodem Papa, decrevit Sacra Congregatio ann. 1654.

Juvat heic pro coronide monere, quod inter easdem Synodos post Tridentini decretum coactas eminent quinque Mediolanenses a S. Carolo celebratae, neque postremus est locus duabus Neapolitanis a Mario Carafa ann. 1576, et a Jacobo Cantelmo ann. 1699 habitis. At maximi facienda Synodus Romana sub Bened. XIII. ann. 1725 celebrata; quae exemplo esse potest Pastoribus Ecclesiae ad hoc munus obeundum (a).

Multa alia expendere fas esset circa has Synodos, sedendi ordinem nimirum, modum deliberandi etc. At cum fere in usu non amplius sint, uti notavimus, haec omnia omittimus.

CONCLUSIO TERTIA.

Quae Synodum Episcopalem sive Dioecesanam spectant, summatim enucleantur: ea, quae tractari non possunt in his, designantur.

Episcopi antiquitus, quotiescunque res postularet, congregato coetu presbyterorum, et totius Cleri, collatisque consiliis prospiciebant gregi suo, deque arduis deliberabant negotiis. Ejusmodi conventus *Presbyteria* dicebantur, et *Concilia civilia;* nunc Synodi Dioecesanae, vel absolute Synodi

(a) Ex indictione hujus Synodi patet praeter Archiepiscopos suffraganeis carentes, Episcopos Sedi Apostolicae immediate subjectos, et Abbates, Praelatosque nullius dioecesis, qui Metropolitanum, cujus provinciali concilio interesse debent, non eligerint, convocatos ad eam fuisse Episcopos existentes inter Capuanam Provinciam, et Pisanam, ex quibus Provincia Romana stricte accepta habetur, ultra quam vires non habent decreta ejusdem Synodi. Num vero quis alius RR. Pontificum praeter laud. Benedictum tamquam Archiepiscopus Synodos Provinciales coegerit, si nosse cupis, vide Benedictum XIV. lib. 2. *de S. D.* c. II. n. 5. et IV.

(1) *In Comment. Libertatis Ecclesiae Gall. c. X.*

appellantur. Est igitur Sinodus dioecesana legitima Congregatio ab Episcopo coacta, ex presbyteris, et clericis suae dioeceseos, aliisve, qui ad eam accedere tenentur, ut de his omnibus agatur, quae ad curam pastoralem pertinent (1).

Ab Episcopo dicitur 1.° *coacta*: intellige illo etiam electo tantum, et confirmato; est enim potestatis jurisdictionis, non ordinis. At Episcopus titularis non cogit Synodum (2). Qui tamen si expulsus sit a regionibus Infidelium, ubi cathedram habuerit, exulans poterit cum aliquot suis Sacerdotibus Synodum celebrare; item dicendum, si obtinuerit certum locum cum spirituali jurisdictione in terris Christianorum, ut rebus suae Ecclesiae possit providere. Vicarii nec Generalis, nec Capitularis, neque Apostolicus possunt cogere eamdem Synodum, nisi primus de speciali Episcopi commissione; alter post annum ab ultima Synodo revolutum (3); tertius de S. Sedis licentia (4). Praelati *nullius*, qui jurisdictionem quasi Episcopalem exercent in loca a cujuslibet Episcopi Dioecesi omnino separata, vel in locum aliquem alium, dum id in usum sit deductum, ut Cardinalis de Petro probat, possunt indicere Dioecesanam Synodum. 2.° dicitur *Coacta ex Presbyteris, qui ad eam accedere tenentur.* Quandoque contigit, ut e solis Presbyteris aliqua praerogativa dignitatis insignitis congregatae fuerint hae Synodi ex. gr. Archipresbyteris, decanis etc. At communiter haec regula Trid. (5) observatur. » Ratione parochialium, aut aliarum saecularium Ecclesia- » rum etiam annexarum debent ii, qui curam illarum habent » quicumque illi sint, Synodo interesse (*a*) ».

Tenentur proin ad eamdem accedere Vicarius generalis, qui primum locum post Episcopum tenebit (6): Capitulum cathedralis Ecclesiae aut aliquot saltem ex Capituli gremio Deputati juxta communiorem sententiam post Barbosam (7),

(*a*) Ex decr. S. Congreg. 15. Decembris 1629 consultae ab Episcopo Balneoregiensi Clerici beneficia simplicia obtinentes aliique sacris initiati, ubi de evulgandis decretis Synodi Provincialis, vel de re totum clerum spectante sit agendum, etiam convocandi sunt.

(1) *Vide Bened. XIV. de S. D. lib. I.*
(2) *Bened. XIV. de S. D. lib. II. cap. VII.*
(3) *Bened. XIV. ibid.*
(4) *Ibid. cap. VII. 19. X.*
(5) *Sess. XXIV. de reform. cap. II.*
(6) *Ex Brev. Greg. XIV.*
(7) *De offic. et potest. Episc. p. 3. alleg. 95. num. 11.*

sive quia in ea quasi dignitate constituti aequiparantur Abbatibus ; sive quod in Synodo de iis semper aliquid statuendum occurrit. Item Canonici Collegiatarum per deputatos , quos mittant , si alibi Synodus habeatur , quam in loco Collegiatae (1). Oportet tamen, ut utrique invitentur ab Episcopo. Item Parochi, omnesque curam animarum exercentes (2) inter quos etiam sint Fratres Cappellani Religionis Hierosolym. (3). Abbates item non solum saeculares, Praelatique inferiores intra dioecesim existentes (4) ; verum etiam Abbates regulares, qui tamen Capitulis generalibus non subduntur (5) (a) : aliique Regularium superiores (6). Utitur enim Episcopus *lege dioecesana* non solum , sed et *lege jurisdictionis* , cui Regulares, caeterique simul exemti in nonnullis subjiciuntur ; mixtam vero ex utraque potestatem in Synodo adhibet (7). item Vicarii Foranei, etiamsi meri sint presbyteri , et nullum possideant beneficium , modo arcessantur ab Episcopo ; monere enim debent Episcopum de his omnibus, quibus in regionibus , pagisque providendum est. Demum Clerici beneficia simplicia obtinentes, aliique sacris initiati, ubi de evulgandis decretis Synodi Provincialis, vel de re totum Clerum spectante sit agendum (8). Episcopi vero eos , qui ad synodum accedere detrectant, nisi legitimo detineantur impedimento, ecclesiasticis censuris possunt coercere ; legitime tamen impediti, procuratores mittant , oportet , in synodum ad absentiam suam excusandam.

Diximus insuper *ut de his omnibus agatur , quae ad curam pastoralem spectant.* Hinc quae ad reformationem morum disciplinae instaurationem, fidei, et pietatis incrementum referuntur , objectum harum Synodorum erunt. At pro temporum , et locorum diversitate varius fuit in Synodis agendi , et deliberandi modus, nec eadem semper objecta. Primis temporibus, in iis rationes sui regiminis reddebant Sacerdotes ; mores cle-

(a) Excipiendi sunt a regula, qui territorium separatum nullius dioecesis obtinent.

(1) Pignatellus *tom. 9. consult. 77. num. 61.*

(2) *Trid. sess. XXIV. cap. II. de reform.*

(3) *Sacra Congr. Concil. decr. 17. Julii 1683.*

(4) *Vide Fagnan. in c.* Quanta *de offic. ord. num. 64.*

(5) *Cap.* Super his *de major. et obed.*

(6) *Trid. loc. cit.*

(7) *Bened. XIV. l. 1. de S. D. cap. IV. in fin.*

(8) *S. Cong. 15. Decembris 1629. consulta ab Episc. Balneoregien.*

ricorum examini subjiciebantur, quod scrutinium dictum fuit; solvebatur *cathedraticum*; Causae clericorum quasi in senatu dijudicabantur, aut saltem eligebantur judices Synodales, quibus ea judiciorum cura demandabatur; nominabantur testes synodales, qui dioecesim perlustrantes corrigenda observarent. Ex Tridentino praeter alia, quae discutienda, atque decernenda manent, examinatores minimum sex eligi debent (1), qui proin Synodales dicuntur, ut ex illis tres saltem cum Episcopo judicium ferant de concursu Paroeciarum vacantium. His S. Sedes utitur etiam uti judicibus in causis, quas committere solet; hinc eorumdem nomina ipsi S. Sedi aperienda sunt. Caeterum certi sunt Synodis Dioecesanis fines; ne scilicet 1.° quaestiones juris dubias definiant (2), et praesertim de Sacramentis; de majoribus S. Sedi Apostolicae reservatis negotiis, deque saeculari potestate caveant dicere; 2.° ne Privilegia Regularium laedant; 3.° ut in transgressores censuras latae sententiae nonnisi raro, et moderate influigant; 4.° ne juri communi, et Apostolicis constitutionibus se opponant; 5.° ut nimiam severitatem in rebus constituendis effugiant.

Hujusmodi Synodi antiquiores sunt Provincialibus ob faciliora etiam media, quibus haberi poterant, quaeque semper Synodos ipsas provinciales consequebantur, ut harum acta praesertim promulgarentur (3). Et quoniam saepe saepius non deerant graviora quaedam Dioeceseos expedienda negotia, identidem hae synodi cogebantur. Labentibus saeculis bis in anno Synodos Episcopales, sicut et Provinciales, coactas scimus; ast ubi Provinciales Synodi semel in anno agi caeptae sunt, etiam Episcopales semel in anno celebrandi usus inolevit, quem usum Concilium Lateranense IV. probavit (4), et restituendum jussit Trid. (5).

Formam demum, qua rite celebrentur, docuit Benedict. XIV (6): attamen non abs re erit monere, quod vetus Ordo Romanus Pontificali insertus, loquens de agendis in Synodo, addit: *quo finito, leguntur constitutiones per Synodum approbandae; quibus locis habito scrutinio, quae placent, per Patres confirmantur*. Inde usus in Italia praesertim invaluit, ut

(1) *Sess. XXIV. cap. XVIII. de reformat.*
(2) Fagnan. *in cit. cap.* Sicut olim *n. 82. de accusat.*
(3) Thomass. *de V. et N. D. p. 11. l. 3.*
(4) *In cap.* Sicut olim *XXV.*
(5) *Sess. XXIV. de reformat. cap. II.*
(6) *De Synod. IX.*

eorum, qui adsunt, exquiratur consensus per verbum *placet* a singulis exhibendus. At constat nihilominus suffragium, quod dicitur *decisivum* ita nempe, ut a pluralitate suffragiorum pendeat vis decreti, nullatenus esse Synodo dioecesanae tribuendum (*a*). Hinc, ut fert usus constans, statuta Synodalia solius Episcopi nomine promulgantur, atque possunt immutari pro arbitrio ejusdem, et abrogari. Ipse etenim etiam sine Synodo, ut jam dictum fuit, decreta sancit.

Jure etiam Concordati 1819. art. 20. Episcopi nullo tenentur impedimento, quominus Synodos Dioec. celebrent.

Opus vere aureum Benedicti XIV. *de Synodo Dioecesana*, quae heic dicenda manent, abunde tibi suppeditabit.

Adhaec in monumentis Ecclesiasticis memorantur Synodi, quae nec provinciales proprie sunt, nec Episcopales, quum indictio specialis omnium Antistitum totius vel provinciae, vel dioecesis non praecesisset. Hinc aliquid inter utrasque participare videntur, sicque quartum genus videtur anomalum emergere illarum, complectens scilicet concilia *mixta*. Harum plurimas celebratas reperimus, vel a R. Pontificibus non modo cum Clero Romano, aut Cardinalibus, verum etiam cum nonnullis Episcopis e vicinis, et remotis regionibus; vel a Patriarchis Cpolitanis, cum multis in imperiali urbe alia de causa morantibus Praesulibus (*b*).

(*a*) Pius VI. in Bulla sollemni *Auctorem fidei*, quae dirigebatur in acta Synodi Dioecesanae Pistoiis habitae 1781. ab Episcopo Ricci, haec docet: « Doctrina, quae statuit reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis Dioecesanis ab Episcopo, et Parochis aequaliter pendere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus, et jussionibus Episcoporum, *falsa*, *temeraria*, *Episcopalis auctoritatis laesiva*, *regiminis Hierarchici subversiva*, *favens haeresi Arianae a Calvino innovatae*.

(*b*) Frequens erat Episcoporum accessus ex universis imperii partibus, diuturnaque eorum commoratio in urbe Constantinopoli, ita potissimum Ecclesiarum suarum utilitate suadente vel necessitate. Solebant itaque ii saepe in aedes Episcopi Cpolitani convenire de ingruentibus rebus disceptaturi, eodem tamen praeside et capite. Romam praeterea magnum numerum Episcoporum arcessisse videtur et solemnis celebritas Apostolorum Petri, et Pauli, et ingens quoque rerum moles, quae nonnisi Pontificia auctoritate erant expediendae, quibus ex causis Synodus aliqua convocari posset. Haud vero paucae harum Synodorum coactae in quibusdam hujus regni urbibus fuerunt a Romanis Pontificibus: uti *Capuana* ann. 389. sub Siricio; *Collect. Labbei et Cossartii tom. 2. p. 1237.* altera ann. 1087. sub Victore III. tertia ann. 1118. sub Gelasio II. *dict. Collect. tom. 12. pag. 707. et 1247. Sipontina* sub Leone IX. ann. 1050. *tom. 2. ejusd. collect. p. 1143. Beneventana* sub Nicolao II. anno 1059: altera ann. 1061. sub eodem Pontifice; sub Alexandro II. tertia anno 1062. aliaeque sub Greg. VII. sub Victore III. sub

Praeter eas synodos agnoscendae et regiae, sive comitia, sic dicta, eo quod non ex Episcopis tantum constarent, sed et ex Optimatibus, atque Comitibus regni, vel imperii, ut omnium suffragiis firmarentur leges ad utramque politiam ecclesiasticam, et civilem pertinentes. Plerumque, uti observat Thomass. (1), hujus generis Synodi Constantinopoli celebrabantur: multo tamen frequentius celebratas scimus sub Carolo M. et Ludovico Pio in Gallia, quando summa sacerdotii, et imperii vigebat concordia, nihilque grave hi Principes decernebant sine Episcoporum, et Magnatum consilio. Ejusmodi fuisse videtur conventus Praelatorum, Comitum, et Baronum hujus regni Neap. habitus in planitie S. Martini Brutiorum ann. 1283. in quo Carolus II. Andegavensis, Carol. I. sui Parentis vicem gerens cap. 46. evulgavit; quae cum Honorius IV. ann. 1285. quoad immunitates attinet, evulgasset, *concordata Honorii* passim dicta fuere. Vide Summonte (2).

CAPUT XIII.

DE PATRUM SENTENTIIS.

CONCLUSIO UNICA.

Patrum nomine interpretrato, dotes illorum designantur, atque auctoritas excutitur.

Nomine PP. intelliguntur ii, qui post Apostolos, et Evangelistas floruerunt in Ecclesia Christi, ipsamque illustrarunt sanctitate, et doctrina (a). Ob vitae etenim sanctitatem cari Deo, et gratia affluentes, quid gratum Deo esset, prae aliis videre potuerunt; doctrina a periculo ignorantiae eos amovit; antiquitas

Urbano II. sub Paschali II. sub Callisto II. *cit. collect. tom. 12.* Tandem Melphiensis sub Alexandro II. Bariensis sub Urbano II. et sub eodem Troiana. Cyperana sub Paschali II. et si quae sunt aliae. Confer *cit. collect.*

(a) Patres idcirco dicti, quia scripta sua velut patrimonium, ac haereditatem fidelibus, perinde ac filiis, reliquerunt.

(1) *De vet. et nov. Eccl. discipl. Part. II. lib. III. cap. XLVI.*

(2) *Tom. II. Hist. Neap.*

effecit, ut e fontibus Apostolicae praedicationis, et primaevae simplicitatis fidei dogmata propius, et uberius haurirent. Tria ergo distinguunt Patres, antiquitas, quam ipsa vox denotat Patrum (a); doctrinae praestantia, qua et doctissimis libris conscriptis, universam Ecclesiam docere potuerunt, et omnium saeculorum posteritatem erudire (b); Sanctitas vitae, ob quam singularis cultus in Ecclesia dudum ipsis habitus est (c).

Nos tamen non latet quosdam ex PP. ob librorum copiam, et excellentiam, Doctorum Ecclesiae nomen sortitos esse. Ad illud tamen obtinendum Benedictus XIV. sequentes tres conditiones necessarias designavit (1), scilicet eminentem doctrinam, insignem vitae sanctitatem, et Summi Pontificis, aut Concilii generalis legitime congregati declarationem. S. Thomas de Aquino post PP. aetatem, simul et S. Bonaventura ann. 1274. vita functi inter DD. numerati fuerunt.

Quod vero Sanctorum Patrum auctoritatem spectat, omnes Theologi communiter docent, quod Patres unanimiter consentientes, certam faciant fidem catholicam, tamquam testes probatissimi, et custodes apostolicarum traditionum. Hinc Trid. vetat sacras scripturas contra unanimem consensum Patrum accipere, et interpretrari (d). Revera Spiritus veritatis promissus Ecclesiae (2) diverse ei communicatur, diversaque agit in ea, sicut a spiritu in corpore humano diversa agi videmus; per ipsum enim ex Apostolo (3) *alii datur sermo scientiae secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu...... alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio Spirituum: alii genera*

(a) Consensu DD., in censum PP. ultimus qui fuerit admissus, est S. Bernardus vita functus ann. 1153.

(b) Papias Episcopus Hierosolymitanus, qui vixit saecul. II. defectu hujus doctrinae in censu Patrum non reperitur.

(c) Origenes, et Tertullianus ob id nomine PP. donati communiter non sunt, sed Scriptorum Ecclesiae. Vide Vincentium Liren. c. XXIII. XXIV. *Commonitorii*. Sic et Clemens Alexandrinus a Bened. XIV. e sanctorum albo fuit expunctus; cum de illius cultu nullum inter veteres adsit testimonium. Sed ejus auctoritatem omnes maximi fecere.

(d) Auctoritatem PP. si aspernantur haeterodoxi, mirum esse non debet, etenim Scripturis sacris contaminatis, Ecclesiae auctoritate contempta, negato primatu Pontificis, et conciliorum decretis neglectis, hoc unum furori eorum restabat, ut scilicet vim et fidem sententiis PP. quibus divina castra muniuntur, eripere conarentur.

(1) *De Beatificat. et Canoniz. Ss. lib. 4. p. 2. c. XI.*

(2) Joann. *XIV. 16.*

(3) *Ad Corinth. XII. 8.*

linquarum : *alii interpetratio sermonum*. Est igitur in Ecclesia virtus interpretandi infallibiliter nimirum Spiritu S. adsistente. Hinc cum interpretatio deficit Concilii Oecumenici, vel S. Pontificis in aliqua re fidem spectante definiens, haec certe nonnisi ad Ss. Ecclesiae Patrum coetum pertinere poterit; quibus simul omnibus si spiritum veritatis negaveris, Ecclesiae quoque ipsi eum neges, oportebit. Vel igitur adfirmandum, Patres cum Ecclesia ipsa errare non posse, vel cum iis infallibilem Ecclesiam errori obnoxiam blasphemandum (1). Adhaec S. Aug. (2) ait: *Qui Sanctos rejicit, fatetur se universam Christi Ecclesiam rejicere*. Constat ergo unanimem sententiam Patrum habere in rebus fidei, et morum, vim legis divinae, vel apostolicae. Quod contra Rivetum, et Dallaeum praesertim, Theologis propugnandum relinquimus. Porro non in definiendis solum dogmatibus, sed et in regulis morum, unanimis consensus Patrum locum habet suum, ut inter principia essentiae jurisprudentiae sacrae numeretur; eo enim canones habentur non scripti.

Ceterum quoniam ad legem primum constituendam nec doctrina eminens, nec vitae sanctitas sufficit, sed publica, et legislatoria potestate opus est, ideo Patrum sententiae, qua tales, tum canonem efficiunt, cum vel auctoritate Summi Pontificis vim legis assumpserint, vel in publicum canonum codicem sint relatae; *omnia* enim, ait Justinianus (3), *merito nostra facimus, quia ex nobis omnis ei impertiatur auctoritas*: quod et Bonifacius VIII comprobavit; aut cum inter canones conciliorum adnumeratae fuerunt, et tum quidem illam auctoritatem retinent, quam concilia ipsa habent, vel denique ipsorum sententiae per modum legis conceptae quoad Ecclesias, quas rexerunt, vim legis habuerunt. Aliter tamen nec flocci habendae sententiae illae: imo non errabis, si inter responsa Prudentum eas referas, magnamque auctoritatem obtinere existimes, praesertim si quid inter se concordes docent (4). Quod si inter sese dissentientes sint, potior eorumdem ratio attendenda est. Si quis vero regulas, ne legendis, atque interpretandis PP. doctrinis in errorem inducatur, pernoscere cupiat, Mabillonium adire poterit (5).

(1) *Confer Canum l. VII. de locis Theolog. c. III. concl. 5.*
(2) *Lib. XI. in Julian.*
(3) *L. 1. §. P. C.*
(4) *Can.* Si aliud *dist. 20.*
(5) *Tract. de studiis monasticis part. II. cap. III.*

CAPUT XIV.

DE JURE NON SCRIPTO, SIVE DE CONSUETUDINE.

CONCLUSIO PRIMA.

Consuetudo definitur, et explicatur.

A jure scripto ad non scriptum gradum facimus, ad illud scilicet, quod non expresse sancitum fuit, sed tacite introductum, quodque consuetudine habetur (a). Est autem haec, *jus* non scriptum diuturnis populi moribus, et cum aliquo Legislatoris consensu introductum (1). Et quoniam consuetudo *jus* est, certe ea, quae essentialia sunt legi, consuetudini deesse non poterunt; oportet ergo, ut sit *rationalis* (b), quod importat praesertim, ut non contradicat juri naturali, aut divino, vel legi talem consuetudinem jam praeexistentem abroganti (c); sed ut congrua sit rationi, et communi utilitati.

(a) Ipsum jus id probat *can.* Cum tanto *de consuet.* cum ait: « In his rebus, de quibus nihil certi statuit Sacra Scriptura, mos populi Dei, et instituta majorum pro lege tenenda sunt ». Bossuetus autem subdidit *Defens. lib. XI. cap. XI.* « quod plerique canones, si rerum originem attendamus, fuerunt primum consuetudines usu receptae, et probatae; et passim in Decretalibus conjuncta sunt haec duo, tamquam aequalis ponderis, de jure, atque consuetudine. Licet vero longaevae consuetudinis non sit levis auctoritas, non tamen est adeo valitura, ut vel juri positivo aliquod debeat praejudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime praescripta ».

(b) Rationabilis saltem aliquo modo, id est, ut voluntas non observandi legem, quae sit contraria, possit in subditis honestari aliqua ratione, quae in Principe posset etiam honestare voluntatem abrogandi legem.

(c) Quae scilicet vel propter malitiam intrinsecam repugnat legi naturali, vel juri positivo Divino, vel habet aliquam indecentiam, ob quam inepta, noxia, inutilis censetur; *can.* Cum inter *de consuet.*

Nonnumquam itaque ipsa lege Canonica consuetudo rejicitur ut *irrationabilis*, quando nempe expresse, vel implicite ab ea reprobatur, et notatur ut *corruptela*, ut *abusus*, ut quid *enervans disciplinam*: hinc intelligi potest talis, non quia usus per se sit malus; sed quia repugnat severitati, et decentiae Religionis, quam lex vult tueri. Monendum tamen restat, Doctores communiter docere, illam non eo tantum quod lex consuetudinem abroget, vel deroget, censeri irrationabilem; sed requiri, ut id expresse caveatur; in jure etenim legitur *cap. I. de constitut. in Ep.* « Consuetudinibus,

(1) *Can. 5. dist. 1. — leg. 32. 33. 34. ff. de leg.*

Ad haec *jus non scriptum* quoque dicitur, idest non expresse, ut notavimus, sancitum, sicut lex, unica voluntate legislatoris; quod licet postea jussu Principis in scripturam redigatur, non desinit tamen esse non *scriptum*. *Moribus introductum* dicitur, quoniam actibus non solum voluntariis, et uniformibus introducitur cum intentione introducendi consuetudinem; (aliter non constaret sufficienter de uniformi consensu, et tacita conventione populi, quam jura requirunt); sed et notoriis notorietate facti, scientibus scilicet, et praesentibus multis (*a*).

Hi autem actus debent esse *populi* h. e. Communitatis perfectae, quae scilicet moraliter unita ab uno capite gubernatur cum potestate publica jurisdictionis, et communium bonorum participatione: puta Provincia, Dioecesis (*b*). Hinc consuetudinem, cui aliqua vis esse possit relative ad legem, patet non esse *privatam*. Imo haec privata si sit frangendi legem, non modo non imminuit culpam, sed et auget. His

» et statutis locorum, dummodo sint rationabilia; non censetur Pontifex » per constitutionem a se noviter editam derogare, nisi expresse caveatur ». In dubio denique, rationalisne sit consuetudo; juxta plures DD. si sit legi contraria, standum est pro lege, nisi fuerit immemorabilis; aliter pro consuetudine.

(*a*) Si dubium sit, num actus coepti fuerint cum, vel sine intentione obligandi, cum Suarez praesumi potest consuetudinem inductam ex mera devotione; quia in dubio nemo praesumitur sibi velle imponere onus; et quia melior est conditio possidentis *ex reg. 65. I. in 6.* dummodo in contrarium non sint sufficientes conjecturae juxta Bonacinam: puta 1.° si populus graviter scandalizetur; 2.° si materia talis consuetudinis valde conducit ad bonum Communitatis; 3.° si est longioris temporis, et rei gravis, ac communiter observatur a majore parte Communitatis.

(*b*) Non una, vel altera familia, domus, vel aliqua modica, et imperfecta Communitas, cujus membra diriguntur non ad commune, sed ad patrisfamilias privatum bonum, consuetudinem introducit; non enim censetur populus. At possunt Communitates imperfectae ex. gr. Capitulum, Parochiae etc. consuetudine immutare *statuta* specialiter inibi recepta, novaque introducere, quae saltem conventionis mutuae vim habent. Interdum etiam per consuetudinem debite praescriptam, potest Communitas quaelibet, ut collegium, imo persona publica, ut Episcopus, acquirere privilegium a lege communi, non eo sensu, quod per consuetudinem possit directe se subtrahere legi, sed quia potest comparare per praescriptionem debitam secundum regulas jus aliquod, quo posito tollitur materia legis communis, et sic indirecte cesset obligatio legis. Et hoc sensu intelligitur a Canonistis caput *de consuetud.* in 6. « Non est, dum tamen alias sit praescripta canonice, con» suetudo, quam allegat Episcopus, reprobanda, quod in inquirendis, pu» niendis, et corrigendis subditorum excessibus consilium sui Capituli re» quirere minime teneatur ».

populi moribus sane consuetudo introducitur, sed *diuturnis* h. e. debito tempore continuatis sine interruptione; ubi etenim jura tempus simpliciter requirunt, istud debet esse continuum (*a*). Nec denique illis actibus aliquis consensus Legislatoris deesse debet; nam hoc ipso, quod consuetudo habeat vim legis, non potest constitui nisi voluntate illius, qui potestate legislativa praeditus sit; quaeque populi non est, nisi in Statu democratico (*b*). Potest tamen ille consensus haberi vel per conniventiam, si Legislator populi mores sciat, et non contradicat, cum posset, et reclamare deberet, et hoc modo consensus tacitus hebetur; vel per viam praescriptionis, si nempe Legislator populi mores debito tempore continuatos nesciat, et tunc datur consensus legalis.

CONCLUSIO SECUNDA.

Species consuetudinis distinguuntur; consuetudinisque probandae modus designatur.

Consuetudo ratione objecti alia est secundum legem, alia praeter, contra legem alia. Prima est observantia potius legis, et consuetudo facti nominatur (*c*). Quo sensu dicitur *optima legum interpres est consuetudo* (1). Et sane leges praeter scripturas, indigent aliis adminiculis, quibus declarentur, et

(*a*) Unico ergo actu major pars Communitatis si agat contra consuetudinem nondum completam, tempus censetur interruptum; quod idem dicendum, si aliquando Superior puniret transgressores legis.

(*b*) Consensus legislatoris ad consuetudinem requiritur vel personalis, vel tacitus, vel legalis, ille scilicet, qui a legislatore vel per actum positivum, vel in lege, vel jure exprimitur; quique consensus legis datur pro omni consuetudine rationabili, legitime praescripta, et diuturnis populi moribus uniformiter operantis firmata (cap. fin. h. t. et l. 32. cit. et l. fin. cap. *Quae sit longa consuetud.*) licet Legislator eam nesciat, et ideo nec tacite in eam consentiat; nec enim debent plura requiri, ut lex etiam abrogetur, quam lex canonica exigit. Item quia nec expedit, ut Superior semper obsistat, quando populus etiam contra legem humanam perseverat, ideo et censeri potest etiam, ut consentiat.

(*c*) Consuetudo dupliciter sumi potest: materialiter, seu causaliter pro ipso usu diuturno, et actibus a populo frequentatis, et dicitur consuetudo facti, quia in communi est usu, de qua tamen non agimus, cum per eam jus non constituatur: sumitur etiam formaliter seu pro jure ipso ex ipsis actibus frequentatis proficiscente.

(1) *Cap.* Cum dilectus: *de consuet. et leg. 37. ff. de LL.*

explicentur (a). Consuetudo *praeter legem* est, quae novum inducit *jus* nulla lege prius introductum; et dicitur esse *jus*, quod pro lege suscipitur, ubi lex deficit (1), pro casibus nimirum, quos jura scripta non decidunt. Quod probatur multis locis juris (2). *Contra legem* denique est illa, qua lex prius existens abrogatur, et tollitur, vel in totum, vel in partem, cum vel derogatur ei, vel abrogatur (3). Hac consuetudine non inducitur proin jus obligans directe, sed permissivum, cujus vi licite fit, vel omittitur, quod stante lege fieri non potuisset (b).

Consuetudo, cum sit res facti, in judicio probari debet, vel per publicas literas: puta per instrumenta publica, acta judicialia; vel per testes saltem duos (c), qui in tali Communitate uniformiter, et scientibus multis, debitoque tempore aliquid observatum esse, se vidisse testari debent; vel per publicam famam. Unus doctor tamen pro foro externo praesumtive probat consuetudinem. Contra legem claram vero quasi impossibilis probatio consuetudinis dicitur a DD. (d).

(a) Sicut ex usu judicandum est, quomodo lex sit implenda; qualiter sub gravi obliget etc. Legislator enim censetur verba adhibere, et legem urgere secundum communem sensum.

(b) *Stylus Curiae, et Fori* sapit particularem consuetudinem curiarum, qui non solum pro modo et forma scribendi, et loquendi, sed etiam pro ordine, et usu procedendi, et judicandi accipitur. Qui si spectat ordinem judiciarium, probatur causidicorum, et curialium attestationibus: si morem decidendi, plenioribus ostendendus probationibus, frequentia scilicet rerum judicatarum vel iteratis ejusdem tribunalis decisionibus vel decreto aliquo generali. Omissus vel immutatus stylus Cancellariae Romanae in litteris Pontificiis, earum falsitatem detegit.

(c) Intellige duas turmas, quarum singulae decem testibus constent, docente Ant. Fabro *In Cod. l. 4. tit. 15.*

(d) Maxime advertendum discrimen inter desuetudinem, non usum legis, et consuetudinem legi contrariam per actus positivos. Lex profecto nova nequaquam per non usum tollitur; maxime vero abrogatur per legis contemptum. Pius IV. constitutione *13. Kal. Martii 1565.* qua confirmavit decreta Tridentinae Synodi, decrevit, omnia, et singula, quae concilii decretis adversantur, sive antea inducta, sive in posterum inducenda, nullius esse momenti, ac nemini posse in utroque foro suffragari. Hinc Bened. XIV. docet *l. 5. de S. D.* illa decreta non posse consuetudine contraria abrogari, tam si illa consuetudo praecesserit, quam si subsequeretur promulgationem eorumdem.

(1) *In can.* Cum tanto *de consuetud.*

(2) *Cap.* Consuetudo *dist. 1. et c.* In his *dist. 2. et alibi.*

(3) *Cit. can.* Cum tanto.

CONCLUSIO TERTIA.

Contra legem Consuetudo non est irrationabilis.

Consuetudo contra legem, saltem *negative* rationabilis dicitur; hoc sensu quatenus non adversatur juri naturali, aut divino, aut humano specialiter reprobanti illam uti corruptelam; sufficit ergo ad jus statuendum (1). Et revera ad legem scriptam, negativam ipsam *rationabilitatem* sufficere patet. Unde in numero testium ad valorem testamenti requisito nulla rationabilitas positiva est in eo, quod non possint esse illi pauciores, vel plures (*a*). Ad haec vix fieri posse quisque novit, ut consuetudo, quae jus divinum, et humanum supradictum non offendat, simul non sit *positive* rationabilis; semper etenim aliqua ei non deest ratio excusans; puta quod copia legum diminuitur, suavius populus regatur; litesque minuantur etc. Quod vero nec potentior dicatur ideo lege scripta, patet ex eo, quod hanc abrogat, quia posterior.

Nec quod solet opponi, contradicit huic consuetudini; nimirum quod 1.° non possit rationabilis omnino esse consuetudo contra legem, quae essentialiter supponitur rationabilis; 2.° quod actus legem abrogantes sine peccatis non sunt, quibus certe consuetudinem induci nefas est; 3.° quod praescriptio, qua introducitur consuetudo, non datur sine bona fide, quae consuetudini contra legem deest.

Quoad primum etenim, et secundum, reponimus, rationabile aliud in *facto esse*, aliud in *fieri*; hinc etsi demus actus populi contra legem peccaminosos, ideoque irrationabiles, in *fieri* attamen tales esse; nimirum quoad consuetudinem inducendam, non

(*a*) Requiritur, ut jus sit rationabile saltem aliquo modo; id est, ut voluntas non observandi hanc legem possit in subditis honestari aliqua ratione, quae in Principe posset etiam honestare voluntatem abrogandi legem. Consuetudo igitur non eo sensu rationabilis requiritur, juxta quem esset omnino bona, et sine peccato: imo necessarium est, ait Suarez *lib.* 7. *cap. XVII.* ut tales omissiones (si agatur de praecepto affirmativo) sint peccaminosae, saltem in principio; quia si provenirent ex aliqua rationabili, et sufficiente excusatione, ut si occureret necessitas excusans, non possent ostendere voluntatem legi contrariam. Poterit igitur, non obstante peccato, esse rationabilis eo sensu, quod, seclusa lege humana, materia non esset inepta ad consuetudinem circa illam introducendam; *idem cap. VI.*

(1) *Ex c. fin. h. t. can. 2. cod. in 6. l. 1. cap.* Quae sit longa consuetudo. *Confer etiam quae concl. 1. dicta sunt.*

jam inductam concedimus; quando vero et consensu legislatoris sunt illi actus completi, quibus consuetudo habetur, tunc in *facto esse* eosdem actus non opponi legi, quae jam abrogata habetur; ac proinde cum non sint contra legem nec irrationabiles dicendos esse patet. Lex ipsa scripta posterior, et contra legem anteriorem lata, num legem anteriorem, quam abrogat, irrationabilem indicat, vel ipsa talis habetur? Revera actus, quibus consuetudo introducitur, etsi contra legem sint, imo debeant esse peccaminosi, quia nulla dispensatione exerciti (alias non essent sufficientes ad legem abrogandam) hoc tamen verificatur, quandiu consuetudo est in *fieri;* quando vero actus sunt necessario tempore, modoque continuati, tunc accedit consensus legislatoris, et consuetudo ponitur in *facto esse*, seu est completa; et actus incipiunt esse liciti. Quoad tertium denique, monendum, quod ad consuetudinem duplex est via; praescriptio, et conniventia. Quae autem praescriptione introducitur, proprie consuetudo non est, sed praescriptio, quae non respicit Communitatem qua talem, sed potius privatos, et in ea utique bona fides requiritur. Cum vero introducitur consuetudo, qua scienter contra legem agitur, tunc non requiritur bona fides, quandiu nempe in *fieri* consideratur illa conniventia. Hinc etsi requiratur ex jure (1), ut consuetudo sit *legitime praescripta*, non omnes tamen ad praescriptionem conditiones necessariae requiruntur, sed tantum ut illa diuturnos, et non interruptos actus habeat, sicut et praescriptioni necessarii sunt. Et sane differre inter sese Consuetudinem, et praescriptionem patet non solum in eo, quod illi deesse possit bona fides, uti dictum fuit; sed et ob id, quod haec inter privatas personas datur, titulum requirat, et tempus a jure clare determinatum, atque insuper lucrum ferat unius, damnumque alterius.

(1) *In cit. cap. fin.*

CONCLUSIO QUARTA.

Tempus ad consuetudinem inducendam declaratur.

Tempus ad consuetudinem introducendam necessarium, jura non clare determinant; Civile enim jus dicit (1) *longaevum inveteratum*, *longum*: nec jus canonicum illud distinguit. Attamen haud scio, an illi cum Menochio recte sentiant, qui longitudinem temporis necessarii ad complendam consuetudinem relinquunt arbitrio prudentis judicis definiendum; quoniam ratio dictat plus temporis requiri ad consuetudinem in rebus magni momenti, vel praejudicii, quam in levioribus. Huic sententiae non videtur opponi, quod in jure statuitur de praescriptione contra Ecclesiam, vel bona illius, ad quam requiruntur 40. anni (2); nam etsi praescriptione contra Ecclesiam dominium tollitur, vel jus aliquod ad utilitatem ejusdem pertinens, proindeque est in praejudicium ejus; ex consuetudine tamen contra legem nullum patitur praejudicium Ecclesia; lex enim non ejus, sed subditorum utilitatem respicit (*a*).

Alii vero decem annorum spatium requirunt, eo quod in jure (3) longum tempus ordinarie constat decem annis; et hoc tempus illis videtur sufficere ad declarandam populi voluntatem consuetudini necessariam. Sunt demum et alii, qui ad normam jurisconsultorum antiquorum distinguunt inter consuetudinem praeter, et contra legem; illi assignant spatium decem annorum, huic quadraginta. Quisque teneat, quod magis rationi, et juri consentaneum esse sibi videtur, et ex Interpretibus deduci possit (*b*).

(*a*) Suarez tamen veram, et communem sententiam illam dicit, quae in legibus canonicis requirit tempus quadraginta annorum, ut consuetudo contra illas censeatur legitime praescripta; nam jus tit. *de praescriptionib.* inculcat: « adversus Ecclesias minorem praescriptionem, quam quadraginta » annorum Rom. Ecclesia non admittit ». Quis vero non intelligit consuetudinem contra canones esse contra Ecclesiam, cum sit contra ecclesiastica jura? His addunt DD. quod ubi lex requirit, *ut consuetudo sit legitime praescripta*, censenda est respicere ad regulas praescriptionum.

(*b*) Si consuetudinem non ignoret Superior, nec positive obsistat, jam cum tanto rigore non sunt urgendae conditiones requisitae, sed eo modo, qui sufficiat ad indicandum tacitum consensum Superioris. Sufficiet ergo, ut

(1) *L. 35. ff. de LL. l. 1. 2.* Quae sit longa consuet.

(2) *Cap. VI. et XV. de praescript.*

(3) *L. XI. cap. de praescr. long. temp.*

CONCLUSIO QUINTA.

Quando consuetudo per legem abrogetur, exponitur.

Nulli dubium est, quod lex Canonica possit abrogare consuetudinem: et quidem consuetudinem universalem abrogabit, qui toti Ecclesiae potest legem indicere, Pontifex Summus; Consuetudinem dioecesanam Episcopus etc. Verum qualem mentionem consuetudinis debeat facere legislator, ut eam abrogare censeatur, ex sequentibus patet. 1.° Abrogatur, si lex clare e regione sit ei opposita; 2.° lege universali abrogatur consuetudo universalis; etsi in lege istius non fuerit facta mentio, neque adjecta clausula derogatoria: consuetudo enim universalis ignorari non praesumitur; 3.° lege universali non censetur abrogari consuetudo particularis alicujus loci, nisi hujus mentionem faciat, vel addatur clausula generalis derogatoria consuetudinis cujuscumque contrariæ (1); probabile est lege speciali facta a Principe pro aliqua civitate, vel Provincia suae ditionis non abrogari, vel derogari consuetudini particulari illius Provinciae, nisi expresse huic opponatur clausula derogatoria. Legislator enim specialium locorum consuetudines potest ignorare, et hinc nisi expresse caveatur ipsa lege, non intelligitur in aliquo derogare (2) (*a*).

Adhaec quando lex habet clausulam, qua derogat consuetudini simpliciter v. g. dicendo *non obstante quacumque consuetudine*, ordinarie solum intelligenda est de consuetudine jam existente, non de futura; si vero consuetudinem etiam futuram vult legislator abrogare, debet id exprimere.

sit rationabilis in eo sensu, quod Superior possit tolerare ablationem obligationis, quod prudenter valeat ad abrogandam legem. Nec requireretur tempus praescriptionis, sed illud tantum, quo palam sufficienter innotesceret superiorem consentire. Jam enim consuetudo non operatur ex vi juris positivi, sed ex vi naturali, quam habet voluntas legislatoris satis indicata.

Consuetudine immemorabili acquiri possunt omnia, quae privilegio, et indulto Principis. Principium est hoc a DD. communiter receptum. At id locum non habet 1.° si is a quo allegatur talis consuetudo, sit incapax possidendi extra casum, quo habilitatur privilegio; 2.° si eadem a canone reprobatur tamquam abusus, et corruptela.

(*a*) Inferior Principe, et proprius alicujus territorii dominus, si ferat legem pro suo territorio derogantem consuetudini talis loci, quia praesumitur scire consuetudines sui territorii, illi revera derogat.

(1) *Can.* Licet.

(2) *Arg. ded. ex cit. cap.* Licet *X. et c. II. h. t. in 6.*

Quando vero derogat consuetudini futurae contra legem, et simul illam non reprobat uti corruptelam, vel uti irrationabilem; per hoc non facit, ut contraria consuetudo introduci non possit (1). Si vero ut corruptelam et damnet, vel reprobet; etiam futurae consuetudini omnem vim adimit, nisi mutentur circumstantiae. Si demum lex abroget vel reprobet consuetudinem in genere, non comprehendit immemorabilem (2).

CONCLUSIO SEXTA.

Historiae, auctoritatis, et rationis in hac disciplina necessitas, et usus aperitur.

Historiae adminiculum in juris sacri disciplina necessarium nemo non videt; ab ea etenim fides, quam ejusdem juris principium cognoscendi statuimus, roboratur, atque firmatur. Et revera ex historiae monumentis quisque cum Psalte repetit: *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Insuper jus sacrum ab Ecclesia, cui inservit, rationem suam habet, et objecta sua distinguit, ipsamque coadunat et colligit; quae igitur Ecclesiam magis illustrant, atque comprobant, eadem juri ecclesiastico lucem afferunt et vim tribuunt: at quis ignorat historiam esse, quae legitimam exhibet Ecclesiam unitate perpetua fidei, communionis, et capitis sui, cui undique consensere fideles? Nonne historia Ecclesiam a primordiis suis catholicam per omnem orbem diffusam demonstrat? nonne saeculorum monumenta ejus sanctitatem illustrant, et exemplis virtutum in singularibus et gloria miraculorum, et coronis martyrum, et Ordinum regularium institutione? nonne hæc ipsa ostendunt successionem legitimam praesulum Ecclesiarum, et maxime Romanae, a qua tamquam matre ceterae derivatae sunt? nonne testantur eadem simul et depositum fidei ab Apostolis acceptum, atque ab illis usque adhuc servatum, quo etiam Apostolica declaratur Ecclesia? Quae omnia historiae cognitionem ad juris scientiam comparandam non parum conducere, satis superque declarare videntur. Necessitas demum historiae ex fontibus ipsis juris ec-

(1) *Ex cap. I. III. VII. IX. fin.*

(2) *Ex cap. XXVI. de V. S. ubi ista consuetudo aequiparatur privilegio.*

clesiastici colligere licet; nam sacra historia utriusque testamenti, traditionum exempla, et testimonia, ex memoria rerum praeteritarum declarari nemo non videt; gesta synodalia, et canones in conciliis editi sine temporum, rerumque notitia comperta non habentur; ipsas constitutiones Pontificum, Patrum auctoritates, et Doctorum, Principumque edicta sine notitia eadem applicari non posse, patet. Uno verbo Jus publicum, et particulare historia nititur, et plurima in corpore juris extant, quae explicari non possunt sine historica cognitione. Defigit vero animum nostrum, quod cum juris sacri hostes ad historiam provocare non desinant, multiplicando tamen conferta mendacia, in factis mentiuntur, et calumniantur. Hinc cum studio historiae conjungenda est ars *critica*, ne arma ad tuendum jus sacrum comparata, ad perniciem ejusdem conversa videantur. Regulas autem critices in titulis de testibus, et attestationibus facile erit reperire.

Nec praeterea in jurisprudentia sacra parvi est facienda auctoritas non modo Imperantium, judicum, magistratuum: insuper et Doctorum hominum privatorum, in arte judicandi *peritorum*: sed etiam illa, quae a rebus gestis ex praescripto legum, vel publicis judiciis colligi potest, qualis est auctoritas instrumenti, contractus. Usus tamen auctoritatis hisce praesertim regulis habendus; I. Consensus auctorum communis, maximi ponderis censendus ad persuadendum, judicandumque. II. Si alii contra alios pugnant, eorum testimonium tantum valet, quantum ratio ipsorum; gravior tamen eorum auctoritas, quae prae caeteris effulget experientia in arte sua: hinc in quaestionibus juris Theologorum sententia minoris aestimanda, quam jurisconsultorum, et contra in quaestionibus, quae theologiam spectant, pluris est facienda. III. Sola laus et praestantia doctrinae in causa religionis sufficiens haud erit ad persuadendum; etenim alia scientia humanarum, alia divinarum rerum (*a*). Recte ergo Vincentius Lirin. de Origene, Tertulliano, et de Nestorio ita advertit: *intelligant se cum Ecclesia Doctores recipere, non cum Doctoribus Ecclesiae fidem deserere debere*. Denique non abs re erit monere quod cum lex non sese explicat, nec sese applicat ad species plurimas obvenien-

(*a*) Vide inde doctrinam humanam, qua adversarii pollere possint, nullum praejudicium afferre causae religionis, atque Sedis Apostolicae.

tes, vel ambiguam se exhibet, ubi desit authentica legum interpretatio, officium judicis legem adplicantis, et jus dicentis maxime juvat; plurimum etiam praejudicia, vel potius exempla rerum similiter judicatarum, et auctoritas valent in illis speciebus.

Maxime omnium denique utatur, oportet, jurisperitus philosophia, et ratione; hujus enim est investigare nexum veritatum, et harum principia exquirere. Per ipsam nam 1.° ex genuinis fontibus sacri juris veritas deducitur, aut species facti deciditur; nimirum nonnisi ratione ex Scripturae verbis, constitutionibus Pontificum, canonibus conciliorum etc. progredimur ad solvendas quaestiones, ad speciem facti decidendam. 2.° Ratio velut principium habetur, ex qua praecepta, et regulae vi naturali cognitae de justo, et injusto colliguntur, quae etiam normam praebent particulares resolvendi quaestiones, causasque singulares definiendi. Insuper illa, ut canones ad logicae regulas exigantur, imprimis necessaria est, ne fallaciis, et erroribus decipi quis possit. Verum ne quis jus sacrum, et religionem, cujus est pars, suo ingenio fascinationibus nugacitatis redundanti subjicere audeat, ex Lirinensis monito (1), sententiis Patrum mentem adhibeat, ut ex his, quantum in rebus divinis humana coecutiat ratio, ipsamque licet acerrimam, ne erret in illis, majori auctoritati subjiciendam esse addiscat. Ita sane non modo illorum veterum philosophorum vestigia declinet, qui *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*, sed etiam contra pseudopoliticos cum Leone, et universa antiquitate sibi persuadeat: *canones spiritu Dei conditos esse, et mundi reverentia consecratos*, quos si quis revereri recuset, sciat, ut D. Paulus docet, quod *animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei.*

FINIS LIBRI PRIMI.

(1) *In Commonit. cap. XXIII. et seq.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

DE COLLECTIONIBUS CANONUM IN UNIVERSUM.

CONCLUSIO PRIMA.

Origine, et necessitate Collectionum canonum expensis, illarum species atque auctoritas distinguuntur.

De sacrarum legum principiis, quibus illarum auctoritas addiscitur, et natura, satis hactenus. De collectionibus ipsarum nunc verba facere opus est, quo et expeditas, et intelligibiles ipsas leges magis habeant earum studiosi, et historia originis, et progressus juris Canonici ex variis illis, vario tempore, editis facile intelligatur. Enimvero postquam sacrae leges pro varietate temporum, atque Ecclesiae utilitate in molem aliquam excrevere, usus invaluit redigendorum canonum in codices, ne alii neglecti in obscuro laterent, aut ob non usum alii omnino inutiles redderentur; ut veri ex ipsis codicibus haurirentur, et simul tamquam aquae purae a lutulentis discernerentur; ut intemerata quoque puritas eorumdem sacrorum canonum, atque disciplinae Ecclesiasticae servaretur, et cum facile non esset omnibus omnia acta Synodorum legere ad canones addiscendos, non solum sic via ad sacram jurisprudentiam dignoscendam sterneretur, sed etiam ipsius juris accuratiorem, penitioremque cognitionem quam maxime necessariam, quisque habere posset. Etenim plura sunt, quibus in judiciis utimur, quae antiquitus statuta nec rite intelligi, nec exponi possunt, nisi temporum, quibus stabilita sunt, ratio habeatur; plura, quae nisi antiquioribus legibus comparentur, explicari non possunt; plura, quae cum iisdem componi debent, ut ad usum reducantur; plura insuper,

quae nonnisi ex antiqua historia juris rejici fas erit tamquam nova, et divinae Ecclesiae legibus contraria ab adversariis objecta. De collectionibus igitur canonum ab hac disciplina non abhorrentibus dicturi praemittendum ducimus, quod aliae harum in diversa capita omnis juris materias distribuunt: quædam integros canones referunt: quaedam breviationes tantum: nonnullae sunt, quae legibus Canonicis adjiciunt civiles de eisdem materiis, et quae *Nomo-Canones* ideo dictae sunt, et hoc quidem apud Graecos praesertim in usu fuit.

Quod vero auctoritatem earumdem spectat, duplicis generis sunt, prout privata, vel publica auctoritate redactae habentur. Quae primi generis sunt, illam solam auctoritatem obtinent, quae ex fontibus, unde desumptae sunt, acceperunt; leges enim, et sententias in unum colligere nullam auctoritatem addit: hinc ad fontes earum recurrendum erit, ut de iis verum efformari possit judicium, cum necessitas urget. Hoc tamen intelligendum, nisi postmodum publica recipiantur auctoritate, et probentur. Tunc quidem valeret illud Justiniani Imp. *Merito nostra facimus quia ex nobis omnis ei impertiatur auctoritas.* Collectiones autem publica auctoritate donantur, ut quae in eis continentur, vim legis habeant; proinde leges, et sententiae ex relatione in easdem collectiones auctoritatem publicam obtinent, hanc alias non habiturae. Adhaec facile erit intelligere, quod collectiones canonum Ecclesiae universae universos obstringant fideles; quae vero singularium sunt Ecclesiarum, respective obligant fideles; dummodo codicibus universae Ecclesiae non reperiantur interpositae.

CONCLUSIO SECUNDA.

Regulae exponuntur ad canones interpretandos; axiomata quaedam in jure fundamentalia adduntur.

I. *Regula fidei una omnino est sola immobilis, et irreformabilis.* Vulgatissimum, et vere probatum est hoc effatum Tertulliani, ut reminiscatur quisquis, discordare non posse canones fidei inter Ecclesias singulares, ut fidei unitas servetur.

II. *Canones ad formandos mores editi, vitia eluenda, atque regimen Ecclesiae rite instituendum, etsi juris positivi humani aliquid contineant, quod tamen in iis decernitur, potius juris*

naturalis, ac divini interpretatio, declaratio, atque ad particulares causas adplicatio dicenda est (a). Hinc si non jure positivo, jure naturali stabunt semper quoad ea, quae sunt ejus (b); nec consuetudo quamvis inveterata, aut contraria praxis multorum eos abrogare in totum unquam poterit.

III. *Si maneat ratio eadem, propter quam lex utilis primo erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit; nisi forte propter hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundum consuetudinem patriae, quae erat una de conditionibus legis.* Ita D. Thomas (1). Frequentius enim evenire poterit, ut vix sine observantia juris positivi, quod juris naturalis est, servari queat; ut propterea canones illi perpetuam ac immobilem rationem habere videantur.

IV. *Canones quoad disciplinam abrogari possunt; et sicut eos vigentes contemnere foret irreligiosum, sic abolitos perfractim velle revocare, periculosum foret non raro.*

V. *Pleraque capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore consideranda sunt; quorum modi quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impingunt, cum ante judicent, quam intelligant, ante inculpent, quam iterando lecta perquirant.* Sic S. Isidorus (2).

VI. *Canones disciplinae non omnes paris sunt conditionis, nec pari ex causa editi, proindeque nec omnes mutari ab Ecclesia solent* (c). De his S. Augustinus ait (3): « Si quid horum » tota per orbem frequentat Ecclesia..... quin ita faciendum » sit, disputare insolentissimae insaniae est ». D. Thomas idem repetit (4).

(a) Puta qui vitam, et honestatem clericorum spectant etc. in his quidem, si poenas canonicas exeipias, jus divinum naturale, vel positivum effulget.

(b) Ad rem D. Thom. *Quodl. lib. 9. a. 15.* de antiquis canonibus pluralitatem beneficiorum vetantibus ita scribit: « Quantum ad hoc, quod jura illa » antiqua continent jus nuturale, abrogari non possunt, per consuetudinem » contrariam, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc quod solum de » jure positivo continent, possunt esse abrogata: praecipue si dissimulan- » tes hanc consuetudinem contrariam, in quorum potestate est jus positi- » vum, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare ».

(c) Puta quos receptos universa Ecclesia habet canones, et ab ultima antiquitate repetitos, sicut et alios, qui uniformitatem per se videntur poscere, vel honestatem status Ecclesiae, aut necessarii sunt ad peccati periculum removendum.

(1) *Quodl. lib. 9. art. 15.*

(2) *In distin. XXIX. cap. V.*

(3) *Epist. 118. ad Januar. cap. V.*

(4) *1. 2. q. 97. art. 2.*

VII. *Difficultas mutandi disciplinam minuitur, si quae aliis locis alia extitit disciplina, sic ad uniformitatem reducatur cum Ecclesia Romana.*

VIII. *Canones contra inveteratos abusus non semper ita interpretandi sunt, ut reliquum nihil aliud sit ad illos funditus evellendos*: pro temporum sane conditionibus Ecclesia, ne simul cum zizania triticum eradicetur, quin adprobet aliquam praxim pravam, mitius agit suis legibus (*a*). Male inde sic argueretur: lex quoad suos terminos impletur; nihil ergo observandum remanet (*b*).

IX. *Licet Ecclesia rigorem canonum interdum relaxet; non ideo canones abrogati censentur omnino* (*c*).

X. *Pro abolitione canonum, aut disciplina statuenda periculose assumitur multorum praxis in ea; nec recte sumitur a tolerantia Ecclesiae argumentum pro eadem abolitione* (*d*).

Quoad axiomata, Gregorius IX., et Bonifacius VIII. ad calcem Decretalium, et Sexti edi jusserunt, ubi abunde ea reperire fas erit cuique. Nos quasdam tantum summatim sententias heic referemus, quae vel magis propriae sunt; vel præ oculis magis habere necessarium erit.

(*a*) Ad rem Concil. Trid. sess. XXIII. *de reform.* sic observat « Adeo dura, » difficilisque est praesentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, » nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi ».

(*b*) Ex. gr. residentia novem mensium Trident. requiritur, ut Canonici lucrari possint fructus beneficii; ergo sine justa causa absentes esse possunt spatio trium mensium.

(*c*) Quoniam idem Spiritus, qui regit Ecclesiam, non minus nunc, quam olim, malum detestatur, bonum praecipit, atque vult: ideo intimo spiritu fert illos canones eadem Ecclesia, ut suam semper vim habeant; sed quandoque temporum difficultatibus afflicta, eorumdem canonum rigorem ita relaxat, ut ipsum tempore meliore revocare constituat.

(*d*) Tolerat revera electionem digni, omisso digniore, ad ministeria sacra; nec tamen recedit a canonibus, qui contra clamitant etc. Solet quidem (ait S. Greg. VII. *lib. 2. epist. 50.*) « Sancta, et Apostolica Sedes pleraque con- » siderata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis, et constitutioni- » bus a concordia Canonicae Traditionis recedere ».

I. *Unde jus prodiit* (id est ab ipso legislatore), *inde quoque juris interpretatio procedat* (1) (*a*).

II. *In obscuris inspicimus, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit* (2).

III. *Non debet aliquis verba considerare, sed intentionem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire* (3) (*b*).

IV. *Intelligentia dictorum ex causis assumenda est dicendi, quia non res sermoni, sed rei est sermo subjectus* (4).

V. *Quod non licet suo nomine, nec alieno licet* (5).

VI. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo* (6).

VII. *Odia restringi, et favores convenit ampliari* (7) (*c*).

IX. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (8). Epickeia sane datur, species scilicet interpretationis, quae fundatur aequitate.

(*a*) Haec interpretatio dicitur authentica.

(*b*) Intentio scilicet, quae cognosci possit ex materia, ex circumstantiis legis, non interior legislatoris, nec tantum privata, quae legem non facit.

(*c*) Lex plene favorabilis est, quae ita concedit gratiam, commodum, facultatem, ut nec ordo communis, nec quisquam inde detrimentum patiatur. Odiosa est, quae sic restringit naturalem libertatem, ut ea prohibeat, quae non sunt de se mala; vel quae poenas imponit, vel aliquibus concedit, quod aliis negat. Hinc « quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad conse» quentias sunt trahenda; *Reg. 28. in 6.* Contra eum, qui legem potuit dice» re apertius, est interpretatio facienda; *Reg. 75. in 6.*

(1) *Cap. XXXI. de sententia excomm.*

(2) *Cap. XLV. ex R. 5. in 4.*

(3) *Cap. XV. de verb. signif.*

(4) *Cap. VI. de verb. signif.*

(5) *Cap. LXVII. de R. J. in 6.*

(6) *Cap. XXXIX. de R. J. in 6.*

(7) *Reg. 15. in 6.*

(8) *Cap.* Quod non est *de Res. 9.*

CAPUT II.

DE COLLECTIONIBUS IN SPECIE PRIMAEVAE AETATIS.

CONCLUSIO PRIMA.

Tempore perstricto, a quo collectiones primaevae aetatis prodiere; quid de canonibus, et constitutionibus, quae Apostolicae vocantur, sit sentiendum, declaratur.

Charitas, qua primum Christiani flagrabant, rituum simplicitas, nec non primaevae Ecclesiae conditio vix occasionem dedere, ut aliae adderentur regulae Evangelio, quod quidem nonnisi pluribus ab Christi Adscensione annis conscriptum fuit. Caeterum disciplina sacra, praesertim tunc temporis, nonnisi traditionum, et consuetudinum maxime regebatur legibus, longo tempore, hominum memoria, conservatis; deinde ne oblivioni mandarentur, aut vagarentur incertae, in Oriente primum brevibus sententiis scripto traditae fuere, inde in codices redactae (*a*). Antiquissima omnium in monumentis Ecclesiasticis est, quae dicitur collectio *Canonum Apostolorum*. Huic saepe adjunctae fuerunt *Constitutiones Apostolicae* sub nomine S. Clementis, cujus tantum duas epistolas veras Doctores judicant. Omnes eruditi conveniunt neutrum esse opus Apostolorum, nec S. Clementis nomen hisce editis constitutionibus convenire (*b*): at in illis servari

(*a*) Episcopis, ac Presbyteris Apostolos tradidisse non modo haud pauca fidei dogmata, quae scriptis non consignaverant; verum et docuisse nonnulla curam animarum, et Ecclesiae politiam spectantia patet ex controversia de Paschate; utraque enim pars in ea ad suam sententiam adstruendam traditionibus Apostolicis utebatur, altera Petri et Pauli; Joannis altera. Revera incongruum esset affirmare nondum statuta certa regiminis methodo, et regularum compendio, eosdem Apostolos a novitiis Ecclesiis discessisse, quas tanta cura aedificaverant, et in quibus, distracti alio ab Apostolatus munere, diutissime consistere non poterant. *Formam habe sanorum verborum*, scripsit Apostolus ad Timoth. II. 1. 13. et ad Philippenses 3. 17. *Observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.*

(*b*) Octo libros harum constitutionum, et cetera, quae S. Clementi tribuuntur, ejus non esse demonstrat Bellarm. lib. *de script. Eccl.* in Clem. Rom. Ipsius vero duas epistolas judicant Eruditi veras, quarum alterius tan-

expressa priscae disciplinae vestigia dicunt. Quibus Ecclesia Latina ab initio nullam penitus auctoritatem tribuit. Graeci Synodi Trullanae auctoritatem sequuti, canones Apostolorum octogintaquinque numerarunt, quos vim legis habere sunt opinati; Occidentales contra apocryphos primum putarunt hujusmodi canones, sed postea ex iis tantum quinquaginta admiserunt, quos Dionisius Exiguus ex graeco in latinum transtulit, suæque collectioni inseruit utpote genuinos ab eo creditos (*a*). Inde auctoritatem quandam nacti sunt.

tum fragmenta supersunt. Hinc apochryphae non tantum putantur, sed ex eo quod in his nonnulla haeresi Arianae favent, teste Trullana Synodo ann. 692. ideo ab haereticis corruptae habentur; quamvis etiam et V. saeculi disciplinam referant. Hinc utilissimae non desinunt esse, cum ex iisdem et mores primorum temporum, praesertim caeremoniae et instituta colligi possint contra Dallaeum, qui dicit illas omnino foetum haereticorum.

(*a*) Hos Canones accensuerunt DD. non pauci inter illos, qui Synodorum plurium existimantur. At merito hodie Apostolis abjudicantur hisce momentis 1.° quia eorumdem nulla sit mentio apud illos, qui tribus prioribus saeculis res Ecclesiae scriptis illustrarunt, ut praesertim Eusebius, et Hieronymus, ubi facile de iis sermonem interserendi sese obtulit occasio. Alter quippe Histor. Eccl. lib. III. c. XXV. alter in Catalogo Scriptor. Eccles. in Clement. opera narrant Apostolorum, et reticent ipsos canones; 2.° multa sunt in iisdem, quae postmodum evenerunt. Et re quidem vera in canone VII. sic legitur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus sacri Paschae diem ante vernum aequinoctium cum Judaeis celebraverit deponatur.* At hujus auctoritas nec a Victore Papa, secundo saeculo exeunte, nec a tota Ecclesia Romana contra Asianos quartadecimanos unquam objecta fuit. Quod tamen posterioribus Ecclesiae saeculis pluribus Synodis sancitum fuit. Insuper Canone XLVI dicitur: *Episcopus, vel Presbyter eum, qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur.* Hunc tamen incognitum quis diceret Cypriano Carthaginensi, et Firmiliano in Oriente, quo suam sententiam tueri poterant, et tamen aliis auctoritatibus studio partium conquisitis nunquam laudarunt hunc canonem in controversia an baptismus haereticorum validus foret, quae diu exarsit inter eos, et B. Stephanum Papam; 3.° Jam in *plenario concilio totius Orbis*, ut ait Augustinus lib. 1. *de baptism.* c. VII. deinde in Trid. sess. VII. cap. IV. sub anathematis poena definitum fuit valere baptismum ab haereticis collatum. Vel igitur dicendum Ecclesiam posteriorem aperte errasse, quod doctrinam Apostolorum fidei contrariam docuerit, quod impium est; vel canones illos non fuisse Apostolorum; 4.° quaedam in iis sunt praeter praedictum errorem, quae Ecclesiae doctrinae adversantur, uti in can. XLVII., ubi etiam haereticorum baptismus rejicitur, et can. 50. quo trina mersio in baptismo necessaria ad vim Sacramenti dicitur; 5.° Can. LXXXIV. recensitis omnibus libris Canonicis de libro Sapientiae sic dicitur: *extrinsecus autem a vobis intelligatur, debere vestros adolescentes discere Sapientiam eruditissimi Sirach.* Tum ibidem libri Tobiae, et Judith reticentur. Num Ecclesia hos libros admisisset inter Canonicos, si canon verus Apostolicus vel expunxit, vel omisit? 6.° In iis multa sunt, quae componi ulla ratione non possunt cum Apostolorum aetate ex. gr. mentio *Cantorum*, *Lectorum*, *Hyp-*

CONCLUSIO SECUNDA.

Celebriores Collectiones Ecclesiae Orientalis octo primorum saeculorum memorantur.

Tribus prioribus saeculis ob persecutiones rarius agebantur Synodi. Nonnullae tantum ex his ad nos usque pervenerunt, uti illa sub Victore Papa ann. 196. de controversia Paschatis habita (1) : Carthaginensis sub Agrippino Episcopo, de quo Cyprianus epist. 71. ipsa Cypriani Synodus, et aliae. At Constantino M. imperante post datam Ecclesiae pacem frequentiores, et ordinatiores Synodi celebratae fuerunt, ex quibus collectiones prodiere.

Celebriores inde Ecclesiae olim proprium canonum codicem habuerunt, in quem praeter canones generalium Synodorum conjecerant peculiares canones, et quotquot ex aliis Ecclesiis recipiebant. Omnium tamen celebrior in Oriente fuit *Codex canonum Ecclesiae universae*, qui declinante saeculo IV. apparuit, complectens 165 canones, sed ipsius compilator incertus, et quoniam Concil. Calcedonense usum fuisse eo constat (*a*), maximam auctoritatem exinde obtinuit. In eo perpetua temporum serie digesti continentur tamquam unius essent concilii, ut Graecis mos erat, Canones XX concilii Oecumenici Nicoeni I celebrati ann. 325. qui in tantae Synodi reverentiam omnibus praepositi sunt; XXIV. Synodi Anciranae in Galatia ann. 314.; XIV. Noecaesariensis Synodi celebratae an. eodem, vel 315. in Ponto, quae sunt eorum, quorum canones supersunt, antiquissima Concilia; XX. Gangren-

podiaconorum, distributio Parochiarum, annua Concilia Metropolitana, distinctio bonorum Ecclesiae a bonis Episcopi, uti in Can. 14. 15. 22. 38. 43. apud Cotelerium, ubi haec et caetera id genus referuntur, quae multo post Apostolorum aetatem instituta habentur. Hinc videntur fortasse III. et IV. saeculo illi canones prodiisse, quod disciplinam contineant hujus temporis. Tumultuarium tamen opus partim ex sanctissimis nonnullis regulis, quas ore, uti praedictum fuit, Apostoli tradiderunt, partim ex consuetudinibus plurium Ecclesiarum, praesertim Orientalium, et ex decretis plurium Synodorum conflatum; at non uno auctore, quum nec certus numerus, aut ullus ordo in canonibus ipsis cernatur.

(*a*) Act. IV. et XI. in quibus non solum mentio illius occurrit, sed aliqui canones ejus recitantur distincti numeris, et qui perpetuam ostendunt seriem, nonnisi collectioni convenientem.

(1) Fleury *Hist. Eccl. lib. 4. num. 43.*

sis ann. 375. XXV. Antiochenae ann. 341.; XV. Laodicenae ann. 370.; tum III. Concilii Oecumenici Cpolitani I. an. 381. Accesserunt dein huic Codici canones Concilii Oecumenici III. scilicet Ephesini an. 430. et IV. etiam Oecumenici an. 450. nimirum Chalcedonensis. Publico Orientalis Ecclesiae usu, nullis factis accessionibus, ita instructus codex diu stetit; at medio VI saeculo adjecti fuere canones Apostolorum LXXXV. necnon Concilii Sardicensis ann. 347. celebrati, et a pluribus Ecclesiis pro continuatione Nicoeni habiti; demum LXVIII. S. Basilii. Insuper monere juvat quod non omnibus hisce canonibus constabat a principio haec collectio, ut advertit inter alios Devoti; non enim, quo saeculo primum apparuit, omnes conveniunt, sed adjuncti postea fuerunt; atque dissimiles accessiones in codicibus distinctis hujus collectionis nonnisi ex diversitate ingeniorum esse profectas apparet et certe diversitate ingeniorum, et studio eorum, a quibus fiebant.

Procedentibus temporibus fuerunt a diversis diversae aliæ concinnatae collectiones, inter quas illa Theodoreti Episcopi Cyrensis, aliaque in Trullana Synodo saeculo VII. condita plurium praesertim Africae Synodorum canonibus graece redditis, antiquis in ea confirmatis, atque novis adjectis, cum nonnullis Graecorum Patriarcharum, et Episcoporum epistolis (a); aliaeque demum fuere, quos videre est apud Dojat (1).

Prae omnibus tamen juvat solum memorare collectionem Joannis cognomento Scholastici (b) in L titulos distinctam ex antiquioribus collectionibus efformatam, non exclusis LVIII. canonibus ex epist. S. Basilii eductis, caeteris praestantiorem ex eo quod non temporis ordine servato, sed ad faciliorem usum systema adhibuit, et totam materiam in titulos supra dictos distribuit. E re enim ecclesiastica judicavit canones plures ad eandem rem pertinentes diversis locis collocatos, similes similibus adjungere, et sub propriis ex his titulis collocare.

(a) Inepta etiam ex hoc argumenta videntur illorum, qui tamquam novae disciplinae foetus jactitare non desinunt decretales Pontificum; si enim, Episcopi jus dicebant extra concilium, cur non potuerunt Pontifices?

(b) Scholasticus pro viro in arte oratoria versatus praecipue sumebatur. Inde Advocati scholastici dicebantur. Erat itaque iste ex genere Advocatorum presbyter primum Antiochenus, dein ordini Apocrisariorum adscriptus et postremo Imp. Justiniano, Patriarcha Constantinopolitanus fuit.

(1) *Praenotiones Juris Can. vel Hist. juris canonici ejusdem.*

Ipse Joannes Nomo-Canonem composuit, (uti communis fert opinio paulo post Justiniani Imperatoris mortem). Caeterum hoc unum praeteriri non potest de eo, quod illum L itidem titulis per materiam distinxit, iisque leges ex Codice, et Novellis Justiniani potissimum adjecit, quibus canones confirmantur (*a*).

Auctis saeculo VII., et VIII. ecclesiasticis legibus alium Photius *nomo-canonem* adornavit, qui cur tanti fiat a saec. X. inter Graecos, non est difficile divinare; est enim opus infestissimi hominis contra Ecclesiam Romanam, qui ob iteratam suam destitutionem, sub Leone Imperatore, auctoritate caruit.

CONCLUSIO TERTIA.

Occidentales ejusdem aetatis praestantiores Collectiones declarantur.

Romana Ecclesia diu non aliis usa videtur regulis, quam Scripturis sacris, Traditionibus, et consuetudine ante Nicaenam Synodum; post hanc suum codicem habuit conflatum tantum ex canonibus ejusdem Synodi latine redditis una cum Sardicensibus. Inde his accesserunt canones Chalcedonenses a Sancto Leone M. in latinum versi, in cujus aetate Codex privato studio elaboratus fuit, in quo praeter illos cum decretis conciliorum tum generalium, tum particularium inseri coeperunt Summorum Pontificum epistolae; qua de causa passim in usu erant. Hujus duae praesertim versiones fuere Isidoriana una, altera dicta *Prisca*. At cum multa fuissent obscure a graeco in latinum idioma translata, et alia desiderarentur in Codice illo Romano sic concinnato: confusione illius *Priscae* translationis offensus Dionysius Exiguus circa ann. 530. Romae novum codicem adornavit, ut ipse

(*a*) Novae hoc tempore collectiones ortum habuere, quae ut ecclesiasticarum, civiliumque legum usus facilior quoque redderetur, ambas certo ordine digestas comprehenderunt. Hujusmodi est collectio, de qua heic agitur, dicta *nomo-canon* idest legum cum canonibus collatio. Praeter 50. titulos, quos in praedicta collectione ejusdem habentur, continet loca ex civilibus legibus praesertim ex 87. capitibus, quae ex decem novellis Justiniani ipse exscripsit Ecclesiam respicientibus, et in collectione quadam posuerat nunquam tamen integra typis impressa; insuper et loca quaedam ex Codice, et Pandectis desumpta, singulisque titulis dictis addita complectitur.

idem ait (*a*). In eo id sibi proposuit, nimirum servato ordine temporum, edere praecipuos canones in Ecclesia Romana receptos, tum etiam quotquot Summorum Pontificum decreta in scriniis Sedis Apostolicae inveniri possent: et revera a Siricio ann. 498. usque ad Anastasium ann. 358. statuta decretalia addidit suo codici; cum ante Siricium nulla referat prolata. Hinc duas partes codex Dionysianus continet, quarum prima tempore Symmachi confecta canones, altera Decretales exhibet (*b*).

Ipsum Ecclesia Romana statim amplexa est, usuque communi recepit; et Patres illorum temporum sub nomine *Veteris Codicis Canonum Ecclesiae Romanae*, saepe commendant. Carolus Magnus dein eumdem, quibusdam additionibus locupletatum, ab Adriano Papa recepit circa ann. 788. et ubique promulgari curavit.

Codex iste magni fuit in aliis Occidentis Ecclesiis; praesertim quum exemplo Romanae Ecclesiae reliquae insigniores peculiarem sibi codicem habere curarint, in quo tum antiqui canones ubique terrarum recepti, tum qui proprii in primis erant cujusque loci, et nonnullae fortasse Pontificum Decretales,

(*a*) Dionysius natione Scytha, moribus Romanus, professione monachus, graecae linguae callentissimus, staturae forsan, vel modestiae causa cognomento Exiguus dictus.

(*b*) Multa moliendo faciunt, ut nihil tamen agant Van-Espenius, Cavallarius, aliique contendentes, quod conciliorum canonibus, non decretalibus Ecclesia regebatur ante Dionysium, eo quod hic primum decretales collegit. Quis namque tam rudis, ut non videat ineptum ratiocinium illorum? Dionysius primus collegit; ergo ante Dionysium decretales non habebantur. Quinimo ignoratne quisque novitius historiae discrevisse Dionysium in sua collectione a decretalibus canones, non vero collegisse illas omnium primum, ut ex dictis patet. Quid ergo? Num ab isto Dionysio Pontificum decretales vim obtinuisse caecutiens quis dicet cum illis? Etenim destitutae si essent sua vi, quis non intelligit nec et a privato homine potuisse hanc obtinere, nec Ecclesiam ope Dionysii disciplinam mutaturam. Sed nec ipsum fuisse Dionysium, qui primus decretales illas collegerit, recte monet Devotus in suis Instit. can. etenim omnes decretales ipsae jam permixtim et confuse descriptae erant in antiquis collectionibus, nec ipse aliquid adjunxit, sed primus easdem a canonibus conciliorum dispescuit. Imo monendum quod omnes collectiones istae privato studio absolutae publica auctoritate destitutae codicem constituere non poterant, qui jus Ecclesiae latinae ob id contineret; quapropter hujus codicis publica auctoritate destituti loco erat Romanae Ecclesiae Bibliotheca, quam dicebant *Archivium*, *Scrinia*, *Chartarium*, ubi decretalium autographa, atque acta conciliorum, et canones, ceteraque monumenta servabantur, quorum authographa ipsa adhibebantur ad dirimendas lites, quae forte acciderent, uti patet ex S. Hieron. ad Rufin. lib. 3. Confer Constant. praef. ad epist. R. Pontificum num. 44.

quae ex dictis deesse non poterant, continerentur. Unde apud Gallos sub finem VI. saeculi vigebat *Antiquus Codex Ecclesiae Gallicanae*, ut testis est Greg. Turonensis (1); et Capitularia praesertim Caroli M. et Ludovici Pii apud Hispanos *Codex* Martini Arch. Bracarensis VI. saeculo declinante, atque ineunte saeculo VII. Isidori Hispalensis collectio, quae inter alias celebrior fuit habita: apud Africanos *Codex Africanus* a Dionysio Exiguo suo codici, de quo supra, insertus: *Breviatio Canonum* a Fulgentio Ferrando Diacono Carthaginensi, et *Breviarium Canonum* a Cresconio Episcopo Africano saeculo VII. exeunte digestum. In regulis Anglosaxonum eodem VII. saeculo Theodorus Archiep. Cantuariensis praecipua disciplinae capita in suis Capitularibus compilavit, eaque distribuit in 169. numeros. In Germania collectio canonum facta fuit a Reginone monacho Benedectino ineunte saec. X. (*a*).

Inter tot collectiones illorum temporum etsi paucae, non defuere tamen, quae scientiae ope materiam juris etiam illustrarent, atque explanarent: non defuere et illae, quibus ritus, et formulae negotiorum conscriptae habentur. Quoad primum sufficit heic solum notare *dialogum* de Ecclesiae institutionibus quibusdam, atque et libros de ecclesiastica disciplina, et de matrimoniis inter consanguineos; illum ab Egeberto Arch. Eboracensi ann. 771. editum (2), hos a Rabano Mauro ann. 856. conflatos. Quoad secundum, inter Rituales libros eminent certe illi, quibus usa est Ecclesia Rom. Horum vetustissimus, ac copiosissimus est *Ordo Romanus*, qui a Gregorio Magno ann. 604. conscriptus fertur, inter plures alios, qui singuli peculiare argumentum comprehendebant, uti erat liber de Missa pontificali, liber de baptismo, de sacris ordinibus etc. Revera *Ordo Romanus*, de quo dictum est, praeter caeremonias in divinis officiis celebrandis adhiberi solitas, alias quoque exhibet, quae illis temporibus servabantur in sacris ordinationibus Episcoporum, ac ipsius Romani Pontificis, in Ecclesia

(*a*) Pro poenitentia uno ex praecipuis disciplinae capite aliae prodiere collectiones, in quibus ex conciliorum, et Ss. Patrum decretis pro singulis peccatis determinatae poenae descriptae erant. Praecipuus liber poenitentialis evulgatus fuit a Theodoro Cantuariensi Archiep. ex quo alii subsequentes hausere. Alia canonum poenitentialium collectio fuit ven. Bedae, quae ad nos non pervenit; edita tamen a Mansio concil. tom. XII. nomine Bedae inscripta verisimiliter in Gallia ortum habuit.

(1) *Lib. 1. Hist. Galliae c. XVIII.*

(2) *Vide* Mansi *conc. tom. XVI. col. 482. - 488.*

rum dedicationibus, vel in Imperatorum benedictionibus, nec non in Conciliis sive Oecumenicis, sive Provincialibus (1).

Formulae demum, quibus negotia varia scriptis tractari deberent, in regno Francorum in pluribus libris collectae fuerunt. Antiquissima harum est collectio, quam Marculfus monachus circa an. 660. conflavit praeter alias ab aliis editas. Haec vero continet formulas, quibus donationes sive monasteriis, sive Ecclesiis factae scripto traditae sunt; formulas quoque scribendi literas commendatitias pro clericis, atque alia instrumenta, quae in Episcoporum nominatione, ac confirmatione in usu erant etc. (2). *Liber diurnus* pro Romana Ecclesia est collectio harum formularum, circa ann. 714. forsan conscriptus, cui tamen pro ratione temporum multa adjecta sunt.

Qui post saeculum nonum canones collegerunt, non temporum fere ordinem, et conciliorum, Pontificumque seriem servaverunt; sed in titulos, et capita universam juris canonici materiam distribuerunt, simulque sanctorum Patrum dicta canonibus adjecerunt. Aucto interea compilationum numero, variae adhuc prodierunt collectiones, quarum praecipuae sunt collectiones Reginonis Abbatis Prumiensis in dioecesi Trevirensi prope an. 915.; qui suam collectionem absolvit tributam in duos libros, quorum primus *de personis* agit, *rebusque ecclesiasticis*, alter *de laicis*; Burcardi Episcopi Wormatiensis circa 1020: et divisa in libros viginti, et vulgo *Decretum* appellatur; Anselmi Lucensis ann. 1080., cui tribuitur *authentica, et compendiosa collectio Regularum, et sententiarum Ss. Patrum, et auctorabilium Conciliorum.* Aliae Cardinalis Deusdedit an. 1087. et Ivonis Carnotensis Episcopi, qui circa ann. 1100. *Decretum* suum edidit, crediturque etiam Auctor *Pannormiae*, quae est quasi juris breviatio (*a*). De aliis dicere temporis angustia vetamur, cum graviora expedienda manent.

(*a*) Pannormia quasi omnes comprehendit normas vitae, et disciplinae Ecclesiasticae.

(1) *Confer Mabillonium in musaeo italico tom. II.*

(2) *Confer Sirmond. conc. Galliae tom. II. pag. 638.*

CONCLUSIO QUARTA.

Natura, et fine collectionis Isidori Mercatoris extricatis, nec novam disciplinam Ecclesiae, nec novam potestatem Sanctae Sedi ex illa obvenisse demonstratur.

Circa saeculum nonum, extremis Caroli M. temporibus, in lucem prodit collectio, in cujus praefatione auctor inscribitur Isidorus mercator (*a*): opus quidem turbulentum, quod falsis decretis, literis, aliisque similibus monumentis ex praecedentibus collectionibus collectis, de novo additis confarcinatum se prodit (*b*). Fontes autem hujus collectionis praecipui, quos Fratres Ballerinii (1) indicant, et Bartolus (2), fuerunt collectiones Hispanica, Hadriana, aliaque loca ab his exposita; sed his partim ex ingenio suo fictus Isidorus, partim aliorum ingenio, multa falsa admiscuit (*c*), et praesertim omnium an-

(*a*) Alii tamen sunt codices, qui Peccatoris nomen inscriptum habent. Formula erat ista, qua utebantur Episcopi, ut demissum de se animi sensum testarentur: nec tamen inde colligas auctorem hujus collectionis fuisse Episcopum; addebant enim *Peccatoris* nomini semper et nomen *Episcopi*, *Praesulis*. Hinc placuit aliquibus istum Isidorum inter monachos numerare, quibus proprium Peccatoris nomen dicunt, vel monachum voluisse videri ajunt. Insuper quia recentius monumentum; quod in hac Isidoriana collectione habetur, est Concilium Parisiense an. 829. non immerito ex hoc, aliisque argumentis, quae missa facimus, in illam opinionem ventum est, ut hujusmodi collectio non ante medium nonum saeculum in lucem edita fuisse credatur.

(*b*) Jam plurima tamquam vera in canonum collectiones, quae omnium prae manibus erant, recepta sunt; quaedam enim in aestu disputationum; alia ex vigenti tunc temporis disciplina desumpta, atque superioribus temporibus, aut personis adscripta: alia ex deperditis, atque antiquis legibus, aut decretalibus, quas historiae conservarunt, ad formam legum redacta, alia vitio traditionis, aut privatorum scriptorum judicio causa erant tot falsorum monumentorum, quae tandem circa saeculum nonum in magno numero prodierunt.

(*c*) Fratres Ballerinii (*part 3. cap. VI. §. 5.*) ex codice manuscripto, quem describunt, anno 858. — 867. conflato, de falsis hisce monumentis primi certas notitias exhibent. In prima enim parte ipsius post praefationem partim ex Hispanica collectione excerptam, canones Apostolorum continentur, quos IV decretales literae subsequuntur, quae omnes confictae sunt, et primis XXX. Pontificibus a Clemente usque ad Melchiadem tribuuntur. In secunda parte habentur falsum Constantinianae donationis instrumentum, duo capita, quae loco praefationis sunt, quorum unum ex Hispanicae, alterum ex antiquae Gallicae collectionis praefatione desumptum est, denique canones conciliorum graeci, africani, galli, et hispani, qui o-

(1) *In append. opp. S. Leonis p. 3. cap. 6. §. V.*

(2) *Inst. J. C. cap. XVIII.*

tiquiorum Siricio Pontificum epistolas, exceptis S. Damasi ad Paulinum literis, quas ille in partes tres secuit (*a*). Quod vero excogitata, et inventa monumenta hujus ejusdem collectionis in Hispania ortum non habuerunt, sed potius in orientali Francorum regione, omnibus nunc patet (*b*).

Hinc male et inepte Thainerus falsas illas decretales epistolas confictas Romae contendit, ubi serius innotuisse potius videntur. Quapropter nec ullum vestigium earumdem in codicibus, et monumentis Italiae inveniri potuit, nec alias Romani Pontifices decretales citare consueverunt, quam illas, quæ in Dionysiana collectione habebantur (*c*).

mnes ex aucta hispanica collectione, quemadmodum circa ann. 683. extabat, excerpti sunt. Tertia pars post praefationem habet decreta Pontificum a Silvestro usque ad Gregorium II. inter quae 35. falsae. Decretales, et plura concilia conficta. Ex monumentis certis, et genuinis, quae ex hispana, antiqua gallica, et dionysiana collectione excerpsit, aliqua falsis additamentis interpolata sunt. Post decretum Gregorii II. quo codex finiebatur, alia ab eodem manu adjecta sunt, quae Symmachum ann. 524. et praecipue duo sub ipso celebrata concilia pariter conficta respiciunt. Confer Fratres Baller. cit. et Blascum c. II. comment. *de collect. Can. Isid. Mercat.*

(*a*) Rationes praecipuae, quibus falsas esse Isidori decretales apparet, sunt 1°. stylus idem in omnibus, ipsumque orationis genus, a primorum saeculorum simplicitate abhorrens; nec raro in una eademque decretali litera, diversissima quaeque sine ulla connexione in rudibus et indigestis excerptis consarcinata sunt. 2.° Dionysius Exiguus, licet vixerit ducentos ante annos, maxima cura ac diligentia lustratis, excussisque scriniis Sedis Apostolicae, ne unam habet ex tot decretalibus, quas Isidorus in sua collectione exhibet. 3.° Scriptores Ecclesiastici, qui per octo priora saecula floruerunt, et concilia nullam earum mentionem fecerunt, quamquam pro re nata indicare pluries eas debuissent. 3.° Multa in iis occurrunt recentiora aetate Pontificum, quibus illae adscribuntur: uti sacrorum Bibliorum sententiae secundum Vulgatam, leges ex utroque codice petitae, posteriores canones conciliorum, ac decretales Pontificum etc. Desumptas tamen illas monere juvat ex vetustis Pontificum vitis, ex aliis genuinis legibus, ex Patribus, ex operibus Rufini, et Cassiodori etc. quae saeculo IX. habebantur, et aliis juris Rom. partibus; nec arbitrario quidem; namque Pontificum, et Conciliorum nomina acute, et opportune adscribuntur genuinis, et historicis notitiis, quibus compilator est usus, ut pateat ipsum in Ecclesiasticae historiae cognitione non parum versatum decretales edidisse saltem quoad substantiam, non quidem ex tempore, quo invenit, sed quo fuerunt illi Pontifices, quibus falso tribuit. Hoc et praemonitum volumus, ut clarescat magis, quod nostrum est mox demonstrare, scilicet novam disciplinam non obvenisse ex illis.

(*b*) 1.° Quia omnes codices falsae hujus collectionis in Gallia conscripti sunt, nec ab aliis nisi a scriptoribus Gallicis decretales falsae in ea conprehensae citantur; 2.° habet haec collectio epistolas a Bonifacio Moguntino, aut ab aliis ad ipsum scriptas, quae nonnisi in Francorum regno noscebantur; 3.° Hispanica collectio, quae ad eam conficiendam adhibita fuit, non ex veris, et genuinis hispanis, sed ex gallicis, variis lectionibus interpolatis, codicibus desumpta est.

(*c*) Id in causa fuit, cur Leo IV. epist. ad Episcop. Britann. an. 850. (quae

Quae fuit inde ratio ejusdem collectionis evulgandae, difficile non erit aperire, nimirum ut vigens tunc temporis disciplina corroboraretur ex antiquis monumentis hinc inde sparsis, quæ ex fontibus tum juris, tum historiae deperditis colligere studuit, et omnium maxime illa disciplina firmaretur, quae impetebatur iisdem temporibus, judiciorum scilicet ordo, in quibus Episcoporum et clericorum causae agebantur (a). Delirant ergo, qui falsis decretalibus illis fractos disciplinae ecclesiasticae nervos, et novam inductam in Ecclesia persuadere student, quod ipse Blondellus alias Sedi Romanae infensissimus novit; ipse enim cum ad earum falsitatem demonstrandam, ea saeculi quarti, et quinti monumenta adducat, ex quibus descriptae sunt, hoc quoque simul ostendit, illas nimirum pro eo tempore, quo a Pseudo-Isidoro conficta sunt, nihil novi statuisse. Nec vero credendum omnino est, illis praesertim medii aevi temporibus vi collectionis ab homine privato elaboratae novam inductam disciplinam; tunc etenim et in Ecclesia, et in Republica non legibus scripto traditis, sed moribus, et consuetudine omnia constituta, et acta fuerunt, quae ipsa rerum vis, ac natura poscebant, nec literas ad aliud adhibitas scitur, nisi ut contestarentur, quae jamdiu usu erant recepta, aut ut perspicue enunciarentur ea, quibus Societas indigere videretur. Re quidem vera, quae tum de ecclesiastica hierarchia, tum de accusationibus in decretalibus ipsis sunt digesta, argumenta scilicet, quibus abutuntur S. Sedis hostes (Van-Espen.,

extat apud Sirmundum tom. 3. Concil. Gallic.) decretales memorans eorum Pontificum, quibus tunc in ecclesiasticis judiciis Rom. Ecclesia utebatur, nullam plane mentionem facit decretalium Siricio antiquiorum, quas complectitur falsus Isidorus, licet earum plures ad haec judicia pertineant. Adhaec Nicolaus I. nec Isidori ipsius merces laudavit, aut approbavit. Confer Ballerinios loc. cit. c. 6. et Blascum loc. cit. c. 4. nec ullius momenti est argumentum Theineri, quod ex instrumento donationis Constantinianae simul cum falsis decretalibus invento desumit; cum instrumentum istud multo antea, alio loco confectum sit. Ex hoc jam virus calumniatorum apparet, qui in eadem collectione partem habuisse Rom. Pontifices inepte blaterant.

(a) Indicatis documentis in sua praefatione Isidorus, ex quibus collectionem suam confecit, rationem colligendorum eorum afferens, dicit: « Quatenus » ecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta, atque digesta, et » Ss. Praesules paternis instituantur regulis, et obedientes Ecclesiae mini» stri, vel populi spiritualibus imbuantur exemplis, et non malorum homi» num pravitatibus decipiantur. Multi enim pravitate, et cupiditate depres» si *accusantes Sacerdotes depresserunt* ». Quod multis persequitur objurgans acerbe illos, qui Episcopos accusant, ut per illos se excusant, vel eorum bonis ditentur, ac multa hujusmodi judiciorum incommoda describit.

Febronius, Eybellius, ut novam illam disciplinam obtruderent) si conferantur cum veteribus monumentis, nemo non videt falli male animatos illos hostes in ipsam S. Sedem (a); etenim instituta hac comparatione, in quatuor tantum capitibus jus aliquod novum decretales ipsae videntur constituisse, quorum unum de provincialium conciliorum convocatione agit; at hoc nunquam in usu generaliter receptum fuit, ut Thomasinus probavit; alterum de eorumdem confirmatione tractat; at nec etiam hoc per universam Ecclesiam usitatum fuit, ac proinde neque quoad convocationem, neque quoad confirmationem provincialium Conciliorum aliquid novi per Isidorianas decretales introductum fuit (b). Alia duo capita, quae ad tuendos Episcopos contra Metropolitanorum insidias, conficta sunt, non tam novam quam potius illius temporis sententiam statuisse dicendum; quæ etiamsi decretales non extitissent, mox in usum deducta, atque recepta fuisset (c). Multo minus decretales in causa fuerunt, cur locus daretur appellationibus ad Sedem Apostolicam; nam de iis, quae saec. IX. omnino in usu erant, uti Natalis Alexander probat, jam agebat jus (1), nec vero illæ abusus frequentes excitaverunt in Ecclesia, uti addunt inepte ipsi adversarii; illi enim ex indole temporum orti non probant ap-

(a) Confer Zallinger Inst. J. P. E. Append. c. II. §. XXV. qui conlatis inter sese, quae de his in decretalibus habentur, cum monumentis antiquis argumentum, quod attulimus, mire illustrat.

(b) Quoad primam enim etsi ad rem non desint decreta c. IX. III. q. 6. desumpta ex histor. tripart. l. IV. insuper decreta Marcelli cap. I. D. XVII. haec tamen decreta, etsi de Conciliis loquantur, non fuere tamquam lex, quae etiam de Conciliis provincialibus disposuisset, uti revera in usum deducta in iis nunquam fuit. Quoad secundam vero antiquitus saepius concilia provincialia a Sede Apostolica confirmata sunt, ut ex c. I. c. XXV. q. 1. eruitur, non tamen id per universam Ecclesiam usitatum reperitur.

(c) In falsis decretalibus statuitur diverse sub diversis decretis; etenim aliquae asserunt Episcopos inscia Apostolica Sede non esse condemnandos: aliae a synodo provinciali Pontificis auctoritate coacta sententiam esse ferendam statuunt. Attamen ut lata sententia, res ad Pontificem, etiam ad illam emendandam, transmitteretur, jamdiu in usu erat, uti patet ex Innocent. I. epist. 11. ad Victric. c. III. epist. VII. ad Episc. Maced. c. VII. c. XXXV. q. 9. Nunquam vero expresse literis consignatum fuerat, ut ante sententiam ad Sedem Apostolicam scribatur, et ideo in causa Rothadi Suessionis Episcopi, qui in synodo provinciali depositus ad Sedem Apostolicam provocaverat, Hincmarus sese opposuit. Ast Nicolaus I non ex falsis decretalibus, sed ex antiqui juris indole rem comprobare studuit, nec immerito, cum, ut optime Blascus animadvertit, fori usus in hoc jam inclinaret, et Orientis quoque Episcopi eodem tempore Patriarcharum judicio, medio judice omisso, subditi essent. Concil. Constant. IV. ann. 869. c. XXVI.

(1) *Cap. IV. c. XI. q. 6. cap. VIII. eod. et alibi.*

pellationes contrarias esse Ecclesiae constitutioni, nec vero subditis ex eo, quod aliqui abutantur, hoc efficax jura sua defendendi medium eripiendum videtur; hujus re quidem fundamentum est divinitus institutus primatus, quo potestas S. Sedi data intelligitur in omnes; ac proinde sententias e medio tollere, atque abrogare potest. Temere igitur asseritur, vel a Concilio Sardicensi, vel a decretalibus novum appellationis jus ei accessisse quod tamen nostrum erit propugnare, cum de Rom. Pontifice sermo erit.

Longe etiam a veritate aberrare, qui Romanos Pontifices Isidorianae fraudis conscios, vel suasores obmurmurant, laudatus antea Blascus (1) luculenter commonstrat; quinimmo studuit potissimum fallax Isidorus suis putidis mercibus potestatem Primatis adeo stabilire, atque ampliare, ut Romani Pontificis juribus non semel detrahat, et parem faciat priscis Patriarchis, et quod magis est, universalem curae sollicitudinem Episcopis modo tribuat primatui Romano injuriosam, modo ordinariam Episcoporum potestatem subruat omnino, eamque nonnisi ab Apostolica prima Sede delegatam, et profluentem fateatur.

Restat igitur quod erat probandum, nimirum turpiter falli homines male animatos in Sedem Apostolicam, qui collectionem Isidori editam putant, ut ejus opifex Romanorum Pontificum auctoritatem fraude adstrueret, atque dolose defenderet. Neque enim Sedes, quae saeculo IX. uti certissime constat, jam ex longo tempore ab omnibus Ecclesiae caput nominabatur, et tamquam prima, et Petri haeres suspiciebatur, falsis indigebat Decretalibus, ut suum primatum adstrueret. Quod si qua monarchica dominatio primae Sedis, et sanctitas perpetua in iisdem decretalibus exageratur, perperam, et frustra id factum dicimus; quid enim opus apochriphis testimoniis habet lux ipsa ex divinis Bibliorum oraculis in orbe toto effulgens?

(1) *De collectione can. Isid. mere cap. ult.*

CONCLUSIO QUINTA.

Hodiernum corpus juris canonici enucleatur.

Ceteras omnes obscuravit collectiones illa, quae vulgato nomine dicitur *Corpus juris Canonici*, aeque in scholis, atque in judiciis receptissimum; nam continet vigens, ac ubique receptum jus, ob idque dictum commune: et constat excellentioribus collectionibus praeclara judicii laude editis ab ann. 1150. ad usque ann. 1484. quo vita functus est Sixtus IV. ultimus ex Pontificibus, quorum decreta inibi colliguntur: sunt igitur hae collectiones sub hoc nomine distinctae, scilicet: *Decretum*, *Decretales*, *Sextus decretalium*, *Clementinae*, et *Extravagantes Joann. XXII.* atque *communes*. De quibus singillatim (*a*).

(*a*) Neminem latet utrumque jus canonicum, et civile sic inter se connexum, ut alterum mancum sine altero dicat Doujat: *Praenot. Canonic.* profanum etenim saepe a sacro corrigendum, hoc ab illo in multis ajuvandum est: nec raro ab altero alterum in ambiguis interpretrationem accipit, ut inter alios Lucius III. docet *cap. V. extra de novi oper. nunciat.*: sicut nec parvae sunt decisiones Pontificum, quae ex juris civilis placitis suum mutuatae sunt robur; imo multa ex Cod. Theodosiano, jure Justinianeo, ipsisque adeo priscorum jurisprudentum operibus translata habentur in ipsum juris Canonici corpus: *can. propter superfluum 22. et seq. 11. quibus can. Imper. 13. et seqq. etc.* Hinc factum ait Van-Espen *J. E.* U. t. 8. ut et jus canonicum ad normam juris civilis in multis fuerit redactum. Necessarium ergo ducimus breviter exponere quid sit *Corpus juris civilis* seu *Romani*, aut *Caesarei*, antequam distinguatur *Corpus juris canonici*.

Et re quidem vera ut armis, sic rectitudine legum Romanum imperium emicuisse omnibus patet. Priorum temporum *legibus regiis*, *legibus duodecim tabularum*, *plebiscitis et senatusconsultis*, Praetorum, aut Ædilium *edictis* postea additae sunt Principum seu Imperatorum *constitutiones*, *pragmaticae sanctiones*, et *sententiae*. Magno item pretio habita *responsa Prudentum* eorum scilicet interpretum juris, qui doctrina magis claruerunt. De iis legibus saltem eas, quae fori usibus magis essent accomodatae, plures in unum redigere codicem tentarunt. Post *codices* Gregorii, et Hermogenis a privatis editos, Theodosius junior ann. 438. *Codicem* Theodosianum in sexdecim libros distributum ediderat. At cum multa in eo desiderarentur, novam collectionem parari voluit Justinianus circa ann. 534. utens praecipue opera Triboniani, aliorumque jurisconsultorum: hine prodiit Corpus juris Civilis costans quatuor partibus: *Institutis*, *Digestis seu Pandectis*, *Codice*, et *Novellis*.

Instituta in quatuor libros distributa: primus post traditas notiones praevias, agit de *personis*, secundus de *rebus*; tertius de *obligationibus* ex contractibus, vel ex delictis ortis; quartus de *actionibus*. In his elementa continentur juris, quae concinne textum comprehendunt omnium legum.

Pandectae seu *Digesta* continent distinctam, et locupletissimam collectio-

CONCLUSIO SEXTA.

De Decreto Gratiani disseritur.

Gratianus, natione Tuscus, patria Clusinus, professione monacus Benedectinus (a) cui mens non erat simplicem collectionem canonum edere; (non enim desiderabatur), circa ann. 1150. opus lucubravit, quo, scientiae ope, sacri juris omnia capita redigeret, et ad usum disponeret ita, ut legibus ad verbum adductis comprobarentur; et discordantes qui viderentur canones, in lucem proferret, et interpretrationibus adjectis conciliaret. Inde ab ipso inscriptum primo *Concordia discordantium canonum*, quodque usu invalescente dictum fuit quasi per antonomasiam *Corpus decretorum*, vel simpliciter *Decretum* privata auctoritate editum sub Eugenio III. qui Bononiae professoribus legendum, atque interpretan-

nem decretorum, et responsorum, quae ex innumeris libris excerpta sunt, et quibus habetur totum jus tunc probatum, et receptum. Opus, quod dividitur in quinquaginta libros, et exinde in multos titulos, collocatis sub unoquoque fragmentis, quae ad rem pertinent. A compilatoribus tamen tot librorum varietas nihilominus ad septem partes reducta fuit. Harum una dicitur *Digestum infortiatum*, sive quod ab aliis vim accipiat, sive quod procuratoribus, aliisque jurisperitis emulumentorum causa sit frequentior. *Paratitla* vocantur indices, et argumenta, in quibus breviter indicatur summatim materia tituli, aut capitis alicujus.

Codex comprehendit delectum constitutionum imperialium in duodecim libris, et sub magna titulorum varietate. Justinianus primis imperii sui temporibus primam concinnaverat editionem codicis; inde novam editionem adornavit ob alias leges, quas huic inseruit, dictus proinde *Codex repetitae praelectionis*, qui ad nos pervenit, primo abrogato velut imperfecto, et in multis contradictorio Pandectis.

Novellas demum constitutiones emissas in corpus redegit Justinianus, quaeque *Novellae* vocantur, quia eas edidit post codicem suum. Harum prodiit, ipso promulgante, etiam editio latina, quae *Authentica* dicitur. Notandum tamen, quod cum citantur *authenticae*, plerumque non intelligantur illae; sed novellae in epitomen redactae ab Irnerio, quibus titulos quosdam Codicis inseruit; et sunt numero 168. Hae habent vim juris, in quantum cum suo fonte consonant.

Ex sequenti expositione facile erit videre huic corpori juris civilis respondere Corpus Juris Canonici. Digesto enim comparatur Decretum; Codici Decretales, Novellis Sextus, et sequentes collectiones. Sola vero Instituta Justiniani non habent in corpore juris Canonici aliquid, quod iisdem respondeat.

(a) In monasterio S. Felicis, tunc ordinis Camaldulensium, opus adornavit sub Eugenio III.

dum dedit (a). Patet quoque propositum fuisse Gratiano, opus pro jure Ecclesiastico condere, quod *Pandectis* seu *Digesto* in jure civili responderet; in multis enim secutus est eundem fere ordinem, et praesertim eamdem methodum. *Decretum* videtur praecipue ex Sacrae Scripturae locis conflatum; e canonibus Apostolorum; e conciliis plusquam centum, inter quae novem sunt Oecumenica; e decretalibus Pontificum tum veris, quas Dionysius collegerat, tum supposititiis Isidori; e sententiis Patrum, Auctorum Ecclesiasticorum prope trigintasex: praeterea e legibus civilibus, et Capitularibus Regum Francorum, rescriptis aliquorum Imperatorum, atque gestis Romanorum Pontificum, ex *libro Diurno* desumptis, et ex *Ordine Romano*.

Quamvis autem hoc opus Summis Pontificibus approbantibus, ad juris expositionem ubique, et in publicis disputationibus fuerit usitatum, illisque jubentibus emendatum, et editum, promulgatum tamen nunquam fuit, ut per se vim legis haberet (b).

Ergo in scholis praelectum, imo et in foro allegatum, con-

(a) Praecipuum medium ad fovendum ardorem animorum prorsus novum excitatum circa medium undecimum saeculum in scientiarum tractatione fuerunt Scholae, quae jam ab antiquioribus temporibus tum ad ecclesiasticas, tum ad humaniores scientias tradendas institutae huc usque non parum scientiarum culturam promoverunt. Eminebant prae caeteris Scholae, quae Parisiis, et Bononiae habebantur; in illas etenim urbes ex omnibus pene Europae partibus juvenes confluebant; qui in patriam reversi scientiam, quam erant adepti, qua scriptis, qua advocatorum, aut judicum munere fungentes ubique diffuderunt. Sic denique factum est, ut Scholae illae, quas Universitates nunc vocamus, juris scientiae quasi emporia efficerentur, atque opiniones, quae ibi erant receptae tanti momenti pro tota fere Europa essent, ut merito legum auctoritati, novam scholae auctoritatem accessisse dixeris.

(b) At opus aggressus impar viribus unius hominis etsi doctrina exculti, quod injuria temporum, defectus artis critices, elementa, quibus conflatum est, alia interpolata, supposititia alia, imperfectum reddidere; ut observat Antonius Augustinus; *de Emendatione Gratian.* Ad emendationem ejus etsi plurimi adlaborarunt privati homines; attamen quoniam reipublicae Christianae intererat, a Summis Pontificibus etiam demandata fuit correctio ejusdem viris lectissimis, quos ideo *Romanos Correctores* dixerunt. Hanc quidem sub Pio IV. inchoatam, sub Pio V. continuatam, ad finem perduxit Gregorius XIII. qui jussit ita retineri, *ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur*. Eo tamen sensu quod sola sit authentica, et pu-plica auctoritate praedita. Nec vero Correctorum Romanorum emendatio etsi acceptissima, non multa reliquit, quae emendatione adhuc indigeant; novis enim emendationibus, ac censuris egere scitissime inter alios monuit Bened. XIV. *l. 4. p. 2. de Serv. Dei B.* et recte; nam illorum cura versata est tantum in eo, ut scilicet genuinis Patrum, et Conciliorum testibus conformiorem suam editionem efficerent, et interdum annotarent ea, quae praecedunt, et subsequuntur.

sensu universali, unicum juris canonici corpus habitum, et Auctorem titulo *Magistri* decretorum insignitum voluerunt. Qui vero illud explicarunt, et qui Decretum ipsum praelegerunt, *baccellarii*, sunt appellati a baculo nempe *bacillo*, quo veluti quodam doctrinae haud vulgaris indicio donabantur: discipuli vero *canonistae*, *decretistae*, seu *decretalistae* audiebant.

Decretum in tres partes dividitur. Prima complectitur distinctiones 101. Unaquaeque distinctio plurima continet decreta seu sententias, et dividitur ideo in canones, vel, ut alii dicunt, in capita. Priores viginti, originem, auctoritatem, variasque species canonum efferunt ad apparatum generalem: reliquae de personis clericorum, eorumque distinctis dignitatibus, ordinationibus, officiis exhibent tractatum, qui vulgo dicitur *ordinandorum*.

Secunda pars tractat de judiciis seu causis, et de earumdem objecto: fingit itaque varias hypoteses, circa quas proponit quaestiones: ad illas solvendas canones hinc inde adducit, ad concordiam pro more suo revocans. Sicque causae dividuntur in quaestiones, quaestiones vero in capita. Causae, quas continet, sunt 36. Occasione tamen aliqua data dicendi de poenitentia, causae XXXIII. quaest. III. annexuit tractatum *de Poenitentia*: hic vero tractatus *de Poenitentia* postea subdivisus est in septem distinctiones.

Tertia pars inscribitur *de Consecratione*, et agit de rebus sacris, septem distinctiones praeferens; et quoniam in prima parte tractavit de ordinis Sacramento, in secunda de matrimonio, et poenitentia, in hac de caeteris rebus sacris loqui aggreditur (*a*).

In fine Decreti recensentur canones poenitentiales numero 47. in quibus pro gravioribus criminibus publicis statuitur certum tempus, et modus agendi poenitentiam: sed horum canonum rigor hoc tempore etsi antiquatus, non tamen inutile illorum studium reddit; idem enim est spiritus, qui Ecclesiam regit, si non idem modus semper sit regiminis ejusdem.

(*a*) Plura sunt in Gratiano capita, quorum inscriptioni additur vox *Palea*. De sensu ejus disputatur. Multi opinantur nomen esse Jurisconsulti, qui decreto Gratiani haec addidit; alii dicunt esse additiones parvifaciendas. Res levis momenti est.

CONCLUSIO SEPTIMA.

Quae compilationem spectant decretalium Gregorii IX. summatim enucleantur.

Frequentioribus constitutionibus, quibus ob Ecclesiae, et reipublicae mala opus fuit post Gratianum, et novis oecumenicorum conciliorum decretis adauctum fuit jus Sacrum. Ob maximam enim auctoritatem, qua Sedes Rom. pollebat, multae in dies decretales, alteriusque generis literae edebantur, et praesertim doctissimorum Pontificum Alexandri III., et Innocent. III. utriusque juris doctissimi. Cum ergo illarum numerus excrevisset, novae prodiere collectiones. Bernardus Circa, Papiensis Praepositus, inde Faventinus Episcopus sub nomine *Breviarii* edidit *extravagantium* collectionem ann. 1190. (*a*) inde Joannes Gallensis seu Vallensis aliam confecit ann. 1202. (*b*) item Bernardus Major Archid. Compostellanus tertiam conflavit (*c*). Quarta fuit incerti auctoris ex Innocentii III. decretalibus, et can. Concil. Lateranen. IV. conflata: quinta, cura Honorii III. complectitur decretales ejusdem, et haec auctoritate Sedis Apostolicae evulgata post Innocentianam fuit, et Bononiam missa, quarta collectio vocabatur.

Ex tot decretalium codicibus, et ex nonnullis sibi invicem adversis decretalibus orta confusio; hinc desiderium excitatum novi codicis, quo breve, et sibi per omnia cohaerens jus

(*a*) In illud tum ea, quae ex antiquioribus juris monumentis Gratiani diligentiam effugerant, tum RR. Pontificum decretales ab Alexandro III. ad Clementem III. usque recepit praeter canones Concilii Lateran. III. Collectio fuit haec ad instar Justinianei codicis compilata, cum quo in schola Bononiensi adhibita, ac *prima compilatio* dicta, quod prima extravagantium collectio esset.

(*b*) Haec Pontificum decretales ad Celestinum III. usque complectebatur, atque a schola recepta liber secundus Decretalium, seu secundae decretales nominabantur.

(*c*) Innoc. III. decreta, quae duodecim prioribus ipsius Pontificatus annis lata fuerunt, collegit; quod Romae ex monumentis hujus urbis archiviis extractis conflata est, *Romana* compilatio aliquando dicta fuit. Verum nullam auctoritatem accepit, nec in usum venit. Innocentius vero ipse Petro Beneventano suas decretales in unum corpus redigendi curam demandavit. Haec collectio prima est, quae Pontificis auctoritate prodiit; *tertia* earum, quae Bononiae agnoscebantur.

haberetur. Jussu ergo, et auctoritate Greg. IX. Papae, S. Raymundus de Pennafort Rotae auditor, et poenitentiarius compegit novam collectionem, quae fuit inscripta *Decretalium Compilatio Gregorii IX.*, et trium annorum spatio absoluta dicitur, quam evulgavit ann. 1230.

Etsi vero conflata sit haec collectio ex nonnullis Sacrae Scripturae, canonum Apostolorum, Patrum, et Synodorum sententiis ab Antiocheno ad Lateranensem IV usque, ex constitutionibus Pontificum a S. Greg. I. ad Greg. IX. atque eorumdem epistolis, necnon ex quinque compilationibus antea dictis, merito tamen ex *Decretalibus*, quae majorem partem constituunt, nomen recepit. Sicut Gratianus Digestum imitatus fuerat, ita Decretales manifeste respondent Codici Justinianeo; eadem ut plurimum servatur materiarum dispositio, eadem forma, eadem sententiarum aggeratio. Non omnes, et integras decretales continet compilatio ista, quia, ut resecaret superflua in ea, demandatum fuit Raymundo a Greg. Pontifice; at ille hoc munus perficiens simul permulta utilia ex integris decretalibus resecavit, praesertim factorum narrationem, nonnullas quoque particulas immutavit, et quasdam perutiles constitutiones omnino omisit. Unde non abs re erit quandoque ob pleniorem rei notitiam collectiones priores adire, quamvis emendatorius quoque labor iisdem decretalibus non defuit, cum praesertim ad calcem singulorum capitum eae partes sint restitutae, quae inopportune fuerant resecatae. Eae additiones, quae solent diverso charactere transcribi in ea, dicuntur *pars decisa*.

In quinque libros distribuuntur *Decretales*: libri vero in titulos dividuntur, quorum inscriptiones *Rubricae* dicuntur: singuli tituli in capita, et capita interdum in paragraphos (*a*). Objecta horum quinque librorum innuit versus:

Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.

Totam eamdem materiam Bernardus de Palma Glossator sequentibus versibus expressit.

(*a*) Non abs re erit monere, quod Rubrica sic dicta fuerit, quia olim saltem rubris exprimi solebat literis, et est duplex una titulorum, alia canonum, et capitulorum. In Decreto Gratiani neutra Rubrica habet vim juris, quia habent auctorem vi legislativa destitutum, et maxima ex parte rubricae decre-

Pars prior officia parat, Ecclesiaeque ministros.
Altera dat Testes, et coetera judiciorum.
Tertia de rebus, et vita Presbyterorum.
Quarta docet quales sint nexus Conjugiorum.
Quinta de vitiis, et poenis tractat rerum (a).

torum non sunt ipsius Auctoris, ut aliqui Doctores notant. Rubrica vero titulorum in aliis juris voluminibus si continet sensum seu orationem perfectam ex. gr. *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, obtinet auctoritatem legalem; non vero, si orationem perfectam non continet uti: *de constitut. de consuetud. de postulando. etc.* licet et istae in dubio habeant magnam auctoritatem interpretativam, et declarativam ex. gr. ex eo, quod c. *cum Monasterium de elect.* ponatur in tit. *de elect.* non *de Postulat.* recte infertur, quod in casu dicti capitis fuerit celebrata Electio, non Postulatio *Gl. in d. c. v.* postulantis. Et hinc dicitur rubrum explicare nigrum. Rubricae autem *capitulorum*, quae continent summam brevem materiae in textu subjecto comprehensae, atque ideo etiam *Summarium*, vel *Summaria* appellantur, vim juris non sortiuntur, nisi in quantum concordant cum textu subsequenti, adeoque doctrinales tantummodo sunt, quia additae non a Pontificibus, sed a variis Doctoribus, uti a Panormitan. etc. pro majore legentium utilitate.

(a) Cum tota collectio referatur ad judicia, liber primus agit *de iis, quae antecedunt judicium, et maxime de judicibus ipsis.* Subdividi vero potest in quatuor *Membra*. Primum est *de Fide*, quae omnis juris est fundamentum. Secundum est *de Fontibus juris, de Constitutionibus etc.* a tit. II. ad IV. inclusive. Tertium membrum est *de personis judicantium*, ubi agitur de viis ad jurisdictionem acquirendam, aut amittendam; *De ordinatione, et ordinatis.* De officiis singularum dignitatum ad usque tit. XXXIII. Quartum membrum agit de praeparatoriis ad judicia, *de restitutione in integrum* et de arbitris a tit. XXXIV. ad XLIII.

Liber secundus spectat ad ordinem judiciorum in materia *civili*, et in quatuor potest dividi membra. Primum membrum *de judiciis* in genere, et *de foro competenti*, tit. I. et II. Secundum complectitur, quae pertinent ad litis exordia usque ad tit. XVII. Tertium versatur circa litis *medium* ad causae scilicet disceptationem ad titul. XXVI. Quartum circa litis *finem* versatur, et consectaria usque ad tit. XXX.

Tertii vero libri objecta sunt bona sacra seu profana Cleri tum Saecularis tum Regularis, et in sex membra subdividi potest. De bonis internis seu virtutibus a tit. I. ad IV. in primo agitur. Secundum spectat bona externa, quae Ecclesiastica dicuntur, puta Dignitates, et Praebendae, et de modo dicit ea administrandi, vel adipiscendi, ad usque tit. XIV. Tertium agit de bonis *patrimonialibus vel quasi-patrimonialibus*, et variis contractibus, qui occasione illorum perficiuntur, item de juribus Clericorum in oblationes, decimas etc. ad titulum usque XXX. Quartum ad Regulares pertinet usque ad tit. XXXVII. Quinto loco veniunt quaedam genera subjectionum, quibus clerici, et Ecclesiae obstringuntur, ut jus *patronatus*, *census*, et procurationes ad tit. XXXIX. Denique sexto loco officia Clericorum erga laicos veniunt usque ad tit. L.

Totus liber quartus agit de matrimonio, et primo de sponsalibus, de futuro, et de praesenti, duobus titulis: secundo de impedimentis ad tit. usque XVIII. Tertio de divortio, et consectariis ejus usque ad tit. XXI.

In libro quinto de judiciis criminalibus dicitur, et quatuor membra habet.

Haec collectio publica auctoritate recepta fuit: patetque ex Constitut. *Rex pacificus* ipsius Greg. IX. Illius usus inde tamquam jus universale fuit et in scholis, et in foro.

CONCLUSIO OCTAVA.

Sextus Decretalium, Clementinae, et Extravagantes enucleantur.

Constitutiones Pontificum post Greg. IX. in diem proditae statim singulis, ad quos pertinebant, decretalium titulis adnectabantur, quo tempore cessatum est a novis collectionibus. Sed Bonifacius VIII. circa ann. 1300. edi voluit novum codicem sub inscriptione *sexti* decretalium, eo quod quinque libris Greg. IX. quasi supplementum adderetur, et jussit eum afferri in judiciis, et scholis etc. Laudatus Summus Pontifex ex Bulla, quae praefigitur, refert, se commisisse doctissimis viris hanc collectionem, quae ex canonibus duorum conciliorum generalium Lugdunensium, quorum alterum sub. Innocentio IV., alterum sub Gregorio X. celebratum fuit, et ex aliorum Pontificum post Gregorium IX. necnon ex ipsius Bonifacii decretalibus fuit adornata. Eam vere divisit item in quinque libros, volens servare eosdem titulos, eamdemque methodum, juxta quam jus digesserat Gregorius. Respondet hic *sextus* aliquo modo Novellis Justiniani; quod et dicendum de collectionibus sequentibus.

Post sextum decretalium jus canonicum magis se explicuit, et Clemens V. Bonifacii successor novum codicem jussit parari in quinque etiam libros divisum, quem compositum sub nomine *septimi* Decretalium vulgare destinaverat ipsius auctoritate; at morte praeventus fuit. A Joanne vero XXII. sub hoc titulo promulgatus fuit: *Constitutiones Clementis Papae V. in Concilio Viennensi editae*, at vulgo *Clementinae* dicuntur, ac ordinem eumdem Decretalium sequuntur (a).

Ad institutionem judicii criminalis pertinet primum duobus tit. De criminibus agit secundum, et tertium usque ad tit. XXXIII. Quartum spectat ad poenas ecclesiasticas a tit. XXXVII. ad XXXIX. Quasi per appendicem denique a tit. XL. *de Verborum significatione*, et tit. XLI. de Regulis juris agunt Decretales.

(a) Probabile tamen est multas constitutiones extra illud concilium emissas fuisse; et ex vulgatae glossae narratione canones, et Decretales huic codici inserti videntur etiam interpolati, et mutati ex ipsius Clementis mandato.

Coeterae omnes constitutiones, quae corpori juris postea adjectae sunt, *Extravagantes* adpellantur, ultima juris communis pars, quod veluti errarent, atque a coeteris compilationibus exularent; inde magnam ob id auctoritatem adeptae sunt duae collectiones, quarum una titulum praefert: *Extravagantes viginti Joannis XII.* et altera: *Extravagantes communes*, etsi ambae non authenticae, nec ad celebres scholas directae. Primae sunt editae numero viginti sub ipso Joann. secundae a Doctore privato concinnatae circa ann. 1584. constitutiones continent Pontificum ab an. 1262. ad usque 1483. quo ultimam decretalem edidit Sixtus IV. Habent itidem quinque libros, et communes cum decretalibus titulos, licet pauciores. Ambae collectiones morem Decretalium servant in quinque libros divisae (a).

APPENDIX.

De Glossis, sive Commentariis, et modis, quibus citantur vulgo diversae partes Corporis juris.

Glossa est expositio literae, ejus sensum ex ipso contextu enucleans, et differt stricte a Commentariis, quod non tam litterae cujusque phrasis attendit, quam totius libri expositioni. Corpori juris Canonici adjuncta fuit Glossa seu interpretatio perpetua e juris canonici Doctorum responsis concinnata. Sicut enim Glossis illustratum fuit jus romanum a juris civilis peritis; ita Glossae, et commentarii in singulos libros corporis juris sacri opera multorum sunt exarati, quos omnes vicit vir celebris Joan-

(a) Quoniam Pontifices canonica vi decretales, Sextum decretalium, et Clementinas auxere, et in scholis, ac foris valere jusserunt; extravagantes autem quamvis eâ vi, origine sua destitutae fuissent illa tamen per receptionem, et usum conciliata eisdem fuit; ideo illae loco juris communis omnes habitae sunt, quibus Ecclesiastica regitur disciplina. Tantaque fuit ipsis auctoritas ut, neglectis juris civilis apicibus, canones ac decretales ex illis proditae ad peccati occasionem tollendam, aut ad jus aequius inducendum supra legem ipsam civilem vim habuerint, ut inter alia ex praescriptionis exemplo, et regula practicorum constât, scilicet *servandum jus canonicum, quoties agitur de peccato vitando*. Hinc male et inepte senserunt cum de Ferrariis in sua *praxi aurea* saeculo XIV. exeunte Boehmerus *jur. Eccl.* l. 1. tit. 2. et ejusdem furfuris alii blaterantes canones, et Pontificum decretales, quibus sive ad evitanda peccata, sive ad jus aequum inducendum leges civiles corriguntur, veluti dominatum sapientes, ad evertendam Principum jurisdictionem editas fuisse.

nes Semeca dictus *Teutonicus* ex ordine S. Dominici, cujus opus *Glossae Communis* meruit nomen. Commentaria celebriora ediderunt super *Sextum* Archidiaconus circa XIV. saeculum scilicet Guido de Bayo: Hostiensis scilicet Henricus Segusiensis, Episcopus Hostiensis : Abbas Siculus ab Episcopali Sede dictus *Panormitanus* : Nicolaus Tedeschus e vivis sublatus ann. 1417. etc. Vide Doujat. *Praenotiones canonicae*.

Quoad modum vero citationum diversarum partium corporis juris, quoniam Decretum Gratiani divisum est in tres partes, quarum prima complectitur 101. distinctiones, uti diximus, quae continent canones diversos sive capita (a), animadvertendum est, quod ipsae distinctiones numeris laudantur, atque citantur; per primam vero vocem canones sive capita, aut per numerum, qui competit illis intra ipsam distinctionem, vel per utrumque simul (b). Sit exemplum: *Jus Gentium* D. 1. vel can. 9. D. 1. vel can. *Jus gentium* 9. D. 1.

Secunda pars in causas 36. est tributa, et sub unaquaque earum plures sunt quaestiones, in quibus singulis plures canones, sive capita comprehenduntur. In hac laudatur numerus causae, et quaestionis, praeterea numerus, vel priora canonis verba, aut utrumque; quandoque etiam §. allegatur; plerumque vero sine expressa mentione *causae*, et *quaestionis*: puta: can. *si justus* 30. c. 1. q. 1.; vel can. *si justus* 1. q.; vel 1. q. 1. can. *si justus* §. quia per illum (c) vel c. *Sicut* 11. 1.

Et quia Gratianus attexuit causae XXXIII. q. III. tractatum *de poenitentia*, qui in distinctiones partitus est; ne canones hujus cum canonibus primae partis confundantur, qui similiter subjiciuntur distinctionibus, additur *de poenitentia*, et causa nunquam citatur: puta: can. *homicid*. 24. d. 1. *de poenitentia*.

Tertia pars inscribitur *de consecratione*, ut canones ejus ab aliis distinguantur: tractatum enim habet de consecratione,

(a) Canones indifferenter dicuntur, et capita, variae auctoritates, quae passim in juris corpore continentur.

(b) Antiqua non est haec numerorum distinctio: ideo veteres sine ea indicatione allegant juris loca.

(c) Vocabulum *causa* saepissime scripto non exprimitur, licet pronuntiari debeat: ut autem scias num cifra indicet numerum causae, an canonis, videndum, utrum statim sequatur litera q. ita enim q. causam significat ex. gr. 2. q. 3. c. *Euphemium*.

et divisa est item per distinctiones. Hinc laudatur hoc modo can. *tabernaculum* dist. 1. *de consecratione*.

Decretalium collectio divisa est in V. libros; libri autem divisi sunt in plures titulos, quorum singuli plura capita continent, et capita si longiora sint, in §. tribuuntur. Sic igitur allegantur: c. *Si duobus*, *de appell.*, vel simplicius: *Si duobus de appellationibus*, et ita indicatur caput septimum tituli XXVII. lib. II. (a).

Aliqui verbum *extra*, aut ejus loco littera X interjicere solent: puta: cap. 7. *extra* de elect. aut cap. 1. X de elect. ut nimirum pateat caput illud esse extra Gratiani decretum; ast minus frequens est haec ratio allegandi.

Cum vero ex dictis, ad calcem capitum eae partes restitutae fuerint, quas non opportune S. Raymundus resecaverat, eaedem sic allegantur: *infra in parte decisa*. Saepe autem eas partes decisas intra ipsum textum restituunt, qui canones allegant.

Sextus, et *Clementinae* quia partitae sunt eodem modo ac Decretales, laudantur sicut illae; Sextus tamen cum additamento *in 6*. vel in VI. vel aliquando apud Bonifacium; Clementinis vero additur *Clem.* vel *in Clement*.

Extravagantibus Joann. XXII. uno libro comprehensis additur *Extrav. Joann. XXII*. Extravagantes autem communes in quinque etiam libros partitae non decretales unius Pontificis sicut illae Joan. XXII. continent, sed ab Urb. VIII. ad Sixtum IV. et laudantur addendo verba *extrav. comm.* vel *inter comm.*

(a) Usus invaluit rarissime citandi librum sive numerum tituli, sed tantum rubricam tituli, quae in exemplo allato est *de Appellation*. Inde qui volunt ad fontes recurrere, prae oculis habeant tabulam titulorum.

CAPUT III.

DE JURE NOVISSIMO.

CONCLUSIO PRIMA.

Recensitis partibus novissimi juris sacri, eaedem expenduntur.

Ab Avenionis schismate ann. 1378. longo tempore Ecclesia Dei vexata est, et sequiore aevo magis in dies dilacerata, ejusque disciplina lapsa. Studio partium, ad quas augendas intenderunt dissidentes inter sese Pontifices, vitia suorum dissimularunt. Privilegiis, quibus nomine libertatum abutebantur Principes simul, et Praesules, canonum vim enervaverunt, atque jugum regiminis sacri ferme in ludibrium verterunt. Corruptis inde, et depravatis clericorum, et saecularium moribus dum Ecclesia laborabat, Martinus Lutherus in scenam prodiit ineunte fere saec. XVI. qui per speciem repurgandae Ecclesiae, diram tempestatem in ea excitavit, quæ a communione ipsius Ecclesiae, magnam Germaniae partem, aliasque regiones septemtrionales avulsit, atque alias provincias contagione eadem contaminavit. At Deus, qui voluit e malis bona facere potius, quam mala nulla esse permittere, ut Augustinus monuit, id in Ecclesiae utilitatem vertit, quum tot tantisque excitis rumoribus, omnium fere animi non ad fidei tantum veritatem firmandam, sed et ad morum, atque Ecclesiae disciplinae emendationem converterentur. Novae inde formae negotiorum emergentes, nova remedia legum, pristinis adjuncta postulabant. Haec remedia *Constitutionibus, et Conciliis*, *Regulis Cancellariae Apostolicae*, *Congregationibus Cardinalium* non solum, sed et *Concordatis*, quibus totius disciplinae, et morum reformationem contineri facile dixeris, sacrum Ecclesiae regimen sibi comparanda curavit. Ex his omnibus editis post evulgatos libros corporis juris canonici, *jus canonicum novissimum* constare patet, quae articulatim expendere juvat.

Art. I.

De Constitutionibus, sive Bullis.

Constitutiones varias editas a Pontificibus sive bullas, jus novissimum comprehendit, quae numero longe majores vincunt decretales receptis codicibus concinnatas.

Decretalium ad jus hoc novissimum pertinentium collectionem plures adornarunt, nulla tamen publica Ecclesiae auctoritate munitam. Revera *Septimum* librum Decretalium cogitaverat Greg. XIII. in lucem edere, qui quasi quinque libris Gregorianis, et sexto Bonifacii VIII. accederet; at e vivis sublatus infectum reliquit opus. Sixtus V. prosequi illud conatus est, sed sub Clemente VIII. absolutum fuit inscripto titulo *Septimi* Decretalium Clementis VIII. Verum monente Gagliardo scimus suppressam penitus fuisse publicationem voluminis, et hoc vix lucem vidisse, cum clam fuit sublatum; propterea quod inserta in eo fuerint decreta non solum Concilii Florentini, sed etiam Tridentini, cujus interpretationem omnibus sub censura vetuerat Pius IV. Itaque interpretibus daretur occasio scribendi glossas, et commentarios contra Pianam constitutionem suppressa est (1).

Sub idem fere tempus vero opera Petri Matthaei et *liber Septimus Decretalium* prodiit, decretales continens a Sixto IV. ad V. ejusdem nominis, et ad formam antecedentium in quinque libros divisus; sed in titulorum ordine ab anterioribus collectionibus recedit, et novos magno numero titulos exhibet, qui a bibliopolis Lugdunensibus ann. 1661. editus fuit post extravagantes communes. Nec etiam defuere collectiones Constitutionum, dictae *Bullarium*, quia bullae deinceps constitutiones nuncupatae fuerunt. Laurentius Cherubinus IC. Romanus primitus ann. 1586. Bullarium composuit, quo bullae ordine temporum a S. Leone M. ad usque Sixtum V. exhibentur, quod adauctum decretalibus, quas pater omiserat, et quae post obitum ejus prodierant, et praesertim Pauli V., Greg. XV., Urbani VIII. usque ad Innoc. X. Angelus Cherubinus ejus filius monachus Cisterciensis absolvit an. 1634. Hoc *Bullarium* nominant *Magnum Romanum* in 4. Tomos partitum, quod curis aliorum ad nostra fere tempora perductum est. Hieronymus

(1) *Vide Bullam Pii IV.* Benedictus Deus *in calce Concilii Tridentini.*

Mainarda insecutis temporibus aliud inter alios adornavit *Bullarium Romanum* in 14. Tomos divisum, quod continet Bullas a S. Leone M. usque ad Clementem XII. Aliud habemus Bullarium continens Clementis XI. Bullas; sed praestat illud seorsum editum, et proprium Bened. XIV. in quatuor tomos divisum. Adest etiam *Pontificiarum Constitutionum in Bullario Magno Romano contentarum, et aliunde sumptarum Epitome* comprehendens etiam bullas Clementis XIII. et XIV. ac Pii VI. adornata a Stephano Quaranta, et ab Aloysio Guerra. Collectio demum constitutionum, literarum in forma Brevium, epistolarum ad viros Principes, et alios, atque allocutionum reliquorum Pontificum usque ad regnantem Pium IX. quem Deus diu servet incolumem et Ecclesiae, et nostrum omnium bono, jam ab Andrea Advocato Barberi Curiae Capitolii Collateralis suscepta est, et properat ad finem.

ART. II.

De Conciliis.

Ob idem saeculi XIV. schisma funestum, quod Occidentis Ecclesiam per longum tempus dilaceravit, uti nuper diximus, abusus multi, et arbitraria agendi ratio in Ecclesiae disciplina obtinuit. Hinc Pisanum Concilium, et Constantiense ad ipsius reformationem decreta proposuerant, quae in sequentibus Conciliis executioni demandari debebant. Quapropter ab Eugenio IV. Basileae Concilium convocatum fuit, sed hoc post primam sessionem ab eo Pontifice male descivit, quod etsi ab eodem Eugenio post XV. sessionem legitimum agnitum fuit, ob novas tamen lites inibi ortas Ferrariam post XXV. sessionem translatum est, ibique ann. 1438. novum apertum fuit; quodque Florentiae dein an. 1439. continuatum, ab universa Ecclesia verum, et Oecumenicum receptum fuit. Schismaticae Basileensis Synodi interim sessionibus persistentibus, Constantiensia decreta de Oecumenicorum Conciliorum auctoritate supra Pontificem innovata ab ea fuerunt, et exauctorato Eugenio, Sabaudiae Dux Amadeus sub nomine Felicis V. Pontifex creatus fuit. Nihilominus Eugenio Florentiae adlaborante de uniendis Graecis cum Ecclesia, et re feliciter perfecta, Basileense Concilium ipsum ann. 1443. dimissum est, et Pontificatum Felix voluntarie deposuit. Circa finem hujus periodi Conci-

lium Oecumenicum Lateranense V. celebratum fuit ab ann. 1511. ad 1518. Denique ea, quae tum superioribus Conciliis de reformandis pluribus disciplinae capitibus, tum a particularibus nationibus jam agitata fuerant, denuo in Concilio Tridentino ad examen revocata fuere, quod quidem malorum omnium, a quibus Ecclesia dilaniabatur opera praesertim impii Lutheri, radicibus intime perspectis, decreta edidit saluberrima, ut in illis totius disciplinae, et morum reformatio contineatur. Hoc igitur Concilium Tridentinum, quod ann. 1545. inchoatum, et 1563. finitum, constat sessionibus XXV. Habet unaquaeque fere sessio partes duas, quarum prima comprehendit capita, et canones, quibus damnantur haereses, et catholicum dogma constituitur; altera, quae inscribitur *de reformatione* habet decreta, quae disciplinam respiciunt. Sessio XIV. post canones XII. de Sacramento matrimonii, continet decretum de reformatione matrimonii, quod in decem capita tributum est; deinceps capita viginti et unum decreti de reformatione generatim. Sessio autem XXV. praeter alia decreta, et reformationis capita, complectitur decretum de Regularibus, et Monialibus, quod est in duo supra viginti capita partitum.

Hoc Concilium legitimum, et Oecumenicum ab omnibus orthodoxis habendum, colendum, et suscipiendum esse prae omnibus Natalis Alexander ostendit (1). Quod quidem damnando novas haereses, fidem firmavit, disciplinam, et mores restaurando reformationem sequioris aevi invexit, jusque novissimum, ac universale induxit (*a*).

Post hoc Concilium plures ad disciplinae instaurationem, et decretorum Tridentini executionem habitae sunt Synodi provinciales, pertinentes ad hoc novissimum jus; inter eas eminent sex Mediolanenses per S. Carolum, et binae Neapolitanae per Arch. Carafam ann. 1576., et Cantelmum ann. 1699. coactae. Tum plures hic Neapoli Dioecesanae etiam celebratae, quarum Syllabum chronologicum subnectimus.

I. Sub Alphonso Cardinali Carafa ann. 1565.

II. Sub Mario Carafa ann. 1567.

(*a*) Quid ad reformandam Ecclesiae disciplinam Concilii Trid. decreta valeant, vel unus S. Carolus Arch. Mediolanensis demonstravit, qui toto vitae tempore in hoc solum incumbuit, ut ejusdem Concilii decreta in sua provincia rite, sancteque observarentur.

(1) *Hist. Eccl. T. 9. diss. 12. art. 16.*

III. Sub Hannibale de Capua ann. 1595.
IV. Sub Octavio Card. Acquaviva ann. 1607.
V. Sub eodem ann. 1611.
VI. Sub eodem ann. 1612.
VII. Sub Decio Card. Carafa ann. 1619.
VIII. Sub eodem ann. 1622.
IX. Sub eodem ann. 1623.
X. Sub Francisco Card. Buoncompagno ann. 1627.
XI. Sub eodem ann. 1628.
XII. Sub eodem ann. 1632.
XIII. Sub Ascanio Card. Filomarino ann. 1642.
XIV. Sub eodem ann. 1644.
XV. Sub eodem ann. 1646.
XVI. Sub eodem ann. 1649.
XVII. Sub eodem ann. 1652.
XVIII. Sub eodem ann. 1658.
XIX. Sub eodem ann. 1662.
XX. Sub Innico Card. Caracciolo ann. 1669.
XXI. Sub eodem ann. 1672.
XXII. Sub eodem ann. 1676.
XXIII. Sub eodem ann. 1680.
XXIV. Sub Jacobo Cantelmo ann. 1694.
XXV. Sub Francisco Card. Pignatello ann. 1725.

ART. III.

De Regulis Cancellariae Apostolicae.

Regulae Cancellariae Apostolicae, quae Edictis Praetorum Romanorum comparari possunt (*a*), sunt illae, quae officiales ad expediendas literas in Cancellaria secundum supplicantium varias formas instituunt, reservationes beneficiorum continent, et res judiciales ordinant. Etsi enim negotia hujus Cancellariae olim vivae vocis oraculo, et stylo seu more scribendi usitato regebantur, hae regulae tamen invectae fuerunt, et

(*a*) Ad instar edicti feruntur, et ideo non legis perpetuae vim habent; extincto enim Pontifice expirant, et a successore suae adsumptionis die probatae, et in Cancellaria publicatae reviviscunt. Itaque auctoritatem habent ad tempus, ut edicta Praetorum apud Romanos.

aliquae consignatae scripto a Joanne XXII. saeculo XIV., communi sensu (a); deinde a Nicolao V., ejusque successoribus auctae, ac commutatae; tandem ab Innoc. X. inclusae LXXI. titulis, evulgatae fuerunt.

Art. IV.

De Concordatis.

Ipso eodem infausto schismate, de quo supra dictum fuit, perturbatis Ecclesiae rebus, tum Praesules, tum Principes a Pontificibus magis in dies alienati, propria auctoritate suarum regionum Ecclesiis consulere tentarunt, ex quo factum est, ut earum quaelibet, tum antiquorum privilegiorum, quibus gaudebat, sive, uti vocabantur, libertatum confirmationem, tum novorum concessionem postularet. Jam enim antea etsi in pluribus capitibus disciplinae diversis utebantur juribus, et privilegiis legitima consuetudine; aut Sedis Apostolicae concessione munitis, tamen quæ abusae essent iisdem, non defuere. At de hac re magno ardore in Constantiensi Concilio sermo institutus, disceptatumque fuit, illoque ad finem perducto, Martinus V. Pontifex electus cum Anglis, Germanis, et Gallis separatim propria inivit pacta, quae hic primum *Concordata* appellata sunt(1). His vero Concordatis, seu quibusdam capitulis inter Pontifices Romanos, et Reges, jus idem novissimum constare etiam patet; etenim plures leges habentur ex illis, pluresque pacis conventiones initae, quibus obviam ivere Pontifices perturbationibus, quas proximioribus hisce praesertim saeculis passa est Ecclesia: ut sunt Capitularia Regni Francorum, edicta Caroli Magni, Ludovici Pii, et Lotharii Impp., quibus accesserunt alia Caroli Calvi, a Legatis Pontificiis adprobata, quae non modo in Gallia, sed et in Italia vim legis habuerunt. Alia in aliis regnis condita sunt Concordata, quae nostra non interest expendere. Attamen municipalia nostra exquirere non praeteribimus, cum deinceps de vicissitudinibus canonum pro diversitate statuum Ecclesiarum erit nobis dicendum.

(a) Muratorius (*lib. 1. antiq. ital. medii aevi dissert. 12. col. 708.*) testatur inspexisse in ms. codice regulas ab Honor. III. traditas saecul. XIII. notariis, et scriptoribus Cancellariae Apostolicae.

(1) *Confer* Mansi *conc. tom. 27. col. 1184., ubi haec pacta habentur.*

ART. V.

De Sacris Cardinalium Congregationibus generatim spectatis, earumque auctoritate.

Sacrae Congregationes sunt quidam coetus, sive collegia quodammodo Cardinalium per Pontifices instituta ad certa aliqua negotia dirigenda, discutienda, quin et terminanda, atque ad judicium de illis etiam ferendum, speciem aliquam tribunalis referentia; ideoque et suos officiales, et inferiores ministros singulae habere solent. Partem ergo recte diximus juris novissimi Congregationes Cardinalium, eo vel magis quod definitiones earum vim magnam habent, et, ubi consulto Pontifice feruntur, legem constituunt (1). Illis quidem utitur Summus Pontifex (cujus est primatus jurisdictionis in universum orbem), ut Romae inundantes causas totius orbis ad fidem, ad mores, et ad consectaria quamplurima disciplinae spectantes, cognoscant, discutiant, atque dirimant, ne in administratione universalis Ecclesiae sine consilio, et adjutorio, atque justo serius provideat. Antea quidem ob hoc ipsum ad saeculum octavum usque, cogebant Pontifices Concilia, quae nationalia vocabantur, Italicorum nimirum Episcoporum, quibus etiam presbyteri Romani Cardinales intererant; presbyterium enim constituebant, cujus opera Romani Pontifices utebantur; at deinceps cum talia Concilia inopportuna viderentur, tota res ad Cardinalium senatum redacta est. Praestat audire Eugenium IV. de iisdem sic scribentem ad Arch. Cantuariae (2) « Quis non videat Cardinalatus dignitatem archiepi-
» scopali esse majorem, quia cum ista privatae unius patriae
» praesit utilitati, illa publicae totius populi Christiani? Nam
» sicut super cardinem volvitur domus ostium, ita super Car-
» dinalium officium Sedes Apostolica totius Ecclesiae ostium,
» quiescit, et sustentatur ».

Verum de juribus harum Congregationum pleniore calamo disseremus, cum mox de unaquaque redibit sermo; satis superque nunc sit monere, quod etsi sacrarum congrega-

(1) *Vide Bullam* Immensa *117. Sixti V. in Bullar. Magn. 4.*
(2) *Bulla ann. 1439.*

tionum auctoritas nec levis sit apud Gallos ipsos, declarationes tamen illarum pro casibus particularibus, pro quibus fiunt, non secus ac leges, obligare communiter DD. docent. Pro similibus vero, num eamdem vim legis habeant, non una est apud omnes sententia. Qui affirmant, argumentum ducunt ex Bulla Sixti V., qua potestatem fecit Cardinalibus declarandi. Subdit tamen Fagnanus cum Barbosa apud Croix (1) necessarium esse, quod in ipsa declaratione munita Sigillo, et subscriptione Eminentiss. Cardinalis Praefecti exprimatur, eam fuisse promulgatam, aut saltem latam mandato Summi Pontificis, aut saltem Pontifice consulto: citata etenim Bulla dicitur: *interpretandi facultatem (Nobis autem consultis)*, impertimur. Coeterum ex S. Ligorio cum aliis dici potest de declarationibus Sacrae Congregationis Concilii, sicut de declarationibus Pontificis, quod scilicet illae declarationes, etsi solemniter promulgatae non sint, ex usu tamen, et consensu Ecclesiae a pluribus annis habentur sufficienter promulgatae per Orbem Christianum; ipsaeque satis obligant omnes ad earum observantiam. Qui negant, magni ponderis tamen semper illas esse existimant, et tantum obligare universe tenent, cum editae sint non solum Papa consulto, et mandante, sed et mandato ejus speciali solemniter promulgatae; ita ut praecipiat Pontifex ab omnibus illas observari; alioquin videtur loqui ut Praeses Congregationis illius, non ut Caput Ecclesiae, et Legislator. Saltem in dubio an vim legis habeant, necne, sic concludit Layman (2): « Pendet quaestio » haec ex mente Pontificis, potestatem ipsis *(Cardinalibus)* » tribuentis. Interim praesumendum non est habere vim legis » praesertim cum authentice non promulgentur (a) ».

(a) Subnectere heic libet, quod nonnulli DD. de hac re loquentes distinguant declarationes comprehensivas, in quibus sensus declaratus a verborum propria, et usu recepta significatione non recedit; et extensivas, si nempe illam egrediantur, et ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent etc. Extensivas legis auctoritatem habere negant, nisi fiant ex speciali mandato Papae, et legitime promulgentur. Comprehensivae vero vim legis habent, dummodo Papa consulto factae, et a Cardinale praefecto, et e Secretario subscriptae, et consueto ipsius Congregationis sigillo munitae sunt.

(1) *N. 374.*

(2) *L. 1. tr. 4. c. VII. §. 7. in fin.*

CAPUT IV.

DE CONGREGATIONIBUS CARDINALIUM SPECIATIM CONSIDERATIS.

Cum negotiorum gravitas, et multitudo in dies magis ac magis Romam devolverentur, solusque Pontifex omnibus satisfacere in Consistorio semper non posset, sicque Cardinales omnes simul convocare continuo esset impossibile, summa ideo prudentia factum videtur, ut rerum peragendarum moles etiam in varios, ac inter se distinctos conventus (Congregationes) aequa lance divideretur, et juxta cujusque rei indigentiam assignaretur; ita Cardinales non in Consistorio solum simul cum Pontifice, sed distinctis Congregationibus operam praestant suam, et cum non omnes omnibus interveniant, partiti oneris partem levius ferunt, ac diligentius expediunt; Pontificem tum denique commodius consulunt, cum rei suprema manus est imponenda. Ex his facile quisque perspicit Romanum Pontificem Cardinalium opera uti, non quod eorum assensu indigeat, sed ut facilius, citiusque negotia expediantur. Imo ex Bullis et Eugenii IV., et aliorum Pontificum, argumenta, quibus dignitas illorum adstruitur, in hoc unum praecipue refundi patet, quod scilicet ipsorum consilio, et opera, negotia non tantum Romanae Ecclesiae, sed universalis expediantur; ipsique non parvas in hisce partes habeant.

Congregationes Cardinalium aliae dicuntur extra ordinem, et per Pontificem particulariter pro aliquibus negotiis ordinari solent, ac cessant negotiis absolutis: aliae vero jampridem a Pontificibus erectae sunt, et statum stabilem habentes dicuntur ordinariae. Hae autem vel explent ea, quae Pontifici incumbunt ut Episcopo Urbis particulari, uti est Congregatio *Visitationis Apostolicae*; vel bonum status Ecclesiastici temporale respiciunt, quales sunt Congregationes *pro consultationibus negotiorum status Ecclesiastici*; quæ vulgo *consulta* dicitur; pro curandis viis, aquis, et pontibus, item *congregatio boni regiminis*, et similibus; de quibus nobis non est disserendum: vel circa regimen versantur universalis Ecclesiae, quae nimirum praecipuae sunt, et dirigunt, atque expediunt ea negotia, quae ad Pontificem, et Curiam Romanam, ex omnibus Orbis Provinciis undique deferuntur. Hae vero sunt Congregatio inquisitionis, indicis, interpretationis decretorum Concilii,

negotiorum Episcoporum, et Regularium, rituum, indulgentiarum, et reliquiarum. Has, quantum sat erit, expendemus distinctis conclusionibus, at primum de ipso Consistorio.

CONCLUSIO PRIMA.

Consistorium distinguitur, ejusque praecipua negotia designantur.

Cardinalium consessio in sacro Palatio per modum senatus dicitur *Consistorium* (a). Duplex distinguitur aliud ordinarium, in quo soli Cardinales interveniunt, et fit in forma minus solemni, pro negotiis tractandis, soletque *secretum* dici: aliud extra ordinem, magisque solemne, quod dicitur etiam *publicum*, cui praeter Cardinales, Principum Nuntii, viri nobiles, ac Praelati, Papae praesidenti assistunt (b). Congregatis omnibus S. Pontifex praestat *auricularem audientiam* super negotiis Cardinalium, Principum, aliorumve etc. Deinde ceteris eductis, solisque Cardinalibus remanentibus, tractantur negotia *Consistorialia*, quae forensem, et contentiosam formam non habent, sed solam *gratiosam*, vel *politicam*. Illorum primum locum obtinet novorum Cardinalium creatio, deinde provisio Ecclesiarum Cathedralium, quae vacant, vel Coadjutoris cum futurae successionis jure concessio; item provisio Monasteriorum, quorum Abbates in Consistorio publicantur (c); erectiones cathedralium cum disjunctione territorii, et Ecclesiarum uniones; ad haec dimissio sive libera, sive per translationem alicujus Ecclesiae, vel monasterii consistorialis etc. Caeterum ut negotia consistorialia praeparentur, et praesertim quando controversiam res pati posset, instituta fuit *Congregatio Concistorialis*, sive *Consistorii consultrix*, quae etiam in forma mere contentiosa agit, auditis partibus opponentibus (si quae occurrunt), cum hoc examen ob majestatem consistorii, ait de Luca, exulavit ab eo.

(a) *Consistorium* dicitur quivis locus, ubi consistitur: strictiore appellatione *Consistorium* veteres dixere locum, in quo Princeps de rebus publicis consultat, ac deliberat cum suis Consistorianis. *Gothofredus in notis ad l. 3. Cod. de officio omnium judicum l. 1. tit. 10.*

(b) Ter in hebdomada hoc Consistorium solemne solitum erat haberi tempore Innocent. III. Postea ad Papae beneplacitum, prout urgent negotia.

(c) Monasteria consistorialia inde dicta; scilicet quorum provisiones a Pontificibus non datur, nisi de consilio Cardinalium, et *consistorialiter*.

CONCLUSIO SECUNDA.

De Sanctae Inquisitionis Congregatione disseritur.

Fides, sine qua impossibile est placere Deo, totius spiritualis aedificii fundamentum est: illius propugnaculum firmissimum est tribunal S. Inquisitionis contra haereticam pravitatem, quod dicitur etiam S. Officium. Ex quo mirum esse non debet, si contra hoc sacri regiminis objectum, non in minimis habendum, Haeretici, ac maleferiati homines linguas acuerint suas (a). Ast hos aliis refellendos relinquentes, hujus tribunalis originem, progressum, et partes heic tantum expendemus.

Inquisitionis itaque Tribunal saeculo XIII. incoepit (b). Innocentius III. etenim primum aliquos monachos fidei inquisitores constituit contra haeresim Albigensium, tunc grassantem Tolosae: hisce autem se junxerunt Episcopus Oxomensis, et S. Dominicus cum aliquot sociis, qui sic fundamenta sui Ordinis praeclarissimi jecit, ab Honorio III. inde confirmati. Hi fidei inquisitores simul, et praedicatores quaquaversus discurrentes, haereticos praesertim insectati sunt, in auxilium Episcoporum, quibus ipse Innocentius et munus inquirendi confirmavit in Ecclesiis, et Dioecesibus eorum, simul injungens, ut illas, si suspectas haberent, bis aut semel in anno per seipsos, vel alios idoneos visitassent. Quod et innovatum per S. Concil. Trid. fuit (1), quoad munus, officiumque Episcoporum in visitanda dioecesi, necnon quoad *scopum* hujus visitationis.

(a) Nostrum heic est consilium simpliciter ea enucleare quae hanc S. Congregationem spectant, ut non solum illa intelligantur, sed ut per sese non obscuris, et minime dubiis argumentis pateat vel studio declinandi vim sacri regiminis haereticos, vel ambiguitate ductos aliquot catholicorum, vel odio excitos infestos S. Sedis hostes tribuisse ei notam abusus, et illegalitatis. Omnia autem, quae contra hos omnes faciunt, abunde apud DD. legi possunt qui hoc argumentum pertractarunt, et praesertim Le Maistre *Lettere sull' inquisizione di Spagna.*

(b) Nec ideo novitate donatum; et sane antequam institutum esset, Episcopi pro munere suo inquisitores erant fidei; sive jus erat eis inquirendi in haereticos, aut de haeresi suspectos. Quod jus praesertim cum sit Romani Pontificis, vi primatus sui potuit ipse Episcoporum hoc munus regere erectione hujus tribunalis sine abusus nota; et eo vel magis, quod nec omnino tollitur ab Episcopis inquisitoris officium, ipso vigente tribunali, cui, ut Abbas Muratori observat, debetur stabilitas fidei in Italia. *Dissert. 60. delle Antichità Italiane.*

(1) *Sess. XXIV. c. III. de reform.*

Sub Gregorio IX., eodem XIII. saeculo specialis modus procedendi contra haereticos praescriptus fuit: praeterea ipse Gregorius officium inquisitionis fratribus Dominicanis commisit (2), ipsisque adjunxit Fratres Minores (*a*).

Saeculo XVI. Summi Pontifices huic tribunali octo Cardinales deputatos esse voluerunt, sibimetipsis ob rei gravitatem praesidentiam reservantes, Cardinalibusque adjungentes varios officiales: quorum unus dicitur *Commissarius S. Officii*, estque de ordine S. Dominici, et judicis ordinarii partes subit. Habet *Assessorem* quemdam Praelatum, aut clericum saecularem: adsunt Theologi consultores e variis familiis, ita tamen, ut inter eos fixus sit locus Magistro Generali Dominicanorum, *Magistro Sacri Palatii* Dominicano, quique ut Theologus habetur primus S. Palatii, et Magistro Fr. Minorum Conventualium, qui nuncupatur singulariter *Consultor S. Officii*. Sixtus V. Bulla *Immensa*, quae diversis congregationibus facultates assignat, Inquisitioni Romanae attribuit « omnem » auctoritatem inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi, et definiendi in omnibus causis, tam haeresim manifestam, quam schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, Sacramentorum abusus, et quaecumque alia, quae » etiam praesumptam haeresim sapere videntur, concernentibus, non solum in Urbe, et statu temporali S. Sedi subdito, » sed etiam in universo terrarum orbe super omnes Patriarchas, Archiepiscopos, et alios inferiores, ac inquisitores » etc. (*b*) ».

(*a*) *Gallicanus Doctor Lequeux in manual. compend. J. C. Edit. ann. 1839.* sic de eo scribit: « Inquisitio Romana, licet potestatem judiciariam » habeat, ea cum summa moderatione utitur: nullum affertur exemplum » sententiae capitalis, quam in reos tulerit; multum e contra de omni Catholica Ecclesia merita est; sive sapientissima responsa consultationibus » praestando, sive errores insequendo ». Vide etiam Bergier, Dict. art. *Inquisition.*

(*b*) Pius IV. facultatem eidem Congregationi attribuit contra Sacerdotes sollicitantes ad turpia mulieres in actu confessionis (*const. 31.* Cum sicut.) Greg. XV. extendit ad sacerdotes sollicitantes quascumque personas ad inhonesta quomodolibet in actu confessionis, vel antea, vel post immediate, seu occasione, vel praetextu etc. item facultatem contra Confessarios negligentes monere poenitentes, ut denuncient sollicitantes, aut docentes eos non teneri (*Const. 34.* Universalis.) Gregorius XIII. etiam contra eos, qui ad presbyteratus ordinem non promoti, missas celebrare, et ecclesiastica Sacramenta tractare audent etc. etc. eidem potestatem concessit.

(2) *Patet ex lit. ann. 1231. eorum Priori in Lombardia, quae extant. t. 9. concil.*

Ex his, quanti sit sententia hujus Congregationis constat, praesertim cum nomine Pontificis praesidentis, et decernentis fertur (*a*). Patet et ex confirmatione hujus Tribunalis in diversis regnis; pluribus petentibus Principibus, uti prae caeteris S. Ludovicus ab Alexandro IV. pro Galliis, et a Pio IV. Carolus V. pro Hispania, aliisque suis ditionibus petiit. Philippus II. autem, uti monet S. Alphonsus de Ligorio (1): » idem tribunal voluit et in nostro Regno Neapolitano con» stitui; sed Neapolitani, qui semper erga Romanam Eccle» siam summa fuerunt fidelitate affecti, et in fide catholica » stabiles, ab eo tamquam non necessario, ac fidelitati suae » quodammodo injurioso, instantibus precibus, magnoque » conatu, exemptionem impetrarunt ».

CONCLUSIO TERTIA.

Origo, natura, et munus Sacrae Congregationis Indicis declarantur.

Libros improbatae lectionis a recta Reipublicae administratione alienos exterminare, etiam ipsis Gentibus curae fuit: eo ergo magis id Ecclesiae esse debuit; aliter nec fides il-

(*a*) Singulis feriis secundis, in palatio S. Officii prope Vaticanum conveniunt consultores inquisitionis cum commissario, assessore etc. praeparantur negotia, leguntur processus criminales, et haec congregatio dicitur *Consulta*.

Singulis feriis quartis in conventu FF. Praedicatorum S. Mariae *supra Minervam* Cardinales inquisitores negotia inter se discutiunt, et Consultorum vota petunt. Eorum, quae decreta sunt, fit eodem die relatio ad Pontificem, qui huic congregationi personaliter non intervenit, quo facto, ut plurimum nomine Cardinalium decretum prodit ea forma « Feria IV. die.... mensis..... » S. Congregatio Eminentissimorum, et RR. S. R. E. Cardinalium inquisi» torum, habita in conventu.... post examen Theologorum ad id deputato» rum, facta relatione ad Sanctissimum praesenti decreto declarat etc.

Singulis feriis quintis coram ipso Pontifice in Palatio Apostolico congregatio habetur inquisitorum, quae proprie videtur Inquisitionis congregatio ex cit. const. Sixti V., atque Pontifex in ea concludit, unde ejus nomine fertur decretum hac forma. « Feria V. die.... mensis.... in generali congreg. S. » Romanae, et universalis inquisitionis, habita in palatio Apostolico, co» ram SS. D. N. et Em. et RR. S. R. C. Cardinalibus in tota republica Chri» stiana, contra haereticam pravitatem inquisitoribus; SS. Pater, auditis » votis eorumdem, statuit, ac decrevit etc. »

(1) *Theol. Moral. t. 1. append. III.*

laesa, et unica servaretur; nec satis onus sibi impositum a Christo illa sustineret (a).

Jus inde prohibendi, et abolendi pravos libros semper Ecclesia exercuit; siquidem nec quis Pontifex, aut quale Concilium, a quo initium duxerit hujusmodi, jus quod exercet, indicatur, aut indicari potest (b). Ipsi Principes saeculares, si libros fidei, moribusque adversos proscripserunt, vel hoc fecerunt petente Ecclesia (c), vel saltem eos, qui prius fuerant ab ea interdicti, damnavere (1). Interdixit ergo semper Ecclesia pravos codices, sed et in exercendo hoc munus, quam recto consilio se gessit, constat; nam ubi haeretici excreverunt, eorumque libri latius diffunderentur, nova remedia novis malis adhibuit (d). Ideo Congregationem Inquisitorum prius, deinde Indicis statuit, quae est tantum adju-

(a) Ipse Plato necessarium duxit sapientum examini subjici libros, antequam ad alios pervenire possent. Re quidem vera si sermo, qui a veritate excidit, ut *cancer serpit* ex Apost., etsi statim avolat *Timoth. 2. 2.* eo vel magis liber hoc facit, qui facilius accedit, et efficacius mentem occupat, atque ad cor pertransit: unde experientia teste, damnatorum librorum lectioni debentur exitiales et perniciosi errores evulgati, pravaque ac perversa dogmata, quae Ecclesiam Christi dilacerant, perturbant, atque ad mortem, si fieri posset, oppugnant. Inde apud Athenienses Protagoras exterminatus, ejusque scripta publice igni tradita, quia in illis de existentia Deorum dubium excitabatur. (*Cicero de Nat. Deorum*): apud Graecos pariter libri Epicuri concremati fuere, (*Erasm. in Prov. Ficula*): apud Romanos ipsos, Ciceronis libros de natura Deorum extirpari quaesitum; pluribusque juribus, ut exterminarentur libri improbatae lectionis, cautum reperitur. Livius vero *lib. 10. dec. 1.*ª testatur, apud eosdem Pontifici Maximo demandatum de scriptis agnoscere, eaque damnare, et comburere, ubi noxia esse inveniret. Nec apud Hebraeos talis oeconomia defuit; siquidam cum Joakim per Baruch librum accepisset a Jeremia transmissum, timens, ne Judaeis scandalo esset, ignibus dari jussit.

(b) Ab ipso Apostolorum aevo exercitum hoc jus constat (*Act. 19. 19.*) Et S. Augustinus testatur (*Post tract, de Psal. 65. n. ult.*) quod omnes Sectarii cum in Ecclesia reciperentur, ad pedes Apostolorum suos codices afferebant, ut concremarent. Ipseque Lutherus impius scripsit (*Tom. 2. Ep. ad Spalat.*). « Est veteris exempli, et antiqui moris infectos, et improbos » codices comburendi, quemadmodum legimus in Actibus Apostolorum ».

(c) Constantinus ex praecepto Concilii Nicaeni scripta Arii aboleri mandavit; Theodosius, et Valentinianus libros Nestorii, et Porphirii, postulante Concilio Ephesino; Justinianus libros Severi, petentibus PP. Concil. Constantinopolitani; S. Ludovicus Rex judicio Innoc. IV. libros Thalmudicos commisit igni.

(d) Coepit ars typographica circa an. 1360., qua facilius pravi codices diffundi poterant: ortis Lutheri, et Calvini haeresibus, atque divisa malis haereticorum artibus in varia schismata Europa, alia ratione occurrendum fuit malis, quae ex pravorum librorum lectione oriretur.

(1) *Vide cit. Appendicem III. S. Alphonsi de Ligorio.*

trix illius, et in nullo auctoritatem ipsius minuit. Huic librorum examen, et facultatem eos prohibendi commisit (a).

Inde sane Congregatio Indicis pro beneplacito Papae numerum Cardinalium competentem habet, quorum unus est Praefectus: Secretarium ex ordine Dominicanorum: Consultorem ex eodem ordine: Magistrum S. Palatii, ad quem etiam nunc pertinet generalis cura librorum, qui Romae typis mandantur, aut venduntur: adsunt praeterea multi Consultores, quorum examini libri subjiciuntur. Huic Congregationi Pontifex non assistit; et ideo nomine Cardinalium decreta edi solent, licet saepe ad illum ante promulgationem omnia referantur.

Illos ergo, qui in Apostolicam Sedem invehuntur ob disciplinam, quam tenet circa librorum prohibitionem, nihil aliud facere, quam suum virus contra illam evomere, ex ipsius ori-

(a) Post inquisitores missos in Tolosanam Provinciam ann. 1204. ab Inn. III. cum potestate etiam prohibendi, et concremandi libros Albigensium haereticorum; Paulus III. ann. 1542. (*Bulla 34. quae incipit* Licet ab initio) statuit Romae Congregationem Inquisitionis, cui pravos libros prohibendi curam imposuit. Sed cum plures prodirent haeretica labe conspersi libri, qui mentito plerumque nomine Auctoris, ac variis artibus ita errores occultabant, ut facile non esset eos a catholicorum libris secernere, ac simplices illorum lectione decipere ac seducere possent, communi Orthodoxorum voto Catalogus, sive index librorum, quorum lectio perniciosa foret, optabatur. Hinc Paulus IV. ann. 1557. Inquisitoribus mandavit, ut hunc Indicem conficerent, qui jam perfectus fuit, et ann. 1559. jussu ejusdem Pauli evulgatus. At quia in Indice illo melior methodus, et aliae declarationes, ac plurium aliorum librorum, ac Auctorum damnatio desiderabantur, Pius IV. Patribus Synodi Tridentinae, quae tunc celebrabatur, commisit novum Indicem efformandum. Concilium, ubi opera aliquot Patrum illum perfecit cum decem regulis, quae Indicem ipsum spectant, ad judicium Pontificis una cum regulis ipsis elaboratis absolvendum remisit. Proinde Pius IV. (*Bulla* Dominici Gregis *dat. 24. Martii 1564.*) adhibitis pluribus doctissimis Praelatis Indicem absolvit, ac mandavit, ut ab omnibus Fidelibus cum suis regulis ubique observaretur. Eundem pluries auctum pariter approbaverunt sequentes Pontifices ad nostra usque tempora. Demum Philippus II. Rex Hispaniarum, Neapolis etc. die 15. Feb. 1569. Edictum emanavit (*Extat apud Van-Espen p. 1. tit. 22.*) quo praecepit Indicem Romanum praefatum, prout a Pontifice publicatur, ab omnibus suis Regnis recipi et observari, ipsumque ad omnia Concilia Regia transmitti, ut per Provincias more solito publicaretur, quod in regno nostro Neapoli sine contradictione factum est.

S. Pius V. mente, ac animo tenens, quod libri perniciosae lectionis adhuc undique innumeri ederentur, scrutatus simul Congregationem Inquisitionis minime sufficientem ad examen illorum, operae pretium duxit novam Romae instituere, quae in id unice incumberet, ut Ecclesiam a pravis libris expurgaret; quam *Indicis* nominavit, eamque confirmarunt Greg. XIII. Sixtus V., et Clemens VIII.

gine non solum evincitur, sed et ex natura ejus cognoscitur methodi, quae servatur in examinandis, ac proscribendis libris. Hanc vero ex Constitutione *Sollicita, ac provida RR. Pontificum etc.* an. 1754. Benedicti XIV. videre quisque potest, ubi regulas Pontifex praescripsit sapientissimus valde utiles illis, quorum est de libris judicare. Ad complementum argumenti, quod tractamus, juvat excribere aliqua ex citata Const., nimirum quod §. IX. notatur. « Quotiescumque agetur de libro » auctoris Catholici, qui sit integrae famae, et clari nomi- » nis, vel ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc » quidem proscribi oporteat, prae oculis habetur usu jamdiu » recepta consuetudo proscribendi librum, adjecta clausula, » *donec corrigatur*, si locum habere possit..... Hac autem con- » ditione proscriptioni adjecta, non statim edatur decretum, » sed suspensa publicatione, res antea cum auctore, vel quo- » vis alio pro eo rogante communicetur, atque ei, quid de- » lendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur: » quod si ille detrectet, congruo tempore edatur decretum. » Si vero auctor jussa fecerit, hoc est, novam instituerit edi- » tionem cum debitis castigationibus, supprimatur proscri- » ptionis edictum, nisi forte prioris editionis exemplaria ma- gno numero distracta fuerint (a) ».

Duo denique coronidis loco non abs re monere putamus: Primum: jus Episcopis, et Inquisitoribus tributum concedendi facultatem legendi libros prohibitos, sublatum esse per Const. Greg. Papae XV. incipientem: *Apostolatus officium*, in qua statuitur *de caetero similes licentiae, nisi a Congregatione S. Officii concedantur*; deinde istud idem jus concessum fuisse Sac. Cong. Indicis, quod habet Magister Sac. Palatii pro Roma, et ejus districtu. Alterum: quoad impressionem librorum scriptorum etc. cum ex regula X. Indicis Sanctae Synodi Trid. servandum sit, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. *Sess. XX.* factum est, proinde praeter Romam, ubi liber imprimendus examinari debet per Vicarium Summi Pontificis, et Sacri Palatii Magistrum, vel personam a SS. D. N. deputandam, « in aliis vero locis ad Episcopum, vel alium » habentem scientiam libri scripti imprimendi, ab eodem Epi-

(a) Ex his facile intelligitur quid tenendum de libris proscriptis cum hac clausula: ne autem quis inde abuti possit, reminiscatur simul propositionis 34. proscriptae ab Alexandro VII. quae dicebat: « Libri prohibiti, donec ex- » purgentur, possunt retineri etc. »

» scopo deputandum , ejus approbatio , et examen pertinet ,
» et per eorum manum, et propria subscriptione gratis, et sine
» dilatione imponenda, sub poenis , et censuris etc. approbe-
» tur ». In hoc regno Neap. Concordatis novissimis inter Ferdinandum I. et Pium VII. ann. 1818. art. 24. statutum legitur. « Quoties Archiepiscopi , et Episcopi in libris introdu-
» ctis , vel qui introducuntur , impressis , vel qui imprimun-
» tur in Regno , aliquid repererint Ecclesiae doctrinae , aut
» bonis moribus contrarium , Gubernium eorum librorum di-
» vulgationem non permittet ».

CONCLUSIO QUARTA.

Natura Sacrae Congregationis Concilii , ejusque officia enucleantur.

Pius IV. , qui de consilio, et assensu S. R. E. Cardinalium in Consistorio secreto confirmavit decreta , et sanctiones S. Concilii Trid. , atque in iis , quae reformationem , et jus positivum ejusdem Concilii spectant, a Kalendis Maij ann. 1564 observantiam arctavit ; idem consideravit parum esse jura condere , et promulgare , nisi sit , qui ea debitae executioni demandari faciat ; hinc super executione et observantia ejusdem S. Concil. Tridentini quorumdam S. R. E. Cardinalium Congregationem instituit , et simul vetuit , ne quis sine auctoritate Sedis Apostolicae *audeat ullos commentarios , glossas, annotationes, scholia , nullumve omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quoque modo edere , aut quidquam quocumque nomine, etiam sub praetextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis , aliove quaesito colore statuere*. Hanc const. Sixtus V. (1) postea , non modo quoad ipsius Concilii executionem, sed et quoad interpretationem confirmavit.

Tenentur autem huic Congregationi Praepositi pro viribus curare ; ut 1.° hujus Concilii decreta , et sanctiones ab omnibus inviolabiliter observentur sub poenis etc. , reservata Pontifici declaratione dubietatum , si quae in executione dictorum , et literarum Apostolicarum emerserint ; 2.° Synodos Provinciales tertio quoque anno , Dioecesanas autem singulis annis cogendas provideant ; 3.° Patriarcharum, Primatuum ,

(1) *Const. 74.*

Archiepiscoporum, Episcoporum, qui BB. Apostolorum limina certo, constitutoque tempore visitare tenentur, postulata audiant, et, quae per se Congregatio potest, expediant, majora Pontificis decisioni reservent; 4.° Quae in Ecclesiis Cleri, et populi commissi fides, ac disciplina servatur, ab iisdem Praesulibus exposcant; 5.° Quaenam hujus Concilii Tridentini decretorum executio in omnibus, et praecipue in ipso residentiae munere, quae piae consuetudines, qui omnium denique in via Domini progressus inquirant, et insinuent; 6.° literas, quae ex praescripta forma in testimonium obitae visitationis Liminum Ss. Apostolorum dantur, iisdem Episcopis, et Praesulibus concedant; 7.° Reformationem Cleri, et populi in universo orbe Christiano in iis, quae ad cultum Dei propagandum, devotionem excitandam, ac mores Christiani populi ad praescriptum ejusdem Concilii modum componendos pertinent, promovendi auctoritatem habeant ex præcitata constitutione Sixti V.

Declarationes demum ejusdem Congregationis esse doctrinales, seu definitivas, ita ut ad illorum observantiam necessitatem imponant, DD. tenent; imo id certissimum videtur, quia Summo Pontifice consulto procedunt.

CONCLUSIO QUINTA.

Quae Congregationem super negotiis Episcoporum, et Regularium spectant, breviter colliguntur.

Non solum Praesulibus Ecclesiarum, et Pastoribus, ut auxilium sibi paratum intelligant, ovesque suas fructuosius pascant, sed ut et progressus firmetur ordinum Regularium; quibus velut Regina vestitu deaurato, circumdata varietate, exhibetur Ecclesia, Sixtus V. inter plures Congregationes, illam super negotiis Regularium etiam erexit, eam conjungendo cum altera super negotiis Episcoporum; ita ut ait de Luca (1): « unam eamdemque constituant, et merito, ob hu» jusmodi negotiorum frequentem connexionem; ut ita mo» re Principis, absque processu, vel tela judiciaria, *summa» rie*, sola facti veritate inspecta, et quandoque, imo fre» quentius, etiam per solas extrajudiciales, et secretas infor-

(1) *Dist. 1. de Regularib.*

» mationes , controversias terminet , prudentiales regulas » saepius adhibendo potius , quam rigores legales ». Haec Congregatio ergo duo peragit genera negotiorum, scilicet Episcoporum , et Regularium : omnium proinde major , et majorem numerum Cardinalium habet , ob majorem negotiorum multiplicitatem , dicta *occupatissima*. Negotia curialia , quae fidem spectant , agit , atque omnia illa , quae pertinent ad Christianae reipublicae regimen spirituale. Congregatio vero mere Cardinalitia dicitur , quia nullos inferiores Praelatos habet , nisi unum , qui Secretarii officium exercet.

Pro Praesulibus est ei facultas , Patriarcharum , Archiepiscoporum , Episcoporum , Ordinariorum , et quorumcumque inferiorum postulata audiendi , et cognoscendi , atque humaniter respondendi ; dubia , rationes , et causas Ecclesiarum , quae earum dignitatem , jurisdictionem , excusationem , jura, privilegia , et laudabiles consuetudines spectant , tam ex partium petitione , quam ex officio , prout honestum, et opportunum videbitur , componendi. Causas etiam , et controversias inter eosdem Praelatos de jurisdictione , aliave de causa exortas , nec non inter Capitula , aut obtinentes dignitates , ac inter quascumque singulares personas , et Universitates , aut locorum in temporalibus dominos , exceptis iis , quae Concilii Trid. interpretationem , vel ordinem exigunt judiciarium , reipsa requirendi , examinandi , et amice desuper componendi , ac transigendi , etiam per alios , si ita consultum videbitur , extra Dioecesim quoque curandi. Praeterea Summo Pontifici praesentare potest ad visitandas Ecclesias , quos crediderit idoneos , ut cum expedire videbitur , valeat destinare : sicut et illos , qui literarum Apostolicarum auctoritate suffulti , tamquam Vicarii Apostolici Ecclesias regant. Demum hujus Congregationis est , sicut et Congregationis Concilii, justis ex causis permittere alienationem bonorum Ecclesiae.

Regularium autem causas , ait de Luca , non solum publicas , sive super regimine Religionis in universum , sive inter unam Religionem , et alteram , sed etiam privatas inter Religiosos super electionibus , officiis , et Praelaturis , aut super praecedentiis , aliisque praeeminentiis , ceterisque occurrentiis generaliter , haec S. Congregatio cognoscit, et determinat summarie , et nullo adhibito formali processu cum Notario , aut tela judiciaria. Regularibus ipsis, quos ad perfectioris vitae statum transire velle constiterit , non tamen ad laxiorem ,

nec ad parem, quibusvis SS. Pontificum sanctionibus, et decretis non obstantibus, licentiam dare, et impertiri potest.

Quod si inter Episcopos, et Regulares controversiae oriantur, et dubitationes inciderint, quae sub Concilii Trid. dispositione, aut interpretatione comprehenduntur, ad eandem Concilii Congregationem remittendae sunt.

CONCLUSIO SEXTA.

Quae sunt Congregationis Rituum, exponuntur.

Natura ipsa, quae omnibus Deum praedicat, eundem colendum ritibus, et caeremoniis utique dictat, ita ut ne barbari quidem, remotique populi illis careant. Ipseque Deus eas in libris Exodi, et Levitici Hebraeis praecepit; et gratia Salvatoris Jesu demum novos ritus, et caeremonias novas praescriptas habemus, quibus eversa vetustatis specie, et umbra futurorum in nihilum redacta, Ecclesia, veritate adveniente, uteretur. Ut vero hi ritus conserventur, atque pro opportunitate instaurentur, Sixtus V. citata Constit. Congregationem Cardinalium etiam erexit, quorum unus Praefecti nomine donatur. Multi vero sunt ejus officiarii, et horum praecipui sunt *Promotor Fidei*, *et Subpromotor*, qui ex officio tenentur inquirere, ac proponere difficultates, quae occurrunt in processibus; consultores alii *nati*, seu fixi et permanentes, ut Sacrista Papae, qui sacrario Apostolico praesidet; Magister Palatii; Assessor inquisitionis; et tres antiquiores Rotae uti, alii vero deliguntur praecipue e variis ordinibus Regularium, Protonotarius (a) congregationis, ejusque Secretarius. Serviunt insuper eidem Congregationi plures advocati, interpretes; imo et medici, phisicique, praesertim ad examen miraculorum.

Juxta eandem bullam Sixti « haec praecipua cura incum» bere debet, ut veteres ritus sacri, ubivis locorum, in o» mnibus Orbis, Urbisve Ecclesiis, in Missis, Divinis officiis, » Sacramentorum administratione, caeterisque ad Divinum » cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter ob» serventur; caeremoniae, si exoleverint, restituantur; si de-

(a) Protonotarii dicuntur certi notarii insigniores inter Praelatos computati, qui acta majoris momenti redigunt, et transcribunt.

» pravatae, reformentur; libros de sacris Ritibus, in pri-
» mis Pontificale, Caeremoniale, prout opus fuerit, refor-
» ment, et emendent; officia Divina de Ss. Patronis exami-
» nent, et Pontifice consulto concedant, diligentem quoque
» curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, festo-
» rumque celebrationem (a) ».

Caeterum ubi agitur de solemni cultu sanctis exhibendo, praesertim per canonizationem, judicio Congregationis accedere debet judicium S. Pontificis, qui habitis etiam pluribus Consistoriis tum privatis, tum publicis, cum magna inde solemnitate pronunciat *sententiam definitivam*, qua decernitur, aliquem Dei Sanctorum catalogo esse adscribendum.

Ut vero maxima sedulitas, atque maturitas cognoscatur, quibus Curia Romana has Sanctorum causas agit, et, ne rudis sit omnino de iis, etiam qui rudimenta ponit hujus disciplinae, non abs re erit praecipuos casus procedendi in illis summatim referre. Et primo nonnisi fama constante sanctitatis, et miraculorum, aut martyrii ex processu Ordinarii locorum (b), (quem et alius sequatur auctoritate Apostolica faciendus) ex quo constat integre servatum fuisse decretum Urbani VIII. *de non cultu*, S. Sedes inquirit circa aliquem Servum Dei (1).

Inde sequi debet *Signatura commissionis*, scilicet supplicatio post decennium ab exhibitione processuum super fama sanctitatis, et non cultu (nisi aliter decernat S. Pontifex) a postulatoribus causae eidem exhibita Pontifici, et ab eodem admissa, atque subscripta, per quam impertitur congregationi S. Rituum facultas procedendi in causa Beatificationis, et Canonizationis alicujus Servi Dei. Quae tamen non datur, nisi terminato judicio in S. Congregatione super operum re-

(a) Hinc quaecumque ritus sacros, ac proinde Breviarium, Missale, Rituale spectant, ejus revisioni ita commiserunt Pontifices, ut ceteris videatur prohibitum de istis negotiis quidquam decernere.

(b) Benedictus XIV. *de Beatificat.* lib. 11. cap. XXXIX. de fama sanctitatis scribit: « *Per famam sanctitatis* in genere intelligitur communis existimatio de integritate vitae, et de virtutibus, non utcumque, sed per continuatos actus, data occasione, *supra communem modum operandi aliorum proborum*, exercitos ab aliquo Servo Dei jam defuncto, nec non de miraculis ejus intercessione a Deo obtentis: ita ut concepta saltem in uno loco erga eos devotione, a plerisque invocentur, et plurium virorum graviorum judicio digni existimentur, ut per Sedem Apostolicam in album Beatorum, vel Sanctorum referantur ».

(1) *Decret. Urban. VIII.*

visione, si quae scripta fuerunt ab eodem Servo Dei, sive sint libri, sive tractatus, opuscula, vel quid simile, etiamsi paucae sint pagellae ad privatam instructionem exaratae (*a*).

Hinc post receptos hujusmodi processus, delegata alicui Cardinali causae relatione, non prius ad aliquem actum inquisitionis deveniendum est, nisi facta hac revisione scriptorum.

Signata commissione, quia per hanc R. Pontifex dicitur ei causae *manum apponere, et causam introducere*, jam nullo modo licet Ordinariis eidem causae se immiscere; sicque auctoritate Apostolica incipit series processuum, qui solent per literas *remissoriales*, quae nimirum dant facultatem citandi, audiendi, et examinandi partes, et per litteras *compulsoriales*, quibus datur facultas compellendi quoslibet, ut producant, quae ad causam pertinent, solent, inquam, committi tribus Episcopis cum clausula, ut duo ad minimum procedant.

Fit igitur de *forma* sanctitatis novus processus, qui ad Urbem transmissus, a S. Congregatione discutitur quoad ejus validitatem, Promotore Fidei objiciente difficultates, et causam Postulatoribus defendentibus.

Inde cum approbata, et per judicium firmata sit validitas hujus processus, Servus Dei dicitur *Venerabilis*. Mandantur postea per novas remissoriales literas alii processus de *Momento*, idest de virtutibus, num modo heroico sint exercitae (*b*), et de miraculis (*c*), quorum etsi una et eadem regula

(*a*) Benedictus XIV. observat *ibid. lib. 11. cap. XXXV.* «doctrinam Servi Dei etiam post illud severissimum examen, nunquam posse dici a S. » Sede approbatam, etsi Revisores retulerint nihil in operibus ejus reperiri, » quod adversetur decretis Urbani VIII. et judicium Revisorum fuerit a S. » Pontifice confirmatum; praedictamque idcirco doctrinam debita cum reve- » rentia posse citra ullam temeritatis notam impugnari, si modesta impu- » gnatio bonis rationibus innixa sit, etiam postquam Servus Dei inter San- » ctos fuerit relatus.... Visionum, apparitionum, et prophetiarum appro- » batio certitudinem fidei nequaquam exposcit, sed tantum efficit, ut illae » tamquam probabiles habeantur ». *Ibid. lib. 14. cap. XXXV.*

(*b*) Examen instituitur quoad omnes, et singulas virtutes tum theologicas, tum morales, non quidem quasi in omnibus, et in omni respectu debuerit se heroice exercere, sed ut heros fuerit in fide, spe, et charitate, et in iis virtutibus moralibus, in quibus juxta statum suum potuit se exercere, cum praeparatione animi ad sic se gerendum in aliis, si oblata fuisset occasio, *ibid. c. 21.* Porro ait Bened. XIV. *lib. 3. cap. XXII.* heroica virtus efficere debet, ut eam habens operetur expedite, prompte, delectabiliter, et fine supernaturali, sine humano ratiocinio, cum abnegatione sui ipsius.

(*c*) Praxis tuta fuit Sedis Apostolicae miracula expetere in causis Beatifi-

semper non fuerit quoad numerum ; communiter tamen duo requiruntur, deque his unum necessario debet esse post mortem. Circa martyres vero accurate expenditur, utrum mors illata sit ipsis revera propter Deum , ac propter aliquam virtutem , et quidem ex odio in ipsam fidem ; sane *non poena* ; (D. August. ait), *sed causa facit martyres*. Processus delegatorum diligentissime expenduntur in multis Congregationibus , et dubia circa virtutes , ac miracula discutiuntur, testimonia ponderantur. Sententia vero approbans , ubi conveniant in suffragiis duae partes Cardinalium , et Consultorum , solet dari (1).

Demum Congregatio generalis coram Pontifice deliberat , utrum *tuto procedi possit* ad Beatificationem. Pontifex nec statim decernit etiam omnium votis convenientibus, sed mandat fieri preces. Tandem statuto die celebrandae Beatificationis in Vaticana Ecclesia , post sollemnitatem hanc ibi peractam, ex decreto Alexandr. VII. ann. 1665. conceditur deinde, ut fiat etiam in aliis *determinatis locis*.

Non renovantur inquisitiones super vitae Sanctitatem , ut a Beatificatione ad causam Canonizationis procedere liceat , sed requiruntur nova miracula, quibus Postulatoribus instructis expetitur *signatura commissionis reassumptionis* , et expeditio novarum literarum remissorialium , ut super istis miraculis inquiratur.

Processus ad congregationem missi multoties discutiuntur, et tunc determinatur ad Canonizationem *tuto posse fieri transitum*, si duo saltem miracula certissimis argumentis comprobata proferantur.

In Consistorio *secreto* solorum Cardinalium , re a Pontifice perpensa: postquam hic deliberaverit de canonizatione peragenda , ad Consistorium *publicum* Cardinales coguntur omnes in urbe degentes , et Episcopi etiam mere titulares , non exclusis praecipuis officialibus curiae ; ab advocato consistoriali exponitur series causae ; indicuntur jejunia , et preces. Rursus in

cationis , et Canonizationis praeter virtutes ; « cum merita, et miracula sibi » invicem fidem faciant , nec merita sine miraculis , nec miracula sine me- » ritis plane sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctita- » tis ». *Ibid. l. 4. p. 1. c. V.* imo requiritur , ut miracula a Deo post obitum Servi Dei facta esse probentur, quamquam et ea considerentur, quae vitae tempore sunt patrata.

(1) Bened. *ibid. cap. XXVI.*

alio Consistorio *semipublico* postulatur suffragium Cardinalium, et quorumcumque Episcoporum praesentium; hisque peractis, Pontifex consuevit declarare diem, quo facienda est Canonizatio. Et revera tunc magno apparatu adit Basilicam, et pluribus expletis coeremoniis profert sententiam, in qua *decernit, et definit N. Sanctum esse, et Sanctorum catalogo adscribendum, statuens ab Ecclesia universali illum esse colendum* (*a*). De expensis non paucis ad haec omnia necessariis quam temerarie carpant Curiam Romanam ejus hostes, videre est laudatum Pontificem Benedictum XIV. (1).

Quoniam vero cultus alicui Dei Servo exhibitus aliquando reperitur *ab immemorabili*, hic ut retineatur, et ut ad Beatificationem, vel Canonizationem procedatur, neque signatura commissionis, neque processu opus est, nisi aliquid obstet (*b*). Ast cultus non est amovendus, pendente judicio super tempore immemorabili, ut ex laudato Benedicto XIV. evincitur.

(*a*) Datur etiam *canonizatio aequipollens*: cum scilicet aliquos servos Dei, qui jam sunt in antiqua cultus possessione, de quorum miraculis etiam, et virtutibus constat ex historia communi, jubet Summus Pontifex in universo orbe coli, nullis praecedentibus judicialibus processibus, nullis coeremoniis adhibitis, nulla accedente sententia definitiva. Hujus exempla Benedictus XIV. affert in Ss. Romualdo, Norberto, Gregorio VII. et aliis. *Æquipollens Beatificatio* pariter datur, sed haec rarissima sunt.

(*b*) Cultus per centum annos non interruptus ante Urbani decreta requiritur pro declaratione casus excepti, ratione cultus immemorabilis, qui sane per authentica documenta probandus est. Expedit proinde iis tantum, qui vitam vixere ann. 100. ante ann. 1534. cum decreta illa confirmata fuere ab eodem Pontifice, dummodo cultus idem et publicus fuerit, quod ex aliquot horum argumentorum demonstratur, nimirum: si imagines Servorum Dei quomodocumque in Ecclesiis, et altaribus tam publicis, quam privatis, aut inter imagines aliorum Sanctorum expositae, aut cum laureolis, vel radiis, seu splendoribus depictae sint, aut si eorum genibus sit aliquis provolutus. Insuper eundem cultum publicum important lampades, et lumina ad Servorum Dei sepulcra accensa, et votivae tabellae, nisi seorsim ab Ecclesia custodiantur. Item erecta altaria in alicujus honorem, ejusdem in Divinis officiis commemoratio, cellarum eorum in Oratoria, vel Ecclesias conversio, expositio reliquiarum ad publicam venerationem etc.

(1) *Ibid. lib. 1. cap. XXXXVI.*

CONCLUSIO SEPTIMA.

De Congregatione Indulgentiarum, et Reliquiarum congruus sermo instituitur.

Satis ad rem erit heic afferre, quae decreto Clementis IX. quo Congregationem erexit indulgentiis, et reliquiis praepositam, continentur; haec autem sunt: « Congregationem Cardi-» nalium, ac Praelatorum, et aliorum a nobis deputandorum, » cum facultate omnem difficultatem, ac dubietatem in San-» ctorum reliquiis, et indulgentiis emergentem, quae ad fidei » dogma non pertineat; (Nobis tamen, et Romano Pontifice » pro tempore existente circa graviora, difficilioraque con-» sultis), expediendi, ac si qui abusus in eis irrepserint, » judicii forma plane postposita, corrigendi, et emendandi; » causas vero judicialem formam requirentes ad proprios ju-» dices remittendi; falsas, apocryphas, indiscretasque in-» dulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, » et examinandi; ac, ubi Nobis retulerint, Nostra auctoritate, » rejiciendi; reliquias de novo inventas, quas Innoc. III. in » Concil. Lateran. publica veneratione coli, nisi prius au-» ctoritate Rom. Pontificis approbatas, prohibuit, recogno-« scendi, ac in concedendis indulgentiis, Sanctorumque reli-» quiis donandis moderationem adhibendi; tenore praesen-» tium perpetuo erigimus, et instituimus (a) ».

Non solum igitur in hac Congregatione quaestiones circa indulgentias expenduntur; sed et ei cura est reliquiarum potissimum, quae in Urbe coluntur, et ab ea mittuntur. Recognoscit proinde reliquias in catacumbis repertas, quae communiter Sanctorum baptizatorum dicuntur, eo quod nomen proprium illorum ignoratur, et aliud ipsis imponitur (1).

(a) Reliquias apud nos cognoscunt Episcopi, prout a Concilio Tridentino mandatum fuit.

(1) *Vide Bened. XIV. de beatif. l. 4. p. 2. c. XXVII.*

CAPUT V.

DE CURIAE ROMANAE OFFICIALIBUS.

Curiae Romanae commissum est negotia ecclesiastica agere, eique competit literas Apostolicas redigere, et expedire. Hujus pracipuae partes sunt Cancellaria, Dataria, et Poenitentiaria. Quibus addi potest Auditorium Camerae, et Rotae. Quoniam vero ad eas recurramus, oportet, ut gratias, dispensationes, concessiones obtineamus, beneficii, vel officii provisionem, commutationem, obligationem, absolutiones a censuris etc. juvat de ipsis pauca dicere, ut saltem distinguantur, ne commodum illarum cuinam desit.

Quamvis cum de legibus ageretur, nonnulla heic pertinentia jam sint enucleata, heic tamen de Romanis tribunalibus agentes, quae ad cujuslibet gratiae, et praecipue dispensationis legitimitatem requirantur, breviter attingenda putamus: haec autem sunt *potestas* concedendi, *justitia* causae, et *voluntas* in concedente. Potestas uniuscujusque tribunalis ex dicendis innotescet. Causa debet esse gratiae aeque proportionata. Voluntas non tantum interior, sed exterius manifestata; cui obsunt praecipue error, et ignorantia. Hinc dispensatio est invalida, vel ob falsum a supplicante expositum, vel ob reticentiam alicujus circumstantiae essentialis, et necessariae. In priori casu erit proin obreptitia, in altero subreptitia (1).

Triplex autem regula affertur ad distinguendum essentiale ab accidentario: 1.° Obreptio, aut subreptio invalidam reddit concessionem, quando efficit, ut Superior ignoret naturam, et quantitatem gratiae; hinc ex. gr. Irregularis, qui non tantum ad ministrandum in ordine suscepto velit dispensari, sed et ad suscipiendos ordines, utrumque exprimat, oportet; 2.° Nulla est concessio, quando falsitas est motivum determinans, vel quando talis est circumstantia *reticita*, ut si esset expressa, gratia nullatenus fuisset concessa, aut non in ea forma; 3.° Suppressio circumstantiae, quam stylus curiae Rom. jubet exprimi, reddit concessionem irritam, etiamsi veritate expressa, nihilominus gratia concessa fuisset. Ceteri defectus habentur accidentarii. Vide Suarez (2).

(1) *C. Quod super his VII. de fide instrum.*
(2) *De legibus lib. 6. cap. XXII. et seqq.*

CONCLUSIO PRIMA.

Quae Sacram Cancellariam spectant, enucleantur.

Apud omnes Principes extat *Cancellaria* (*a*); ast haec praeclarissimae dignitatis Romae fuit forsan post Innoc. III. eamque exercuerunt etsi privati homines, spectatissimi tamen probitate, et eruditione: sub Bonifacio VIII. demum tributa Cardinalibus; primaria etenim, et graviora agit Sedis Apostolicae negotia publica, et solemnia, qualia sunt Consistorialia; puta, provisiones Archiepiscoporum, Episcoporum etc., aliaque plurima per ejus manus transeunt. Et quoniam ut *Organum mentis*, *et vocis Papae* habetur, omniaque ipse censetur consignare, quae Cancellaria edit; hinc Cardinalis, qui ejus vices exercet in officio Cancellarii, Vice-Cancellarius dicitur (*b*).

Cancellario assistit Regens, cujus est revidere Bullas expeditas, et propria manu corrigere; unde ad calcem addit; *correcta prout jacet*, *N. Regens* (*c*). Multi alii officiales ad eam pertinent, inter quos qui Praelaturam habent, sunt praesidentes de *majori* vel *minori* Parco, ita dicti a loco Cancellariae, in quem conveniunt, qui vulgo dicitur *Parcus*. De majori qui sunt, nominantur etiam *Abbreviatores*, quia literarum Apostolicarum breviaturas seu *minutas* conficiunt; alii plumbatores, registratores etc. Hi omnes participant emolumenta, quae solvuntur pro literarum expeditionibus etc. atque haec jura dicuntur *Taxae* Cancelleriae Apostolicae, ad cujus exactionem Gregorius XV. praeposuit regulam Cancellariae inter alias, de quibus jam diximus antea (1). *Secreta-*

(*a*) *Cancellariae* vox barbara. Cancellarii olim dicti fuere, qui *ad cancellos forenses* seu judicium stabant.

Cancellaria communiter (ait Budaeus *ad Pandectas.*) usurpatur pro loco, ubi a scribis Principum publicae literae conficiuntur. Hinc Cancellarius dicitur, cujus primae partes sunt videre, ut nulla Principis constitutio, nulla sanctio, nullum rescriptum, nisi legitime subscriptum, et obsignatum prodeat.

(*b*) Alii dicunt hunc, eo quod dignitati Cardinalitiae parum congruit munus Cancellarii ex officio exerceri, ideo provisionaliter Vice-Cancellarium nominari.

(*c*) Hujus auctoritas fuse describitur in ultima regula Cancellariae, quae inscribitur: *De potestate Reverendiss. D. Vice-Cancellarii, et Cancellariae Regentis.*

(1) *Confer, quae dicta sunt Cap. IV. Art. III.*

ria Brevium , *et utraque Signatura* pertinent ad Cancellariam , nimirum *gratiae* in negotiis beneficialibus , et *justitiae* in negotiis , quae expetunt formam contentiosam : ambae signaturae absque appositione sigilli continent brevem responsionem Papae , aut Vice-Cancellarii , aut Praefecti Signaturae. Pontifex , quando obsignat , petitioni apponit *Fiat.* A Vice-Cancellario , et Praefecto apponitur *Concessum.*

Quaedam autem a Secretaria Brevium exclusive conceduntur, uti illae gratiae, in quarum expeditione de stylo, et consuetudine immemorabili solvenda est *compositio:* quaedam exclusive a Dataria , alia indifferenter et a Secretaria, et a Dataria, de qua mox, salvo interventu alicujus Congregationis, si requiratur ad gratiam obtinendam (a). Omnia tamen definiunt literae Apostolicae Benedict. XIV. *Gravissimum Ecclesiae.* ann. 1745.

CONCLUSIO SECUNDA.

Datariae origo , munera , et ministri designantur.

De *Datariae* (b) origine , muneribusque , Cardinalis De Luca (1) haec scribit : « Antiquitus Papa se parum ingerebat , » vel nihil iis negotiis, circa quae pene totum Datarii munus » hodie versatur ; ut nempe sunt collationes beneficiorum re- » servatorum , vel affectorum , nec non reservationes pensio- » num super iisdem, ac dispensationes matrimoniales, aliaeve » super natalibus, vel super aetate , et similibus ; talia etiam » sunt Apostolica beneplacita super alienationibus bonorum » Ecclesiae , et similia , quae moderna sunt ».

Nimirum circa saeculum XIV erecta fuit Dataria , quando introductae fuerunt reservationes beneficiorum , praesertim ut labes Simoniae e medio tolleretur , et ob alias rationes , quas est videre apud eumdem De Luca, qui subdit (2). « Cum » itaque hujusmodi provisiones non publice in Consistorio ,

(a) Ex. gr. Si catholicus cum haeretica vult nubere , assessor S. Officii Inquisitionis solet intervenire.

(b) Non a verbo *dare* , sed ab alio barbaro , et ignoto Latinae linguae professoribus vocabulo *datare* prodiit nomen *datariae* , et *datarii* , quia scilicet adnotabat *datam* , quae in Principum legibus , et provisionibus , et gratiis ab antiquo tempore adhiberi consuevit.

(1) *Discursu 9. tit. 15. in relation. Curiae Rom.*

(2) *Ibidem.*

» sed privatim in Aula per supplices libellos fierent, casus
» autem praeberet, quod Papa ex multitudine negotiorum non
» valens omnia memoria retinere, eadem beneficia pluribus
» conferret, unde continua jurgia super *anterioritate*; idcir-
» co congruum fuit quemdam fiduciarium ministrum, tam-
» quam per speciem secretarii ad id deputare, qui gratiae
» concessae adnotaret diem, ut dignosceretur, quae gratia
» anterior; et etiam an congruo tempore gratia petita con-
» cessa esset, eo quod plures absque notitia mortis, benefi-
» cia, quae mox vacatura sperabantur, extorquebant. Idem
» vero minister, qui hanc adnotandi *Datam* temporis curam
» gerebat, munus etiam habuit inspiciendi, an oratores, qui
» porrigebant supplicationes, essent digni, nec ne ». Ex
his evincitur ea negotia, quae non tractantur in Consisto-
rio, esse Datariae, quae ut Cancellariae supplementum fuit
erecta.

Qui praesidet Datariae Cardinalis, dicitur *Pro-datarius* iis-
dem de causis, quas jam assignavimus de Vice-cancellario;
eique assistunt multi officiales ut *Subdatarius*, Revisor causa-
rum matrimonialium, et caeteri, quorum munus ex Van-E-
spen videbis (1).

Inter alios vero est Officialis *Camponendae*, vel administra-
tor: in dispensationibus sane *Datariae* vulgo exigitur pecu-
niae summa, quae dicitur *Componenda*, eo quod componen-
dum sit, et pecunia solvenda, antequam gratia conceda-
tur (*a*). Ast hoc non obstante, dispensationes gratis concessae
dicuntur; et recte, quia ea pecunia non in concedentium lu-
crum vergit, sed ad pia opera adhibetur, puta: ad missiones
apud infideles, eleemosynas etc. Adest enim ad rem decretum
Innoc. X. (2) quo vetat « ne hujusmodi pecunia cum reliqua
» confundatur, quae tradita est curae Praefecti generalis ae-
» rarii Pontificis, sed in Monte pietatis deponatur, nec inde
» auferri possit, nisi prius mandatum a Pontifice obsigna-

(*a*) Hinc status fortunae sincera declaratione aperiatur, oportet, ab iis, qui dispensationes matrimoniales petunt. Dataria enim concedit dispensationes *in forma pauperum* iis, qui sunt miserabiles, et *ex labore*, *et industria sua tantum vivunt*. Esset tamen irrita, et obreptione obtenta pro illis dispensatio, qui tales revera non sint.

(1) *J. E. V. Pars I. Tit. XXIII. de Officialibus Curiae Roman.* vel *apud De Luca*

(2) *Ann. 1644.*

» tum intercesserit, per quod eadem pecunia in pium opus » convertatur ».

In negotiis matrimonialibus Brevia dispensationum diriguntur a Dataria ad officialem, seu Vicarium; quando non distinguitur dioecesis sponsorum, et si hi diversarum dioecesum sint, ad officialem sponsae diriguntur; cui mandatur, ut prius de veritate eorum, quae in supplicatione continentur, informet, et si preces veritate nitantur, auctoritate apostolica dispenset, ac pronuntiet sublatum impedimentum (a).

Demum si dispensatio ob aliquem defectum fuerit nulla, ad supplendum gratiae vitio anterius concessae, debent obtineri literae, quae dicuntur *perinde valere*, a Dataria, si defectus sit publicus, et in petitione exprimendum est nomen, cognomen, Dioecesis, originis, et domicilii tantum, si Orator ibi habeat perfectum domicilium; item utraque Dioecesis Sponsi, et Sponsae, si ipsi diversas habeant Dioeceses. Quando autem defectus sit occultus, tacentur nomina, et alia, sed exprimitur persona, et locus, quo literae sunt dirigendae a S. Poenitentiaria, a qua illae literae obtinentur.

Vacante per mortem Pontificis S. Sede cessant Cancellaria, Secretaria, et Dataria: rumpuntur annuli, et sigilli: nec proinde fit ulla expeditio. Si gratia sit jam concessa sive *verbo*, sive *scripto* ex. gr. promotio ad Episcopatum etc. haec a novo Pontifice juxta regulas Cancellariae validatur, modo intra sex menses a die assumptionis suae literae expediantur. Verum si sigillatae sint jam literae, etiam post mortem Papae mittuntur,

(a) Tenetur ergo sub gravi Vicarius de veritate factorum diligenter inquirere; et nisi in casu particulari necessitas aliter persuaderet, non omnino sufficere videtur informatio per ipsum parochum facta ante missas preces, quia expetit S. Pontifex, ut inquirat Vicarius tamquam ipsius Delegatus. *Vide Concil. Trid. sess. XXII. c. V.* Quod si officialis neglexerit informationem, exequatur vero dispensationem, nihilominus valet gratia, modo vera sint exposita. Utrum vero possit hic subdelegare, et concessionem gratiae committere, sive ipsam dispensationem, probabilius negatur ex c. *quoniam* 43. de Officio judicis deleg. ubi dicitur « Quoniam Ap. Sedes intendit providere negotiis, et non personis, quibus ea committuntur; si judex... a Nobis datus alii » delegaverit vices suas, cum delegato a Principe id concedatur a jure, de» legatio valebit ipsius... Caeterum... nulli, cui commissum fuerit excommu» nicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus... liceat haec » aliis demandare, quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium po» tius committitur in hac parte ». Ex quo non desunt, qui dubitant, num Episcopus ipse (nisi ipse gerat munus Vicarii) possit exequi dispensationem missam ad Vicarium, vel Officialem. Dispensationes Datariae servantur in libris officialitatis, ut quovis tempore de validitate matrimonii constet.

quia juxta axioma *a Plumbo Bulla recipit vires*. A fortiori igitur eae, quae missae jam sunt, possunt ab officialibus, caeterisve executioni mandari. In nonnullis casibus facultates suas, vacante S. Sede, exercet S. Poenitentiaria, de qua sit

CONCLUSIO TERTIA.

Sacrae Poenitentiariae facultates declarantur; modusque petendi, et exequendi dispensationes ejus exponitur.

Instar fontis patentis domui David jam inde a vetustissimis temporibus voluerunt Pontifices extare officium Poenitentiariae Ap. in ablutionem peccatorum, ait Benedictus XIV. (1), qui originem ejus exponit, atque inde facultates ejusdem ordinarias declarat, sequentibus verbis (*a*).

» I. Concedimus majori Poenitentiario nostro, ut omnes, » et singulos cujuscumque qualitatis saeculares ecclesiasticos, » regulares, laicos etc. ab omnibus, et quibuscumque cul- » pis, et criminibus quantumcumque atrocibus tam publicis » quam occultis; nec non ab omnibus censuris, et poenis, » ecclesiasticis, etiam in casibus nedum ordinariis, sed No- » bis reservatis, injuncta super iisdem pro modo culpae pœ- » nitentia salutari, et aliis, quae de jure injungenda sunt, » absolvere, et absolvi mandare possit; regulares nimirum » a culpis, et censuris in utroque foro; ecclesiasticos vero » saeculares, nec non laicos a praedictis culpis, et censu- » ris in foro conscientiae tantum (*a*).

(*a*) In citata bulla variae enarrantur formae, quas subiit Poenitentiaria sub diversis Pontificibus; summa enim auctoritas, quam habebat sub Pio IV. diminutionem passa fuit, et ulterius sub Pio V, nova forma inducta per Bullam *In omnibus 83. in Bullario Rom.* et officium ejus exoneratum quibusdam facultatibus fuit; ast, ut subdit Bened. XIV. citata Bulla, « salva » semper majoris Poenitentiarii facultate Romanum Pontificem consulendi » in quibusvis particularibus casibus; ita ut ipsi de Rom. Pontificis spe- » ciali mandato, vivae vocis oraculo desuper sibi facto, procedere asserenti » indubia fides debeat adhiberi ».

(*a*) Quando dicitur dispensationem *in foro conscientiae*, seu animae tantum valere, intelligendum est per oppositionem cum foro externo, quod dicitur *forum fori*, in quo, non obstante dispensatione seu absolutione, factum potest denuntiari, et puniri, quin possit allegari gratia Poenitentiariae. Attamen Benedictus XIV. monet, Episcopum, qui impedimentum cognosceret ex occulto factum publicum post contractum virtute dispensationis matrimonium, etsi posse procedere contra conjuges, omnino debere

(1) *Bulla* Pastor bonus *ann. 1744*.

» Eosdem vero ecclesiasticos saeculares, nec non laicos » tunc in utroque foro absolvere, et absolvi mandare pos- » sit, quando agitur de censuris publicis latis a *jure*, prae- » sertim Sedi Apostolicae reservatis, etiam nominatim decla- » ratis; vel si agatur *de latis nominatim ab homine*... quando » absolutio per judices, aut alios ad Sanctam Sedem remissa » fuerit, seu quando sic censura ligati legitime impediuntur, » quominus praesentiam judicum, vel illorum, qui eos sic » ligarunt, aut alium, seu alios, quos de jure deberent, a- » dire possint; ita tamen ut ab ejusmodi censuris ab homine » latis absoluti, in suis congruis casibus respective, judicato » paruerint.... vel quam primum potuerint, pareant, et sa- » tisfaciant; alioquin in easdem censuras reincidant.... (*a*).

» II. Super quacumque irregularitate, et inhabilitate ex » quocumque delicto etiam ex homicidio voluntario, et ex » quocumque defectu proveniente *in casibus tantum occultis*, » et in foro conscientiae tantum... possit idem Poenitentia- » rius dispensare, vel mandare dispensari ad hoc, ut ordi- » nibus initiari, vel in susceptis ministrare, et ad superiores « ascendere, ac dignitates.... et beneficia..., retinere.... nec « non ejusmodi dignitates, et beneficia (exceptis, quando « agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo exces- » su, Ecclesiis cathedralibus) etiam post delictum assequi » valeant......

» III. Titulos beneficiorum cum occulto vitio male obten- » torum convalidare... A compositione, et condonatione fru- » ctuum beneficialium.... quovis modo male perceptorum in » casibus non occultis abstineat: in occultis (*b*) vero po-

acquiescere testimonio Confessarii, qui a Poenitente requisitus de absolutione, vel dispensatione obtenta fidem facit. *Inst. 87. n. 51.*

(*a*) Factis inde pluribus distinctionibus circa haereticorum absolutionem, excipit S. Pontifex a praedictis facultatibus plures censuras, quas contraherent Principes, et Episcopi, item quicumque libertatem vel immunitatem Ecclesiae publicis excessibus violasset; in quibus circumstantiis ad ipsum Pontificem recurrere necessarium est.

(*b*) Quoniam dispensationes Poenitentiariae plerumque respiciunt casus occultos; refert inde declarare quid verbo *occultum* intelligatur. Sunt sane DD. qui tenent *occultum* esse illud, quod probari non potest. Sed alii communiter dicunt esse *occultum*, quod non est notorium, et quod potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquos testes probari possit. Occultum, inquit Navarrus, dicitur « illud quod a tam paucis scitur, ut » neque sit famosum, neque notorium notorietate juris, aut facti ». Famosum dicitur, quando in majori parte civitatis, aut loci, viciniae, vel collegii, ubi saltem sint decem personae, fama est, non scientia certa orta ex

» terit cum Gallis, Belgis.... componere vel etiam condonare,
» injuncta erogatione eleemosynae ipsius Poenitentiarii, vel
» Confessarii ab eo deputandi arbitrio limitandae; cum reli-
» quis Italis, Hispanis etc. discrete compositionem concedere
» pecuniis inde redactis arbitrio nostro erogandis; paupe-
» ribus autem, quorum inopia compositionem non admittit,
» possit condonare, injuncta pro eorum viribus eleemosyna
» modo supradicto.

» IV. Quoad mala ablata, vel retenta, quando domini
» incerti sunt, et casus occulti, partem aliquam delinquen-
» tibus pauperibus, si eorum qualitate, et necessitate pensa-
» tis ita videbitur, remittere seu condonare.... residuum ve-
» ro pauperibus distribui, vel in pia opera erogari; et qui-
» dem si fieri potest in locis, ubi illa ablata, extorta, vel
» usurpata sunt, mandare debet.

» V. Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum me-
» dicinalium, seu devotionis muneribus (sub variis conditio-
» nibus restitutionis, eleemosynae etc.) absolvere potest.

» Juramenta quaecumque, in quibus exploratum sit nul-
» lum agi cujusquam praejudicium, facultatem habeat in fo-
» ro conscientiae dumtaxat relaxandi.

» Vota simplicia quaecumque tametsi juramento confirma-
» ta, etiam religionis, castitatis, visitationis Sepulchri Do-
» minici, B. Apostolorum Petri, et Pauli, aut S. Jacobi,
» possit in alia pietatis opera dispensando commutare, etiam

praesumptionibus, et indiciis. Manifestum, quod evidenter innotescit aliquibus, et per eos fuit in publico diffusum. Idem Navarrus autem advertit, quod res poterit esse *occulta*, si in oppido nota sit quinque, aut sex personis, in civitate septem aut octo, modo ab eis non fuerit divulgata. Revera relinquitur judicio prudentium judicandum e circumstantiis loci. Notorium, quod certo constat majori parti Communitatis, parochiae etc.; et est *juris*, si per sententiam, aut confessionem in judicio habetur; *facti* cum res omnium oculis se offert. In praxi utile erit exponere Poenitentiariae, quot incolis constet locus, et quot factum noverunt.

Quod si Poenitentiaria exigat, ut factum sit *omnino occultum* v. g. ubi agitur de impedimento criminis cum machinatione mortis, si duo crimen deprehenderint, ex Bened. XIV. *omnino occultum* minime diceretur.

Demum si factum etsi publicum in alio loco, occultum sit, ubi nunc degit poenitens, ex pluribus DD. necessario exponenda est circumstantia, ne *subreptitia* habeatur dispensatio. Explicandum etiam, si factum olim publicum, factum sit lapsu temporis occultum; pariter si factum sit publicum quidem *materialiter*, non formaliter, cum scilicet ex imperitia ignoretur ex facto jam noto nasci impedimentum; affirmat Bened. XIV. *Inst.* 87. *n.* 48. illius distinctionis nullam rationem haberi in S. Poenitentiaria, quae factum ut simpliciter publicum habet.

» ad effectum contrahendi matrimonium; item votorum imple-
» mentum differre, et ab illorum transgressionibus absolve-
» re consideratis causis.... et injunctis, quae injungere Poe-
» nitentiaria consuevit (*a*) ».

» Super recitatione Divini Officii propter aliquam impossi-
» bilitatem seu moralem difficultatem, dispensandi cum com-
» mutatione in alias preces, vel alia pia opera, earumque
» seu eorum injunctione, habeat facultatem.

VI. Specialiter pro Regularibus magnae impenduntur facultates, ut non obstante quolibet defectu, possint tum suscipere ordines, tum munia, et praelaturas sui ordinis assequi, tum privilegiis uti suis; ut apostatae reconcilientur; ut gravi de causa concedatur transitus ab una ad aliam religionem, etiam ab arctiori ad laxiorem, in qua tamen vigeat regularis observantia.

« VII. In matrimoniis *contrahendis* possit major Poeniten-
» tiarius in foro conscientiae tantum super impedimentis
» *occultis*, quae *matrimonium non dirimunt*, dispensare »; ut in voto simplicis castitatis, aut sponsalibus occultis (1).

» At a dispensationibus concedendis super quocumque im-
» pedimento sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula
» licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in
» foro conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit oc-
» cultum, et periculum scandalorum immineat, in iisdem
» *matrimoniis contrahendis* abstineat »; pertinent enim haec ad Datariam.

» In *contractis* vero matrimoniis a dispensatione seu reva-
» lidatione matrimonii in gradibus primo et secundo, seu
» secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula
» *licita* etiam in occultis pariter abstineat, praeterquam si
» in secundo tantum gradu praedicto impedimentum saltem
» per decennium duraverit occultum, et oratores simul pu-
» blice contraxerint, et convixerint, et uti conjuges legitimi
» reputati fuerint.

» In tertio autem, et quarto gradibus *occultis*, in contra-
» ctis possit dispensare, atque in eisdem tertio et quarto

(*a*) Ex. gr. solet injungere Poenitentiaria iis, qui voverunt religionem ingredi, ut faciant aliqua pietatis opera ex eis praesertim, quae sunt in religione, quam ingressuri fuissent: iis qui castitatem voverunt, aliqua item pietatis opera, nonnunquam quotidiana.

(1) *Vide Bened. XIV. Inst. 87. n. 4.*

» *publicis* possit revalidare matrimonia ex causa subreptionis, et obreptionis literarum Ap. nulliter contracta, praeter- » quam si falsitas consistat in narratione praecedentis copu- » lae, quae non intercesserat ». Recurrendum namque ad Datariam, quae decepta fuit, tunc erit.

» Quod si aliqui Oratores obtinuerint a nostra *Dataria* di- » spensationem super gradu probibito in primo et secundo, » vel in secundo tantum ac in tertio vel quarto, cum reti- » centia copulae inter eos secutae, quam sine honoris detri- » mento detegere non valeant, et ratione hujus reticentiae » petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu » revalidationem jam contracti; possit idem Poenitentiarius, » si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, » seu revalidationem in foro conscientiae tantum concedere, » facta, quando agitur de primo et secundo, vel secundo tan- » tum gradu, compositione 50. ducatorum auri, ad Datariam » transmittendorum, ad effectum erogandi in eleemosynas... » nisi prior gratia expedita fuerit in forma pauperum; quo » casu etiam haec gratia similiter absque ulla compositione » expediatur »; ad facilius revalidandas literas Apostolicas potest adiri Episcopus, si sit ex illis, quibus per indulta haec facultas conceditur, quae dicitur *perinde valere*.

» Si oratores obtenta dispensatione a Dataria super impe- » dimento primi et secundi dumtaxat gradus consanguinita- » tis, seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis co- » pulae, sed tacita, occulta, et malitiosa intentione in ipsa » copula habita ad facilius obtinendam dispensationem pro » revalidatione hujusmodi dispensationis ad S. Poenitentia- » riam recurrant, possit Poenitentiarius absolute dispensare » cum miserabilibus personis; cum iis vero, qui non tam- » quam pauperes..., dispensati a Dataria fuerint, non di- » spenset, nisi soluta prius in Dataria.... taxa definienda » arbitrio Poenitentiarii, pensatis circumstantiis ». Ordinarie haec facultas communicatur Episcopis.

» Super impedimento *occulto* affinitatis ex copula illicita, » seu ex actu fornicario; quotiescumque adsit rationabilis » causa, in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis » in foro conscientiae dispensare possit.

» Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit » cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, » possit tam in contrahendis, quam in contractis dispensare ».

Idem Episcopis plerumque per indultum datur. « Si vero
» crimen fuisset utroque, vel altero machinante patratum,
» possit in occultis dispensare, raro tamen, et quando necessitas postulaverit. Facultates praefatae locum habent,
» etiamsi impedimenta multiplicia sint. Prolem, non tamen in
» adulterio conceptam, possit legitimam decernere.

» Ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad
» petendum licite debitum dispensare valeat ». Id quoque
possunt Episcopi.

» VIII. Dubia omnia in materia peccatorum, seu forum
» poenitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consi-
» lio doctorum, aut Theologorum suorum valeat declarare.

Sede autem Apostolica vacante « potest absolvere a pec-
» catis, et censuris sub certis conditionibus etc. Si quod gra-
» vius animae periculum immineat, cui celeriter occurren-
» dum videatur, re in Signatura diligenter examinata, Ma-
» jori Poenitentiario, si in conclavi degat, consulto, et ap-
» probante, dispensare valeant Poenitentiariae officiales, pro
» foro conscientiae, super illis etiam, super quibus alias vi-
» vente Pontifice inhibita sit dispensandi facultas... *Pro foro*
» *externo*, eadem Sede vacante, eorum officium conquiescat ».
praeterquam quoad aliquos casus.

Ad Poenitentiarium majorem pertinet supplere negligentiam tam Ordinariorum localium, quam Regularium Superiorum Monialium in deputationibus Confessariorum in casibus a Concil. Trid. praescriptis, aliisque recensitis in Constitutione *Pastoralis* (1).

De muneribus officialium singulorum Poenitentiariae congruens non est heic nos immorari; in eadem enim bulla, et in alia ejusdem Pontificis *In Apostolicae Poenitentiariae* (2) quae Poenitentiarii, Regentis, Correctoris, Datarii, Theologi, et Canonistae, Consultorum, Sigillatorum, Procuratorum, Scriptorum etc. sint partes, definitum habetur (*a*). Hinc potius de modo petendi, et exequendi dispensationes Poenitentiariae, breviter paucula colligemus. Et quoad primum: curet quis scribens sedulo rem exponere, ita ut verum, praesertim in motivis, allegetur: nec ulla ex circumstantiis requisitis tacea-

(*a*) Omnes Officiales jurare tenentur se praeter salarium ipsis constitutum, nihil unquam accepturos etiam gratis oblatum.

(1) *Num. 66.*

(2) *Num. 95.*

tur: item omnia, quae exigit stylus, serventur (a). Non tantum Confessarius, sed et ipse poenitens directe potest scribere, *E-min. DD. Card. Majoris Poenitentiariae; Romam.* In literis reticetur nomen illius, qui dispensationem expetit, vel fictum nomen ponitur. Sed in fine designandum est nomen, et cognomen illius, ad quem responsum mitti debet, designandus locus, quo literae mittendae etc.

Dispensatio in iis, in quibus res est omnino occulta (b), committitur *discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario, per latorem praesentium ad infrascripta, specialiter eligendo.* Unde potest etiam post missas preces novus eligi Confessarius, cui tradendae sunt literae a poenitente. Ille vero omnes clausulas literarum attente pensare debet, ut sedulo adimpleat. Harum expositio reperitur apud Bened. XIV. (1).

Et quoniam solent literae formaliter postulare, ut *audita confessione tantum dispenset; imo in ipso actu confessionis sacramentalis, et non aliter*, Confessarius in ipso tribunali exequi debet dispensationem per formulas consuetas « nul» lis adhibitis testibus, praesentibus literis laniatis, sub » poena excommunicationis latae sententiae; neque resti» tuat eas latori, quod si restituerit, nihil ei suffragetur (c) ». Quod si poenitens non sit dispositus, *curare debet Confessarius eundem recte disponere, vel si disponere nequeat in praesenti, una cum absolutione differat quoque dispensationes, nisi forte urgens necessitas suadeat easdem accelerare*: ita asserit Collet fuisse a S. Poenitentiaria responsum (2). Quod si *in utroque foro* rescriptum executioni mandatur, in foro conscientiae committi debet Confessario, ut *audita sacramentali confessione* dispenset, uti supra diximus; in Foro autem externo

(a) Puta quod nullum aliud existat forte impedimentum, vel quod aliud existat, pro quo utpote publico, apud Datariam preces missae sunt; vel quod plures simul existant irregularitates.

(b) In materiis publicis, quae facile deduci possunt ad forum Ordinarii, irregularitatibus, impedimentis, censuris solet committi executio Ordinario latricis, vel latoris, et communiter ipsi datur facultas specialiter deputandi ad dispensationem in utroque foro exequendam aliam personam ecclesiasticam, ut eam exequatur.

(c) *Item auctoritate apostolica, mihi specialiter delegata dispenso tecum etc. Votum dispensando commuto: dispenso super irregularitate, quam ex tali causa incurristi etc.* Hae formulae vero necessariae non sunt ad validitatem, sed quisque illis arbitrio suo uti potest.

(1) *Inst.* 87.

(2) *De dispens num.* 247.

declarari debet publice talem esse dispensatum, quod et publico instrumento constet, cujus mentio in publicis tabulis est conservanda. Coeterum si non fiat mentio de sacramentali confessione, externa dispensatio (ut sunt literae, quae ab Ordinario emittuntur) videtur sufficere pro utroque foro (1). Si contingat poenitentem sacrilege confiteri, valebit nihilominus dispensatio.

Coeterum antequam ad executionem deveniat Confessarius, ejus muneris est inquirere, injungere, monere. 1.° Inquirere, utrum preces veritate nitantur (etsi ipsius poenitentis assertioni debet stare, nisi constet de opposito), num existant eae conditiones generales, sine quibus Poenitentiaria non dispensat (*a*). 2.° Injungere ea, quae sunt de jure injungenda sive ex natura rei, idest, poenitentiam pro peccato, restitutionem etc. sive ex literis Poenitentiariae mandata v. g. confessionis sacramentalis frequentationem, eleemosynas; semper tamen habita consideratione subjecti quoad aetatem suam, complexionem etc. 3.° Monere de effectu absolutionis etc. et de aliis, si quae in literis indicantur (*b*).

CONCLUSIO QUARTA.

De Camerae Apostolicae, et Rotae Auditorio sermo instituitur.

Ad Tribunalia Romana pertinent Camerae Auditor, et Rotae Auditores. Horum juvat summatim officia declarare.

Auditorum genera sunt multiplicia, quibus cura demandatur causam audiendi, et examinandi, quam vero non possunt, nisi delegata facultate, definire. Auditor tamen Camerae habet jurisdictionem ordinariam, quae per obitum Papae non expirat. Judex est appellationum a sententiis per Ordinarios latis. Habet generalem facultatem procedendi contra Episcopos in quibuscumque causis etiam gravioribus, eosque puniendi; dummodo monitoria contra Episcopos ad comparendum per-

(*a*) Puta: utrum impedimenta sint occulta: utrum nullum aliud sit impedimentum etc.

(*b*) Haec intelligenda sunt de foro externo. Si haec conditio non impleretur, affirmat Collet cit. loc. num. 281. in foro interno nihilominus valere. Obligatio tamen est gravis juxta DD.

(1) *Vide Navar. Manuductio pag: 206.*

sonaliter, nonnisi praevia commissione manu Papae signata, decernat (a).

In pluribus casibus quoad Regulares procedere potest, videlicet in causis Monasteriorum subjectorum Episcopis; in causis ordinariis, et telam judiciariam requirentibus, quae vertuntur inter diversas Religiones; in litibus et causis vertentibus inter Regulares, et Saeculares sive clericos, sive laicos; in causis Praelatorum Regularium, qui Capitulis, aut Episcopis non subsunt; nec suos habent Ordinarios visitatores Regulares, sed sunt sub immediata protectione Sedis Apostolicae (b); ubi agitur de executione literarum Apostolicarum, vel Decretorum seu declarationum Congregationum, et de aliis, quas videre est ex Constit. Innocentii VIII. *Apprime*; Pii IV. *ad Eximiae*, et *Inter multiplices*; S. Pii V. *Inter illa*; et Pauli V. *Eximiae fidelitatis*.

Sacrae Rotae Tribunal constat duodecim auditoribus (c), quorum unus semper Gallus, unus Hispanus, unus Germanus, caeteri Itali. In origine Auditores Rotae erant Cappellani summi Pontificis, quibus etiam utebatur pro dandis responsis in causis praesertim beneficialibus ad Sedem Apostolicam deductis, quorum responsa plura in Decretalibus reperiuntur. Inde ex his Tribunal Pontifices erexerunt pro decisione talium causarum.

Causae super foedere Matrimonii, et nullitate Professionis Regularis ex Bened. XIV. (1) privative spectant vel ad Congregationem Concilii, vel ad Auditorum Rotae jurisdictionem, quibus, quae aliae causae subsint, videre licet ex Constitutionibus *Ratio juris* Joann. XXII. *In Apostolicae* Martini V.; *Romani Pontificis* Sixti IV.; *Auditores Rotae* Innocentii XII, aliorumque.

Maxima demum privilegia habent, inter quae numerantur Altare portatile; ministrare in officio Subdiaconorum Pontifici solemniter celebranti, aliaque ex citatis, aliisque Summorum Pontificum bullis.

(a) Non potest tamen de causis ecclesiasticorum cognoscere in prima instantia; sicut nec cognoscit causas in Beneficialibus.

(b) Nunquam tamen procedere potest in causis Regularium, in quibus agitur de disciplina, et morum correctione, neque in prima instantia, in causis Regularium ejusdem ordinis.

(c) Cum causae in orbem, seu *turnum*, ut ajunt, coeperint examinari ab istis in orbem sedentibus, ex figura consessus orbicularis fuit huic Tribunali, seu Auditorio nomen *Rotae* addictum.

(1) *Tom. 2. Const. 21.* Justitiae.

EPITOME

DE STATU ECCLESIARUM A PRIMORDIIS SUIS, DEQUE VICISSITUDINIBUS CANONUM EARUM.

De collectionibus canonum, quantum instituti ratio patiebatur, initio hujus secundi libri satis actum videtur. Nunc horum vicissitudines a vario statu Ecclesiarum, non inutile ducimus aperire. Inde enim quae antiquitus statuta, quaeque recenter inducta, habita ratione temporum, et morum, non solum facilius exponi, et applicari, sed et componi inter sese possunt; imo a pseudo-politicorum aberrationibus expeditius vindicantur, a quibus plura tamquam nova, intolerabilia, et contraria Ecclesiae institutioni carpuntur. Siquidem ab uno spiritu ducta Ecclesia, etsi exteriori forma mutatam videndam se dedit, salva semper ejus substantia; errorum victricem se exhibuit, invincibiliter Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam variis suis quandoque, et distinctis legibus, variis in locis, distinctisque temporibus.

CONCLUSIO PRIMA.

E trium praesertim primorum saeculorum Ecclesiae statu forma sacri juris illorum temporum evincitur.

Ecclesia Christi est catholica. Hinc Paulus a primordiis ejus scribens ad Romanos potuit testari: *Fides vestra annuntiatur universo mundo* (1). Re quidem vera Apostoli non solum Hierosolymis, ubi omnes convenire opus erat, et regionibus ejus praedicavere Evangelium, sed et tot aliis in locis, ut ipse Paulus ad Romanos dicere non dubitaverit (2): *Numquid non audierunt? et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (a). Ipsa fuit Christiana Religio,

(a) Post enim Hierosolymam, ubi disseminare coeperunt Evangelium, et Judaeam, Syriam, Asiam, Graeciam, Macedoniam, Insulas, Aegyptum illustrarunt et Occidentem, ac praecipue Romam, quae magistra erroris, inde discipula veritatis facta fuit, non exclusa nostra Neapoli, quae a Principe Apostolorum ipsam Romam petente semel atque iterum lustrata fuit, et fidem ab eo accepisse gloriatur, uti ex vetustissimis traditionibus patet. Nec

(1) *I. 8.* (2) *X. 18.*

quae vel miraculis innumeris, vel sine miraculis propagines suas moribus saeculorum adversas, hominumque vitiis contradicentes, omnium miraculorum maximo miraculo ubique gentium extendit. Ipsa persecutio, quae concitata contra eandem religionem a saeculi Potestatibus sanguine Martyrum semen Christianorum fudit, divinam declaravit, et celebriorem reddidit, ut ex omni orbe recte conclamatum sit illud Psalmi: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (a).

Apostolorum, ac decessorum suorum zelus, primigenia Christifidelium caritas, et tyrannorum persecutio, qualis fuerit primus Ecclesiae, atque juris ejusdem status, facile nobis dicunt; Ecclesiae enim illa tempestate Evangelio, voce, usu regebantur, quibus Apostoli ipsi, et Episcopi eorumdem successores, etiam quae politicam sacram spectabant, tunc temporis tradidere. Proindeque tam arcte cum omnibus, quae Ecclesiam respiciebant, jus sacrum connexum erat, ut quamvis certae scientiae ac disciplinae particularis materiam praeberet, difficile tamen non esset ex ipso rerum usu ac consideratione, ea cognoscere, quae in casibus particularibus regulam offerrent (1).

Hoc tamen nec ita intelligendum est, ut per idem illud tempus controversiae excitatae nullæ fuerint in Ecclesia, et Episcopi nunquam conventus habuerint ad sedendas illas. Praeter tres Synodos etenim Apostolorum Hierosolymis habitas ad res Ecclesiae pertractandas, non defuere Synodi Episcoporum altero exeunte saeculo, et Provinciales, Nationalesque, puta: Romana sub Victore; Gallica sive Lugdunensis sub Irae-

mirum, si diffusum ubique Evangelium fuerit ipsa Apostolorum aetate; ipsi enim, qui diutius in principibus urbibus singularum provinciarum morari solebant, in illis Episcopum praeficere curabant, cui in minoribus civitatibus fidei propagandae onus relinquebant. Hinc et II. et III. saeculo in Hispania quoque, in Gallia, in Britannia, et superioribus Rheni partibus Christiana Religio disseminata fuerat.

(a) Unam Romam prae omnibus sufficit in testimonium revocare, quae cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; quaeque etsi religiones simul cum populis, qui ejus potestati erant obnoxii, tamquam propria instituta receperat, tamen eas solum tolerabat, quae publice observarentur. Quapropter legibus, ac ferro exterminandam censuit Christianam Religionem, quia et a Judaeis aliena, et patriis sacrificiis, ac Imperatorum honoribus ac juramento, quod illorum genio, ac fortunae praestabatur, romanos avocare videretur.

(1) *Vide, quae antea dicta sunt de origine juris sacri.*

neo; Pontica; et Hieropolitana adversus Montanum inter caeteras. Tertio vero saeculo praeter alias adversus haereses Berylli, et Pauli Samosateni coactas Synodos, fuit Africana in quaestione de baptismo haereticorum, et tres Carthaginenses sub Cypriano, ubi rebaptizantium error probatus, at a Synodo simul Romana sub Stephano Papa, Apostolica Traditione damnatus. Item in quaestione de Lapsis adversus Libellaticos, ac Novatianos, celebratae plures Synodi fuere Romae, Carthagine, atque una etiam plenaria totius Africae. Harum aliqua ad nos tantum fragmenta pervenere.

Data demum a Constantino pace, et deorum cultu damnato, a persecutionibus libera fuit Ecclesia, atque adepta sacrarum legum tutela, politia sacra ampliorem veluti ordinem accepit, et maxime omnium Episcopis licuit quam saepissime convenire in unum. Unde quatuor priora Concilia Oecumenica celebrata fuere: Religio Christiana interim et in Aethiopia ann. 355., in Scotia, et Hibernia ann. 430. jam propagata fuit. Et ne denique incerta vagarentur praecepta disciplinae, ut quae tradita, et non scripta erant, neve oblivioni mandarentur, in Oriente primum, sicuti in usu et consuetudine Ecclesiarum reperiebatur, brevibus sententiis, et canonibus scripto tradi coepta sunt. Inde origo collectionum canonum, quorum antiquissima omnium est collectio Canonum Apostolorum, de quibus diximus antea.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ab ortis, lateque diffusis haeresibus Nestorii praesertim, et Eutichetis, Ecclesiae Orientis status declaratur (a).

Cum Oriens, totaque Asia ab Antiocheno Patriarcha regebatur, ab eo defecerunt Primates Persidis, et Seleuciae, Nestorii haeresi infecti. Primas Seleuciae sive Catholicus vindi-

(a) Cum de diversis Ecclesiis sermo sit instituendus, praemittendum putamus, quod cum omnes Ecclesiae a Romana divulsae unitatem amiserint, fieri non possit, ut sub uno nomine communi ac positivo designentur. Quamdiu in universo orbe Roma, et Constantinopolis eminebant, Ecclesiae divisio, natura sua, Imperii divisioni congruebat; et Ecclesia dicebatur Occidentis, aut Orientis, eodem modo ac Imperatores alter Occidentis, alter Orientis appellabatur. Est tamen illud animadvertendum, quod falsa esset ista appellatio Orientis, atque Occidentis Ecclesiae, si hujusmodi Ecclesiae licet unam eandemque profiterentur fidem, non essent tamen sub primatu unius

cavit sibi Patriarchalem dignitatem, et Primatem Persidis suo regimini subjecit. Inde ortum habuit Patriarchatus Nestorianus sive Chaldeorum, qui usque adhuc perdurat. Adhæc qui eidem Patriarchaé Antiocheno subditi erant Primates Armeni, et Iberi, post Chalcedonense Concilium amplexi sunt errorem Eutichetis, et ab unitate Ecclesiae se separarunt. Armeni evexerunt ad Patriarchalem dignitatem Catholicum suum Primatem, et in schisma divisi, alterum in Armenia majore, ubi ille Catholicus residebat, alterum in Cilicia sibi crearunt Patriarcham. Iberi usque ad Mauritii Imp. tempora fide, et ritu conjuncti fuere, dein Graecis adhaeserunt.

Caeterum Patriarchatus Antiochenus non haec schismata tantum passus; siquidem Severo deposito an. 518. ob haeresim Eutichianam, quam professus fuit, ipsius asseclae, indito sibi nomine Jacobitarum, Patriarchas diversos ab illis, qui catholicum antistitem exceperunt, in Mesopotamia, et Syria habuerunt. Hujus vero et Phœniciae Incolae, qui sub uno eodemque Patriarcha erant, centum fere post annos in duas partes civiles, exordio ann. 622. divisi in Syros Maronitas, qui proprium sibi ducem crearunt ab Imperatore deficientes; et in Syros Melchitas, qui Imperatori Constantinopolitano parebant, utrique dein proprios habuerunt Patriarchas.

Magna inde Orientis pars ab Ecclesia catholica secessit, et ab ortis haeresibus Nestorii, et Eutichetis, Antiochenus Pa-

capitis copulatae; secus, catholicum nomen haudquaquam illis convenisset. Hinc patet, quod Ecclesiae a Romana separatae, commune nomen non amplius habeant, nec aliter indicari possint, quam nomine, ut ajunt, negativo; quo non quod ipsae sint, sed quod non sint, declaratur, ut doctus Le Maistre advertit; atque sub hac negativa ratione inspectae solo Protestantium Ecclesiarum nomine donari possunt. Sic enim contra unitatem protestatas fuisse significatur. Hinc etiam appellari possunt ex. gr. Photianae, Lutheranae, Calvinisticae, propterea quod haec nomina indicant diversas species *Protestantismi*. At nunquam licebit nomen invenire illis commune, quod sit positivum, exprimatque unitatem, ac proinde veritatem. Nomen potius cerebrosum excogitari poterit quo qualitates, quibus destituuntur, haud exprimantur, quale esset nomen Ecclesiarum Reformatarum, Evangelicarum, Anglicanarum, Orthodoxarum etc. ut quisque videt. Nec abs re erit animadvertere illud, quod omnes Sectae habeant duo nomina: alterum, quod unaquaeque sibi vindicat, alterum, quod ab aliis tribuitur ex. gr. Ecclesiae Photianae, quae sibi nomen Orthodoxarum arrogant, ab aliis dicuntur schismaticae, graecae, Orientales. Priores reformatores *Evangelici* voluerunt dici, posteriores *reformati*; sed qui ad eorum sectam non pertinent, Lutheranos, Calvinistas appellant. Sic etiam Anglicani se apostolicos dixere; sed hoc nomine universae Europae, et ipsi Britanniae risum movere.

triarchatus inde divisus Patriarchas inter Chaldeum, Nestorianum, et Catholicum; Syrum Maronitarum Catholicum; Graecum Schismaticum.

Sedes interim Alexandrina in Africa pariter infecta haeresi Monophisitarum, habuit exinde Patriarchas Jacobiticos, qui sibi Cophtos, Aethiopes, et Nubas subjecerunt, salva parte tamen ipsius Africae, quam Justinianus Imp. Vandalis Arianis eripuit, et paci, ac libertati Ecclesiae restituit. Ast Sedes Romana iis, qui ex illis sectis ad Ecclesiam rediere, proprios Patriarchas non destitit concedere. Demum hisce ferme temporibus Persae Syriam, et Palestinam, ann. scilicet 614. occuparunt, sed Mox Arabibus cesserunt ann. 666. qui capta Aegypto ann. 707. totam quoque Africam Christianam sibi subdiderunt (a).

Canones vero quod spectat, praeter illos graecis collectionibus comprehensos, de quibus antea sermo fuit (1), Orientales sectae adhibebant Patriarcharum Constitutiones, praesertim eas, quas in Synodis suis edidere. Inter collectiones, quibus usi sunt, excellit, quae ab Elia Damasceno Nestorianorum Metropolita edita fuit an. 803. qui in duas partes divisit nomo-canonem, alteram occidentalium: alteram orientalium sive Nestorianorum Patriarcharum canonibus adornatam.

Nec denique praetereat nos, quod Episcopi, et Patriarchae eadem tempestate dirimere solebant causas Christianorum inter se litigantium ex communi disciplina, confirmata variis privilegiis Caliipharum, et Sultanorum: hinc de rebus civilibus Constitutiones tulerunt, in quibus et Musulmanorum legibus se accomodarunt, et leges Imperatorum christianorum secuti sunt. Caeterum jus civile Ecclesia pro necessitate ex consuetis collectionibus, et ex Codice Theodosiano hausit, sicut postea inter alia ex Pandectis, Institutionibus, et ex Justiniani Codice; ubi praeterea, sicut et in Novellis ejusdem, et aliorum Impp. plurimae sunt leges, quae de rebus Ecclesiasticis agunt.

(a) Ab imperio Romano Septentrionales provinciae subtractae sunt, et a Servianis invadentibus Moesiam superiorem Christiana Religio invecta est. Post fundatum vero regnum a Bulgaris in Moesia inferiori fidem et ipsi amplexi sunt, et sub Patriarchatu Cpolitano vixerunt.

(1) *Vide Assemanium in biblioth. t. 3. p. 2. c. VI. et alibi.*

CONCLUSIO TERTIA.

Processus schismatis Ecclesiae graecae describitur.

Tribus Oecumenicis conciliis obviam ivit Ecclesia religiosis disputationibus, dissidiisque graecorum, nimirum Constantinopolitano II. ann. 553. et III. ann. 680., et Nicaeno II. ann. 787. Ast Imperatorum studium se immiscendi in res religionis, necnon Patriarcharum vecordia magis ac magis schisma graecorum promovere. Insuper ob nomen Episcopi universalis a Patriarcha Joanne arrogatum, ob depositionem Ignatii, et Photium in ejus loco suffectum, iterumque in eamdem sedem restitutum post mortem illius, qui denuo occupaverat Sedem suam, idem schisma adeo invasit, ut procrastinari aliquando visum fuerit, sed extingui amplius non potuerit (*a*).

Michael Cærularius Patriarcha C. P. lites, quae aliquó intervallo temporis sopitae videbantur, resuscitavit an. 1083. carpens maleferiatus homo Ecclesiam latinam erroribus tum in doctrina, tum in usibus ejus. Pontificis Legati solida defensione refutarunt injustas illius criminationes, et operam suam adjecit Imperator ad pacem restituendam; ast saeculo XII. magno cum ardore disputationibus non cessantibus, Schisma penitus inductum fuit; quamvis Graeci in II. Lugdunensi concilio concordiam inierint sub Gregorio X. quae tamen post X. annorum spatium rupta iterum fuit (*b*).

(*a*) Photius in unitate Ecclesiae natus, summam Rom. Pontificis auctoritatem adeo bene noverat, ut a Papa vehementer rogaverit *Patriarchae Oecumenici* titulum, qui titulus, statim ac non uni tantum convenit, absurdus est, nec alia fuit causa rumpendi amicitiam cum Romano Pontifice, quam illum magnificum titulum, quem adeo expetebat, obtinere nequivisse. Graeci itaque non ratione dogmatis a nobis desciverunt. Superbia tamen, quae causa fuerat schismatis, effecit, ut postea ab ipsis dogma impeteretur. Photius quidem contra processionem Spiritus Sancti cum latinis pugnaverat; sed Ecclesia Graeca tunc non erat a latina omnino separata. Quaestiones tamen, animorumque offensiones, quae ex disputationibus oriri solent, id Caerularii aetate perfecere.

(*b*) Caerularii opera Constantinopoli latinae Ecclesiae templa clausa fuere, atque in opere hujus schismatis fundamentali a Niceta Pittorato composito latinis objicitur, quod Judaeos imitentur in cultu Sabbati, in usu panis azymi, et cantu *alleluja*, quadragesimae tempore. His criminationibus postea etiam additum est, quod latini barbam tonderent, et coelibatum in sacris ministris requirerent, aliaque id genus. *Maimburg. istoria dello scisma dei*

Saeculo XIV. Graeci, cum valde incursionibus Turcarum premerentur, ad unitatem redire etiam tentarunt. Ipse Patriarcha ann. 1367. et Imperator ann. 1369. Romam hac de causa venerunt; Monachorum tamen, et populi resistentia, omnia reddidit inutilia. Feliciorem exitum habere videbatur unio tentata prius in Concil. Ferrariae ann. 1438. Florentiae dein ann. 1439. sub Eugenio celebratis: advenerunt sane ibi Joannes Palaeologus, et Joseph Patriarcha: disputarunt viri ex utraque parte doctissimi: unio graecae, et latinae Ecclesiae decreta est: Patriarcha interim post breve tempus mortuo, Graecisque reversis in patriam, iterum novus Patriarcha cum maxima parte Episcoporum schisma induxit. Exinde alii sunt ex Graecis conjuncti catholicae Ecclesiae; alii schismatici distinguuntur; occupato demum a Turcis orientali imperio ann. 1433., conservatae sunt externae Ecclesiae institutiones, sed sterilis prorsus, et exanimis illa inde visa fuit absque Ecclesiae Catholicae communione.

Patriarcha autem schismaticus nullam nunc temporis exercere valet jurisdictionem, nisi a Sultano sit confirmatus: unde ejus potius minister, quam Chsisti Domini est habendus. Quod sine simoniae labe nunquam factum videtur; ut confirmationem enim habeat, ei solvere tenetur ingentem saepe pecuniam, quam ab Episcopis suffraganeis, atque hi a fidelibus vi, atque fraudibus extorquere mos est. In tantum malorum, et ignominiae barathrum prolapsi propter schisma utinam saperent, et intelligerent! Vide Ricaut *Histoir. de l' etat present de l' Eglise Grecque*; qui caute tamen est legendus.

Non mediocris vero spes affulget novae unionis cum vera Christi Ecclesia; qua de re legendi Annales *Propagationis fidei.*

Greci lib. 3. ob quae sic Voltaire exclamavit: o insulsae rationes concordiam Orientem inter, et Occidentem rumpendi! *Saggio sui costumi tom. 1. cap. 31.* Graeci initio dixere primatum Romanae Sedis (quem negare non poterant) non a Dei, sed Imperatorum auctoritate proficisci: translato Constantinopolim imperio, primatum Pontificum esse extinctum erectione novi imperii, nulla injecta mentione de Barbarorum incursione, qui illud everterunt. Solummodo temporis progressu, atque ut suum schisma excusarent, eo progressi sunt, ut assererent, Romam suum jus amisisse ob haeresim de processione Spiritus Sancti. *Maimburg. ibid. lib. 3.*

CONCLUSIO QUARTA.

Status Ruthenae Ecclesiae, et Jus suum describitur.

Religione Christiana ex Oriente propagata, Ruthenorum gens converti coepit. Waldemiro eorum rege Christiano facto, illi Episcopos, et Metropolitam accepere, qui Kioviae Sedem fixit, et Patriarchae Constantinopolitano subditus erat. Ann. 1240. a Tartaribus subjiciebantur Principes Ruthenorum; et illorum imperio quamvis premerentur, nihilominus in constitutione suae Ecclesiae tam parum mutati sunt, ut potius novi juris fontes in dies accederent illis, qui jam erant recepti, quam mutarentur antiqui, et verisimiliter cum aliis Ecclesiae graecae ac schismaticae institutionibus, etiam Photii collectio in hac recepta fuit Ecclesia.

Plura dein in conciliis particularibus constituta sunt eis, quibus et fori usus stabilitus, et ordinatus est. Principes eorum etiam plures constitutiones magni momenti pro Ecclesia ediderunt, quae tamen in sua primaeva forma conservatae non sunt. Continetur inde jus Ruthenorum receptis Ecclesiae Graecae collectionibus, Synodorum nationalium decretis, nec non Principum constitutionibus. Collectiones propriae non defuerunt eis, et praesertim illa, de qua Bienerus agit (1), quae sub Imp. Alexio, et Patriarcha Josepho typis excusa est ann. 1644. Moscoviae, et denuo ann. 1787. 1816. ac inscribitur *Kormezaia Kniga*, idest liber gubernatoris. In ea collectione plurima loca conviciis, et calumniis in latinos abundant.

A Tartarorum jugo se liberarunt Rutheni ann. 1481. In hoc tamen non abs re erit monere, quod ultimi gentilium septentrionis populi, Persiani scilicet, et Lithuani tum prædicatione, tum occupatione ad Christi fidem conversi sint. Saeculo XVI. orti novi coetus Protestantium, tot Ecclesias effecerunt, quot nationes novatorum novos amplexæ fuere errores. Caeterum ann. 1589., Moscoviae novus erectus est Patriarchatus, disrupto omni vinculo subjectionis cum Patriarcha Constantinopolitano.

Tandem Petrus Magnus Imp. ann. 1721. Patriarchatum Moscoviensem extinxit, atque sanctam, uti vocant, Synodum, tamquam perpetuum sub Imperatore senatum ad res Eccle-

(1) *In op. de collect. can. Eccl. Graec.*

siae providendas instituit : Synodi non amplius celebratae fuere , sed multae constitutiones imperiales editae sunt (*a*).

In Russia Ecclesiae catholicae jura ex decretis desumuntur, quae ann, 1769. 1772. 1782. 1789. edita sunt. Ibi exteris publicus , et liber est religionis cultus , nec religionis causa a publicis muneribus excluduntur : ast nemo ab Ecclesia orthodoxa seu rutheno-graeca ad aliam transire potest.

Haec decreta alia decreta sequuta fuere , quae qua palam, qua secreto Catholicam religionem insectantur. Novissime vero omnes moti sunt lapides , ut in schisma Ruthenorum gens illa miserrime laberetur. Hinc Summus Pontifex Gregorius XVI. felicissimae recordationis , *illatam Catholicae Ecclesiae tali facinore injuriam gravissime* exprobavit , ut ejus verbis utar , allocutione in Consist. 22. Nov. 1839. et nuperrime in Consist. 22. Jul. 1842. Qua de re legendum Diarium , cui nomen *la scienza , e la fede* , Augusti 1842. , ubi omnia referuntur , quae ad Ecclesiae illius statum pertinent.

CONCLUSIO QUINTA.

De occidentalis Ecclesiae statu in universum disseritur.

Statu Orientis Ecclesiae excusso , ordo rerum postulat, ut, qualis fuerit status Ecclesiae Occidentis , videamus. Sane ab Hierosolymis ortum inde suum primum duxit Christiana Religio , ibique primi cultores ejus fuerunt. Ast nunquam ob id paralogismo Photiano suffragari in animo quis fingat , quod ex antiquitate Ecclesiae Orientis primatus sic ei conveniat , contra primatum Romanae Ecclesiæ proprium. Haec au-

(*a*) Hic ipse Imperator ineunte proximo superiore saeculo catechismum omnia dogmata ab ipso adprobata continentem , in usum suorum subditorum , typis mandandum curavit. Hic liber ann. 1725. in Anglicam linguam versus est ; nec id mirum alicui esse debet ; quandoquidem omnis societas a catholica Religione divulsa signis suis hoc inscriptum praesefert ; *Amicus mihi quicumque Romae hostis est.* Veritas per se evidens (quam iterum revocare in mentem libet) , utique est illa, quod omnis Ecclesia non catholica, sit *Protestans*; et quicumque in fide non communicat cum Romano Pontifice, sit etiam Protestans , aut quam primum erit. Summus Pontifex est Christianae Religionis necessaria basis , et cum Papae primatus sit velut primarium dogma , sine quo Christiana Religio stare nequit , omnes Ecclesiae hoc dogma rejicentes , cujus necessitatem ipsae sibi occultant , inter se amice conspirant , licet id nesciant.

tem, jam saec. XII. ad finem vergente, nullam pene Europae gentem paganis ritibus addictam amplius vidit. Ast illi, qui postea rerum potiti sunt, necnon animorum perturbationes, cupiditatesque, produxerunt schismata, et haereses in ea, sicut in Oriente evenit. Dogmata inde novata, disciplina ferme destructa omnino fuit perturbationibus, atque adsentationibus, quibus expeditam viam erroribus sibi fecerunt schismata, quibus ad incitas redacta Ecclesia visa est. Tunc arbitraria agendi ratio, abusus plurimi, disciplinae corruptio, et alia monstra consuetudinis prodiere. Generales dein editae fuere leges, et IV. Concilio Lateran. an. 1215. I. et II. Lugdunensi ann. 1245. 1274. et Viennensi ann. 1311. quibus obviam ivit Ecclesia abusibus illorum temporum, haeresibus pullulantibus, et maxime disciplinae providit. Hoc ipsum efficere conata est Conciliis Florentino ann. 1438., Lateranensi V. ann. 1512. demum et omnium maxime Tridentino ann. 1545. quod effrenis cupiditatibus, libidinibusque Lutheri sacram ipsam civilemque potestatem temere inficiantis, et Calvino homini maleferiato hoc ipsum foventi occurrit, erroresque ipsorum damnavit. Novi interim Protestantium ex his cœtus orti sunt, qui cum omni unitatis principio renunciarent, non unum corpus, sed tot a se invicem non dependentes Ecclesias statuerunt, quot coetus Novatorum errores amplexi sunt discrepantes (*a*).

Haec de Ecclesiarum Occidentis universo statu sint satis. De statu omnium particularium Ecclesiarum heic non agendum putamus, sed tantum celebriorum, Germanicae scilicet, Anglicae, Gallicae, Italicae, ad eas videlicet nationes pertinentium, in quas Concilium Constantiense divisum fuit, nec non Hispanicae, quae postea illis accessit.

(*a*) Protestantes verbum Dei tamquam juris Ecclesiastici fontem agnoscunt: illud vero ex Sacra Scriptura hauriendum esse contendunt. Insuper libros, quos vocant symbolicos, admittunt, qui Germanico sermone editi sunt sub titulis *Concordia*: hi tum pro Lutheranis, tum pro Reformatis in collectiones redacti sunt.

Habent Lutherani confessionem, quae Augustae ann. 1530. Carolo V. imperatori oblata fuerat, et apologiam a Melanchtone ann. 1531. conscriptam. Insuper habent editos Catechismos, articulos Smalcaldae ann. 1537. et formulam Concordiae ann. 1577. editam servant.

Calvini asseclae in Germania habent confessionem a Civitatibus Argentoratensi, Constantiensi, Drusomagensi, ac Lindaviensi ann. 1530. Imperatori oblatam; catechismum Heidelbergensem ann. 1563. ac Sigismundi Brandeburgensis confessionem ann. 1613. In Helvetia diversae confessiones edi-

CONCLUSIO SEXTA.

Germaniae Ecclesiae origine, vicissitudinibusque enucleatis, ejus status declaratur.

Bonifacius Moguntiae Archiepiscopus erectis in interiore Germania Monasteriis, et Episcopatibus, Ecclesiam Christi in illis regionibus statuit. Haec autem circa medium saeculum nonum jam in omnibus plagis ejus suas fixerat radices (a). Quoniam vero prima tempestate hujus Ecclesiae, Germania magna ex parte Francorum erat, canonibus conciliorum eorumdem Francorum quoad jus municipale utebatur. Dissociata dein ab iis, leges accepit faventes regimini sacro ab Imperatoribus suis. Fridericus II. ann. 1213. auream, uti dicunt suam bullam edidit, et duas alias Constitutiones, quarum una Ecclesiae libertatem, altera Principum ecclesiasticorum jura sancivit. Carolus autem IV. ann. 1359. et 1377. duabus aliis legibus eadem jura confirmavit, ampliavitque.

Saeculo dein XV. schismate infausto, uti notavimus antea,

tae sunt ab annis 1530. ad 1675. In Hollandia ann. 1571. confessio, sic dicta Belgica evulgata est. Habent et Galli, et Scoti proprias confessiones ann. 1559. et 1560. editas.

Praeter hos communes fontes juris Protestantium, plurima in diversis regnis de rebus ecclesiasticis statuta sunt. In Germania tum ex imperii, et singulorum regnorum legibus, tum ex statutis Ecclesiarum, ex usu fori, et consuetudine desumpta tenent.

Ex jure romano, et canonico, ex jure comuni regni, et ex comitiorum, seu parlamentorum decretis jus Anglorum compositum est. Praecipua vero praesentis Ecclesiae anglicanae statuta inveniuntur in *articulis*, qui sub Regina Elisabetha ann. 1562. compositi, et ann. 1571. a comitiis approbati sunt; dein in *libro canonum* seu constitutionum Ecclesiarum ann. 1597. editi sunt, in 141. canonibus concilii Londinensis ann. 1603. et concil. Dublinensis ann. 1634. nec non in illis, qui ann. 1640. contra catholicos editi sunt.

In Dania res Ecclesiasticae regiis tantummodo decretis dispositae sunt. Eodem modo in Norvegia jus sacrum est receptum.

(a) Inde intra centum annos subsequentes, Missionum, et Principum ope inter Bohemos, Wenedos, et Polonos propagata fuit Religio Christiana. Apud Hungaros quoque, Stephani primi illorum Regis studio, et opera ann. 997-1038. Ecclesiae res stabilitae, et auctae sunt. In Dania, in Svecia, ac Norvegia ancipiti primum fortuna Christiana fides nuntiata est; undecimo vero saeculo, et deinceps non solum in illis regionibus dominari coepit, sed ex Norvegia in Islandiam quoque, ac in Groenlandiam allata est. Serius Pomerani ann. nempe 1126. Phinni ann. 1157. necnon Slavi, et Wenedi, qui Baltico mari adjacebant ann. 1168.; denique et Livonii ann. 1186. ad fidem conversi sunt.

perturbatis rebus Ecclesiae, et pro privilegiis, ac libertatibus suis etiam in Constantiensi concilio disceptatis, quantum animi Germanorum exacerbati fuerint, tempore concilii Basileensis manifeste apparuit (*a*).

Imperator interim Vindobonae cum Nicolai V. legatis pactum iniit (1), quod ad verbum pene ex pactis Constantiensibus desumptum, Sedi Romanae plura, eaque potiora jura servavit (2). Hoc vero pactum etsi non statim pro universo imperio vim legis obtinuerat, particularibus mox initis conventionibus juxta mentem Pontificis in peculiaribus dioecesibus evulgatum fuit. Progressu denique temporis factum, ut pactum idem tamquam Germaniae Ecclesiae lex fundamentalis haberetur. Dein multae regiones Germaniae ipsius ob illam magnam defectionem in Europa, quam vulgo, sed immerito reformationem vocant, ab Ecclesia catholica sese separaverunt, novasque sectantes doctrinas, novam ecclesiastici regiminis formam sibi statuerunt. Novae inde, et plures pacis conventiones initae fuere, quibus dum novae Protestantium sectae publica civitatis jura tribuerentur, Ecclesiae Catholicae bona, ac jura erepta sunt (*b*). Ast constitutio Ecclesiae catholicae licet sit impugnata ac turbata ab illis, nullam tamen passa est mutationem quoad ea, quae interna instituta saltem ipsius respiciunt.

(*a*) In controversia siquidem Eugenii cum Patribus concilii Electores quamquam primum declarassent, se fervente lite neutrius partes sectaturos fore, dein tamen in comitiis Moguntiae *26. Mart. 1439.* habitis, certum Basileensium decretorum numerum solemniter receperunt, atque in alio conventu Francofurti celebrato *21. Mart. 1446.* ausi sunt statuere, se etiam contra Imperatoris voluntatem concilio Basileensi adhaesuros, nisi Eugenius recepta jam Moguntiae decreta adprobaret, quod et legatione Romam missa Pontifici declararunt. Adlaborantibus Friderico III. imperatore, et Aenea Sylvio, qui ipsi a secretis erat, sese contentos fore promiserunt, si Eugenius recepta decreta saltem sub conditione probaret; quod cum ipsi nuntiatum fuisset, morti jam proximus quatuor edidit bullas, quibus eorum votis obsecundavit, dummodo pro juribus, quibus renunciaret, legitima compensatio ipsi decerneretur, nihilque in toto negotio actum fuisset, quod veritati, Ecclesiae, aut apostolicae Sedi detrimentum inferre posset. *Bullae istae vulgo Concordata Principum nominantur; primo excusae sunt in annalibus Oderici Raynaldi.*

(*b*) Hujusmodi est Conventio Passariae an. 1552. catholicos inter, et Protestantes inita, quam mox alia, dicta vulgo *Pax Religiosa*, subsecuta est ann. 1555.; talis est etiam Pax Westphalica ann. 1648. At contra omnia, quae acta fuere in perniciem Ecclesiae catholicae, protestati sunt Summi Pontifices.

(1) *Vocabatur hoc pactum, recessus Aschaffenburgensis.*

(2) *17. Feb. 1448.*

Ad haec ex bello, quod inter Imperium exarsit, ac Rempublicam Gallicanam, plurima damna est perpessa Germanica Ecclesia. Laici Principes tunc occuparunt bona, ac principatus ejus; in multis restricta ac impedita fuit administratio dioecesum; Moguntina Sedes metropolitana ann. 1805. consentiente tamen Pontifice, translata est Reginum, orientalis Rheni tractu cum Regno Galliae conjuncto; et Episcopi omnes, qui antea Moguntino, Salisburgensi, Trevirensi, et Coloniensi Archiepiscopis suberant, illi Sedi subjecti sunt.

Anno demum 1814. devicto Napoleone, omnia tum in pristinum restitui, tum novis institutionibus ordinari coeperunt. Pius Papa VII. immortalis memoriae in suam ditionem a qua expulsus fuerat, restitutus, ad ordinandas diversarum regionum res ecclesiasticas, non modo cum Principibus Catholicis, sed et cum heterodoxis, quibus catholici Germaniae subjiciebantur, conventiones et pacta solemnia inivit, per quæ disciplina catholica pro viribus ordinata, et jura sacra stabilita fuere. Qui prius cum Bavariae rege pactis absolutis ann. 1817. necnon et bulla, collatis consiliis cum Rege Prussiae, edita (1), quae incipit *De salute animarum*, catholicorum res quoque in ditionibus illius regis commorantium ordinavit; eodem anno die 15. Augusti aliam emisit bullam, quae incipit *Provida solersque*, quaeque catholicis, diversis Germaniae Principibus Protestantibus subditis, revera provideret; quod Leo XII. insuper illius successor ann. 1827. bulla, quae incipit *ad Dominici gregis custodiam*, perfecit; sicut et Bulla *Impensa Rom. Pontificum*, ecclesiasticas res composuerat idem Pontifex pro Regno Hannoverensi.

In Austria, et in aliis regnis cum ipsa conjunctis, non solum Graecis unitis jam saec. XVII. sed et Protestantibus Augustanae, et Helveticae confessionis, Josephi II. edicto ann. 1781. liberum religionis exercitium, omniumque civilium, et publicorum jurium communio concessa sunt: aliae vero sectae non tolerantur. Ex Helvetiae Districtis duodecim catholicam, sex Reformatam, sex alii diversas religiones profitentur.

(1) *Ann. 1821.*

CONCLUSIO SEPTIMA.

Status Britanniae sacer strictim indicatur.

Jam a saeculo II., et III. coetus Christianorum in Britannia institutos reperimus, Religionemque Christianam per missionarios Romanos prolatam ab ann. 596. in regnis Anglosaxonum; et ab ann. 449. in Britannia ipsa jam fundatam.

Provincialibus maxime Synodis disciplina ibi ordinata fuit; et Reges ob suam erga Ecclesiam reverentiam, plures, ac magni momenti leges tulerunt, quibus non parum roboris illi accessit (*a*). Acceptis dein Dionisyanis collectionibus, Theodorus Arch. Cantuariensis VII. saeculo, capitularia adornavit, in quibus praecipua disciplinae capita notavit numero 169. Saeculo VIII. Egbertus Archid. Eboracensis, magnam insuper collectionem redegit ex obviis fontibus, quos certo ordine distribuit. Ambo puritati disciplinae illorum populorum studentes, poenitentialem librum primus evulgavit, secundus *de poenitentiis* separato titulo scripsit.

Joannes Rex vulgo dicto *sine terra* an. 1315. libertatem electionum Cleri solemni instrumento sancivit, atque Ecclesiae jura, et libertatem, in literis eodem anno prolatis, et regni Proceribus concessis, quae sub nomine *Magnae chartae* Joannis *sine terra* celebres habitae sunt, publice agnovit. Hujus vestigia ingressi sequentes Principes, leges easdem confirmarunt, quibus *Insula Sanctorum* dicta Anglia fuit. Ipseque VIII. Henricus, qui ob effraenes cupiditates suas schisma fecit, jam contra Lutherum librum scripserat de septem Sacramentis, unde nomine donabatur *Defensoris Fidei*. Schisma interim, quod ab Elisabetha consolidatum fuit, adhuc Britanniam occupat.

Quoad jus, quo Angli in judiciis Ecclesiasticis utuntur, spectat, nihil addendum putamus iis, quae paulo ante, conclusione quinta hujus capitis in ima ora adnotavimus.

In Anglia, ubi prius religio catholica innumeris legibus, ac poenis vexabatur, hisce nostris temporibus ann. scilicet 1829.

(*a*) Puta: Alfredi Magni leges ann. 871. ad 901. Edmundi decreta ann. 949. aliorumque. Imo sub regibus ipsis Normannis, ann. 1066. cum hi Angliae regnum occuparunt, magis ipsa disciplina firmata fuit; quod patet ex Eduardi confessoris compilatione, quae tempore Guilielmi II. confecta

edictum, quod *emancipationis* vocant, evulgatum est, quo, libero cultu concesso catholicis, aditus iis conceditur ad omnia publica munia, paucis exceptis.

CONCLUSIO OCTAVA.

Hispaniarum Ecclesiae status describitur.

Coetus Christianorum institutus jam erat a saeculis II. et III. in Hispania. Gothi, qui ab ann. 468. ibi imperium exercebant, sub Rege Reccaredo, relicta Arii haeresi, catholicam amplexati sunt fidem. Ex quo vero Arabes illis potiti sunt regionibus, multa passa est haec Ecclesia, licet liberum esset Christianis suam profiteri religionem.

Jam a saeculo V. extabant collectiones canonum in ea ex codice antiquo redactae, qui comprehendisse videtur canones Nicaenos, Ancyranos, Noecaesarienses, et Gangrenses, cui Sardicenses, et serius Antiocheni, Laodicenses, Constantinopolitani, et Chalcedonenses adjecti sunt, sed multis additamentis auctae illae fuerunt: at omnes perierunt. Dein prope ann. 572. Martinus Bracarensis Episcopus ex Graecis canonibus, quos in latinum transtulerat, synopsim excerpsit: prae aliis, quibus usa est eadem Ecclesia, memoria maxime digna est, quae completa ab ann. 633. ad 36. Hispanica vocari solet, post Dionysianam, rerum ordine, et copia caeteris praestans, quam primus Antonius Augustinus memoravit: forte vel a S. Isidoro, vel jussu ejus perfecta. Serius ad fidem conversis Regibus circa finem VII. saeculi, plura, quae ad Ecclesiam pertinebant, in codicem recepta sunt legum Visigothorum noviter elaboratum.

Circa XII. saec. post longa, diuturnaque certamina ab indigenis, et Christianis Regibus subacta fuit maxima pars Hispaniae ab Arabibus jam occupata; sicque dissitissimas nationes Sedes Romana collectas unitati vidit; ultimumque Maurorum, seu Arabum Granatense regnum a Ferdinando I. ann. 1493. subactum fuit. Ast infausti antea memorati schismatis saeculi XV. passa est aerumnas etiam Hispaniarum haec Ecclesia; pro cujus privilegiis, ac libertatibus solliciti Principes, et maxi-

est ann. 1087-1100., nec non ex instrumentis, quae Henricus I. ann. 1116. Stephanus ann. 1136. et Henricus II. ann. 1155. ediderunt de Anglicanae Ecclesiae libertatibus.

me omnium Summi Pontifices pro sacra hierarchia tuenda, pacta iniere inter sese. Et primo Carolus V. cum Hadriano VI. et Clemente VII., et serius ann. scilicet 1753. Ferdinandus VI. cum Benedicto XIV. de conferendis Ecclesiasticis beneficiis. Carolo III. demum regnante ann. 1762. lex de Pontificiarum bullarum promulgatione, et ann. 1774. transactio quaedam super juribus Nuntiaturae, uti vocant, evulgata est. Verum paucis abhinc annis, proh dolor! Hispani tumultuum procellis, et intestinis bellis exagitati, divina, atque humana cuncta permiscere; rebus sacris, sacrisque ministris nefarium bellum inferre; dirumque schisma ab Ecclesiae unitate provocare visi sunt; a quo eos immortalis memoriae Pontifex Gregorius XVI. deterrere non destitit. Faxit Deus, ut citissime ad bonam frugem redeuntes, Summi Pastoris Regnantis Papae Pii IX. vocem audiant, et illum cognoscant verum vitae ostium, a quo bellorum potius aestu, quam errore abrepti sunt.

CONCLUSIO NONA.

Galliarum Ecclesiae fortuna excussa, status varii ejus significantur.

Submissa a Francis parte; quam Gothi occupaverant, et Gallia nominata, regno Burgundiorum subacto sub Clodoveo Rege, Christiana religio de his omnibus triumphum egit. Eorum Episcopi natione Galli, et Romani coacti ann. 511. in Concilio Aureliano id observandum statuere, quod ecclesiastici canones decrevissent, et romana lex constituisset; nihil inde in disciplina sacra adhuc immutatum. Victa demum a Carolo Magno Saxonum pertinacia, totum Francorum regnum eidem Christianae religioni nomen dedit.

Tum vetus gallica, tum hispanica collectio canonum adhibita est prima tempestate hujus Ecclesiae, quibus adjunctis provincialibus conciliorum canonibus, novae ex hoc prodiere collectiones. Harum antiquior edita medio VI. saeculo, cujus compendium in codice manuscripto reperitur, decretales comprehendit Pontificum, nomine *auctoritatum* in hac Ecclesia Francorum distinctas (1).

(1) *Vide Ballerin. de antiq. collect. can. p. II, c. V.*

In particularibus dioecesibus minores etiam collectiones adornabantur ex obviis fontibus excerptae, et Episcoporum decretis completae: hujusmodi sunt Capitula, quae supersunt Bonifacii Arch. Moguntini ann. 745. Fuit et inter alias Hincmari Rhemensis Arch. ann. 852. 874 (1), ac Hincmari etiam Laudunensis collectio, ann. 870. quam in sua defensione laudaverat. Haec compendium falsarum decretalium de accusationibus, et appellationibus Episcoporum continet. Exeunte tamen saeculo VIII, jam pervaserat Galliam Dionysiana collectio, quam Carolus Magnus ab Hadriano Papa dono accepit. Capitularia etiam Reges una cum Regni primatibus tum ecclesiasticis, tum laicis, in comitiis publicis evulgarunt; ita tamen ut quae in iis de Ecclesia statuuntur, ex canonibus, et Patribus desumpta sint. Ab ann. 827. horum plures prodiere collectiones, in quibus et Caroli, et Ludovici filii, necnon aliorum ante illum comprehensa erant Capitularia (*a*). Quomodo circa finem noni saeculi, et per majorem partem decimi, divisum fuerit regnum Galliae, spoliatum a Normannis infensis, oppressum per eos Duces, aliosque Magnates, qui perpetua inter se bella gerebant, qualibet Regum auctoritate, et protectione orbatum, narrant historiographi. Nostra refert tantum animadvertere; 1.° quod tot calamitates moram regimini sacro attulerint, ne leges ejus ullam obtinerent auctoritatem; 2.° quod ad obedientiam fuerint omnia reducta conatibus Capetorum, quorum potestas saeculo undecimo jam plane firmata fuit.

At saeculo duodecimo, regnantibus Philippo-Augusto, et Ludovico IX., jam satis libere exercebantur summae Majestatis jura. Tunc rebus Ecclesiae initium prope datum fuit. S. Ludovicus non minus de rebus civilibus quam de sacris sollicitum se praebuit; attamen negandum non est; 1.° quod libertatum, quibus Ecclesia Gallicanà utitur, prima mentio occurrat in infantia hujus regis, cum mater Blanca regnum, fi-

(*a*) Ansegisus Fontanillensis Abbas Consiliarius Caroli Magni circa ann. 834. defunctus collectionem horum aliquatenus adornavit, quae a Ludovico Pio adoptata, ut codex Francorum, statim habita fuit. Constat tamen sensim vim legis civilis proprie dictae ubique amisisse Capitularia, nec aliter esse habenda, quam ut veteres regni consuetudines. Ex his saltem qualis concordia utriusque potestatis fuerit in regno Francorum, colligitur.

(1) Mansi *conc. tom. XII.*

lii nomine, moderabatur (a) ; 2.° quod *Pragmatica sanctione*, quam matura aetate ann. 1268. edidit, licet reformandis moribus non parum profuisset, grave tamen vulnus intulit potestati Ecclesiæ quoad beneficiorum collationem potissimum, et electionum libertatem. Id certe fuit in causa, cur R. Pontifices eam impugnare non destiterint. Cui sane nec favorem conciliabat Synodus Basileensis; siquidem in manifestum schisma tandem declinavit. Quinimo nec ipsis Synodi Basileensis Patribus placuerunt modificationes Concilii Bituricensis, quae pro Pragmatica stabant. Per totum regnum Caroli VII. in usu habita fuit Pragmatica; sub Ludovico XI. varia fuit ejus fortuna. Sub Carolo VIII. et Ludovico XII. instaurata, unaque ex causis fuit discordiae, quae inter hunc Ludovicum, et Julium II. efferbuit.

Post mortem Julii, et Ludovici, diversosque eventus, Leo X. et Franciscus I. de pace agentes, Concordatum perfecerunt, quod loco *Pragmaticae* observaretur. Ipseque Leo in

(a) Libertates Gallicanae à diversis auctoribus gallicanis diverse exponuntur. Sunt, qui et communius dicunt esse priscos canones, et mores, quorum usum retinuit Ecclesia Gallicana. Sunt, qui in eo consistere potissimum volunt, quod nulla constitutio, nullumve novum rescriptum apud eos recipiatur, nisi prius expendatur, an rebus suis faveat. Sic inter alios d' Avrigny, in cujus defensionem adducitur Petrus de Marca. *de concordia l. 3. c. 7.* At illum refellit Bossuetius ipse *defens. l. 11. c. 13.* De fundamento autem libertatum earumdem magna est inter scriptores dissensio; recentiores tamen fundamentum ponunt in sententiis pseudo- philosophicis ac prioribus saeculis incognitis, quod scilicet potestas sola temporalis sit proprie loquendo suprema, et independens, ita ut non in materia disciplinae tantum, sed et fidei possit decernere, quae postulat regni tranquillitas; *Rapport de Portalis au articles organiques du concordat.* Haec sententia, fatentibus ipsis DD. Gallicanis (*Loqueux 9. c. p. 4.*) viam sternit infinitis consectariis, quae Ecclesiae, Religionisque jura prorsus ad nihilum redigunt; nec diffitendum inter libertates Gallicanas plura saepe fuisse a magistratibus intermixta, quae ab ipso fonte manarent: quae semper rejecit, et denegavit Clerus etc. ut ex innumeris monumentis constat.

Libertatum demum enumerationem non esse facilem quisque novit: nulla sane collectio authentica earum existit, et mutua Cleri, et saecularis auctoritatis consensione probata. Nec ipsi Gallicani negant facilem esse sententiarum istarum abusum, pluresque sub obtentu libertatum gravissimas servitutes fuisse Ecclesiae impositas: imo constat nec defuisse collectionem earumdem P. Pithou circa finem saeculi XVI. editam, quam dum ad coelos attollunt jurisperiti; Clerus etc., in comitiis generalibus ann. 1641. damnavit, et titulum horum voluminum quam blandum et suavem, tam venenosum et lethalem eorum contextum, et fere per omnia commata noxium, haereticum, schismaticum, impium, verbo Dei contrarium, hierarchiae Ecclesiasticae, et disciplinae sacramentorum, et rituum sacrorum destructivum, Sanctae Sedi Apostolicae, gloriosissimo Regi, ipsique Gallicanae Ecclesiae injuriosum declaravit.

Concilio Lateranensi V. ann. 1516. abrogans simul *Pragmaticam*, jubensque ipsam non renovari, Concordatum promulgari curavit, sed post longas disputationes, ac plura Regis edicta publicis tabulis fuit subscriptum, et executioni mandari coepit.

Nostri instituti ratio heic non sinit multa verba facere de legibus aliis ad res sacras pertinentibus, quae scilicet ann. 1539. de jurisdictione Ecclesiastica prodiere, aut de his, quae occasione comitiorum Blesensium ann. 1579. evulgatae, leges matrimoniales, juxta Concilii Trid. decreta disposuerunt, aliisque usque ad Ludovici XIV. tempora, quibus ob jus male interpretatum *regaliae* (*a*), obortis variis Pontificem inter, ac Ludovicum XIV. querelis, episcopis aulae nimis faventibus, famosa *cleri gallicani* declaratio *quatuor articulis* evulgata, et edicto regio confirmata fuit; quam tamen et Pontifex, et plurimi caeterarum praesertim nationum Episcopi reprobarunt, nosque appendicis loco mox, quantum sat erit, refutabimus (*b*).

Multas demum oppugnationes, multaque damna Ecclesia Gallica passa est sæculo XVIII., quæ viam paravere infelicis-

(*a*) Jus Regaliae in Galliis olim plura complexum fuerat, quae paulatim relaxaverunt reges: v. g. cogere Episcopos, ut viros armatos ad exercitus mitterent: ut diversas praestationes ministrarent etc. Tempore Ludovici XIV. in eo potissimum reponebatur, quod Rex, vacante Episcopali Sede, administraret bona temporalia ejusdem Sedis, et quod Rex omnia beneficia ecclesiastica ad Episcopi collationem pertinentia conferret, exceptis solis paroeciis, quibus providere erat Capituli administrantis. De hac Regalia tamen ipse Clerus etc. *Epist. Cler. etc. inter opera Boss. tom. 7. p. 225.* ita sensit: « Res vero ejusmodi est adeo aliena a Canonica disciplina, » ut qua arte in mores irrepserit, vix intelligamus ». Hic autem Clerus in extraordinariis comitiis Parisiis convocatis, dum emisit declarationem de quatuor articulis, concessit aliunde, ut per totum regnum exerceretur Regalia, modo Rex abstineret a conferendis beneficiis, quae jurisdictionem qualemcumque annexam haberent; juxta quem sensum Rex praecepit Regaliam teneri, libertatesque Gallicanas tueri. Caeterum melius esset, ait Le Maistre, sustinere nullam esse libertatem Ecclesiae etc. sane nihil aliud per se intendit, nisi jura sacra carpere, et scisma inducere. Quae etenim libertas Ecclesiae, adversus quam Ecclesia clamitat? juvat hic verbis ipsius Bossuet libertatem Eccles. Gallicanae definire, qui sic scribit (*De Gallicana Ecclesia Sermone de unitate II. p.*) « Petentes definiri, quae sint » Gallicanae Ecclesiae libertates, verbis S. Ludovici Regis pretiosissimis » significatas satis habent. *Nostra libertas est subjici canonibus.... nostra libertas est jure communi contineri.... sub auctoritate canonica Ordinariorum juxta generalia Concilia, et Sanctorum PP. institutionem.*

(*b*) Julius II. convocato concilio Lateranensi V. monitorias literas dederat, quibus in jus vocabatur Rex, regni curia, Ecclesiaque Gallicana, ut si quas haberent rationes tuendi Pragmaticam, eas referrent, sin minus, eadem *irri-*

simis illis calamitatibus, quibus tandem oppressa fuit, propriisque bonis expoliata, et poene eversa, plurimorum filiorum, Sacrorumque Ministrorum sanguine redundavit. Sed haec et historiographi narrent. Ast non indignum sane se praebuit illius Clerus; supplices siquidem libellos Regi offerebat: magistratibus obsistere non verebatur: impietatis temerarios ausus libere redarguebat: opera religioni et fidei adversantia; censoria nota signabat: et quo tempore Ludovicus XVI. comitia generalia convocaverat, ipse Clerus suis Deputatis codices concredidit, postulans, ut multiplex fieret reformatio; ut perfectior ordo stabiliretur etc. Sed votis neutiquam respondit eventus. Comitia enim ann. 1789. sibi nomen tribuerunt *Coetus constituentis*, qui conjuratione facta, clerum spoliare, et opprimere, jura Ecclesiae invadere non destitit, manifestoque schismati locum erat daturus, simul ac poenis gravissimis persecutus fuit clerum ipsum recusantem observare pervulgatam constitutionem civilem. Paulo post larvam omnem abjiciens impietas, religionem quamcumque crudeliter insecuta est, et in omnia scelerum monstra prorupit. Inde caeteris omnibus, qui manifesti schismatis participes esse detrectabant, vis illata est; ita ut clerici, qui juramento promittere se constitutionem illam servare velle recusarunt, cultum sacrum ne exercere quidem possent in privatis domibus, quamvis Ludovicus XVI. sanctione regia munire legem illud juramentum praecipientem noluerat.

Everso deinde throno, impietas hac ratione firmissima quæque Religionis Galliae propugnacula se expugnasse autumans, omnes intendit vires, ut hanc primum ex universa Gallia, deinde ex universo orbe radicitus erueret atque extirparet: quaecumque vel impia, vel foeda, vel inhumana atque immania antea evenerant, ea omnia nihil sunt ad scelera, ad indignissimas caedes, ad tetra flagitia, ac porsus inhumana facinora, ad sacrilegia nefaria, et nusquam gentium exaudita, quae in universa Gallia, et Parisiis præsertim perduellium furor, crudelitas, impietasque adversus Deum ediderunt: Caenobia, et templa, alia eversa, alia clausa, alia in profana loca conversa: Religiosi viri, ac mulieres vexati, caesi, crudelissime laniati: bonis omnibus, quocumque se convertissent, mors intentata: sacrae vestes dilace-

ta, et *schismatica* pronuntiaretur. Licet vero a Ludovico XII. et a Sixto IV. saeculo XV. revocata fuerit; in Gallia tamen usque ad hujus concilii Lateranensis tempora viguit.

ratae: coelestium heroum imagines, et crux ipsa ex aris deturbatae, pedibusque conculcatae: nec ab ipso Christi corpore sacrilegae manus cohibitae: ipse S. Pontifex e Romana Sede exturbatus, in exteras nationes amandatus, et maxime afflictatus: atque ipsi Altissimo nefarium bellum indictum: ad summam incredibilia dictu sunt; imo nec in animis hominum quidem cadere posse videntur, quae insanientis Philosophiae velut praestigiis fascinati populi licentia, aut furor patravit. Verum ex hac incredibili malorum colluvie Gallica Ecclesia ex parte evadere, et respirare visa est, ubi ineunte saeculo decimonono, defuncto Pio VI., Pius VII. Pontificatum iniit; is enim nihil potius, antiquiusque habuit, quam ut suam Apostolicam providentiam ad accisas Gallicanae Ecclesiae res intenderet. Quamobrem reparandis jacturis, quas Catholica Religio iis in locis passa fuerat, Concordatum cum Gallicanae Reipublicae Gubernatoribus conficiendum curavit, pro temporum ratione, Christianae rei, in Galliis maxime, utile; ad hoc duae potissimum Bullae Pii spectant. Prima, quae incipit *Ecclesia Christi*, narrat, quae Concordatum praecessere, illius articulos exponit breviter, ipsumque confirmat. Altera, quae incipit *Qui Christi Domini*, agit de nova circumscriptione Dioecesum in Gallia. His accessere plura decreta vel acta *Legati a latere* Cardinalis Caprara quasi appendices Concordati illius. Verum paucis post annis nova malorum cohors ex Gallorum potentia, contra omnium opinionem, Ecclesiae incubuit. Ipse Pontifex in Quirinali armis Gallorum obsessus, et temporali sua ditione spoliatus ann. 1809. noctu Roma Savonam abductus est; sed tandem devicto Bonapartio, et restituta, mira Dei providentia, familiae Borbonidum regia potestate, quamvis pristinus rerum ordo sperabatur, utque vestigiis seditionum deletis, Concordatum ipsum ann. 1802. conflatum scinderetur, tamen firma prope omnia manserunt: tales enim contingerant rerum omnium subversiones, ut antiquarum regularum jam in multis negotiis nullus superesset locus. Nihilominus allatis pro viribus remediis, initum fuit novum Concordatum congruentius Ecclesiae bono, quodque Conventioni an. 1801. substitueretur, inter Ludovicum XVIII. et Pium VII. Post haec licet aliqua immutatio rerum, ann. 1830. acciderit, tamen cum inde nullam mutationem proprie dictam subierit Ecclesia, dictis nihil addendum ducimus.

APPENDIX

DE CLERI GALLICANI DECLARATIONE QUATUOR ARTICULIS CONCINNATA.

Privilegiis, et Regaliis temere, et inconsulto uti ipsos, qui earum potiri satagunt, Principes, ut Leibnitius quidem advertit, in perniciem trahit. Re quidem vera nonnisi illarum specie Ludovicus XIV. seductionibus Magistratuum, et Ministrorum etiam male affectus, ut verbis Bossueti utar (1), jura Ecclesiæ perturbavit, et beneficia ecclesiastica potissimum, quasi in feuda mutavit, spiritumque institutionis canonicae destruxit. Breviter: Rex alias catholicitate excellens, molestia tamen in Sedem Romanam nulli a Philippo dicto Pulchro inter Francorum reges secundus, Ecclesiae disciplinam, et regimen vertere ausus est. Hujus imprudenti cupiditati obviam ivit Innocentius XI. qui Episcopis studuit animum, viresque addere pro canonibus sacris defendendis, eos velut infirmos, timidosque objurgans. Ast imperii aviditate Ludovicus, atque indignatione motus, comitia coegit aliquorum Episcoporum ad limites praescribendos Pontificiæ potestati. Illa autem, Gallicani Cleri nomine obducto, declarationem ad regis voluntatem temerario impulsa consilio, concinnaverunt sequentibus quatuor articulis.

» I. Beato Petro, ejusque successoribus Christi Vicariis, » ipsique Ecclesiae rerum spiritualium, et ad aeternam salu» tem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium a » Deo traditam potestatem, dicente Domino: *Regnum meum » non est de hoc mundo*; et iterum: *reddite ergo, quae sunt » Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo;* ac proinde stare » Apostolicum illud: *omnis anima potestatibus sublimioribus » subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem » sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei » ordinationi resistit.* Reges ergo, et Principes in temporalibus » nulli Ecclesiasticae potestati, Dei ordinatione subjici, ne» que auctoritate clavium Ecclesiae directe, vel indirecte » deponi, aut illorum subditos eximi a fide, atque obedien» tia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse, eam» que sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec

(1) *Hist. Bossueti tom. 2. cap. VI. n. 9.*

» minus Ecclesiae, quam Imperio utilem; ut verbo Dei, Pa-
» trum traditioni, et sanctorum exemplis consonam omninò
» retinendam.

» II. Sic autem inesse Apostolicae Sedi, ac Petri Successo-
» ribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam pote sta-
» tem, ut simul valeant, atque immota consistant Sanctae
» Oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica com-
» probata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ec-
» clesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpe-
» tua Religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum
» Generalium, quae sessione quarta et quinta continentur,
» nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum
» quasi dubiae sint auctoritatis, ac minus adprobata, robur
» infrangunt, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta
» detorquent.

» III. Apostolicae potestatis usum moderandum per cano-
» nes spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia conse-
» cratos: valere etiam regulas, mores, et instituta a Regno,
» et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere
» inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Aposto-
» licae Sedis, ut statuta, et consuetudines tantae Sedis, et
» Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem
» obtineant.

» IV. In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pon-
» tificis esse partes, ejusque decreta ad omnes, et singulas
» Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium,
» nisi Ecclesiae consensus accesserit ».

Quoniam in his scriptis articulis de jure potissimum agi-
tur, et potestate Romani Pontificis, ac conciliorum Genera-
lium auctoritate, jam superiori libro vindicatis; non est, cur
argumenta eadem ad illos evertendos resumamus; eo vel magis
quod exceptis paralogismis, de reliquo nihil ponderis conti-
neant (a). Praestat tamen originem, finem, et effectum eorum
aequa lance ponderare, ut censoria nota digni ab omnibus
habeantur.

(a) Cardinalis Orsi de irreformabili judicio agens R. Pontificum in defi-
niendis fidei controversiis, suis momentis expendens defensionem hujus de-
clarationis sub nomine Bossueti proditam, ait (*t. I. praef. p. V.*) « ea, qui-
» bus ab adversariis eadem Sedis Apostolicae auctoritas impetebatur, spe-
» ciatim collata cum nostris, adeo levia visa sunt, ut, quantum ego sentio,
» alia fidei nostrae certissima dogmata, nec gravioribus niti momentis, nec
» levioribus premi difficultatibus videantur ».

Quatuor itaque hi articuli debentur irae potentissimi regis multis de causis in Romanos Pontifices exacerbati, cui contradicere piaculum putabatur : debentur assentationi regiorum Ministrorum exulceratum Regis animum opportune in Sanctam sedem exasperantium : debentur Conventui trigintaquatuor Episcoporum Gallorum coacto, non ut quid ipsi ex animo sentirent, declararent, sed quod Regi, regiisque Ministris placere cognoscebant, statuerent : imo si fides habenda est D. Ledieu, hujusmodi Cleri Gallicani declaratio Ministrorum potius, quam Episcoporum opus existimandum est; hic enim aperte in suis annalibus id testatur ; refert etenim : « Ab Episcopo » Meldensi, sibi quaerenti, quisnam declarationis Cleri de » Ecclesiae potestate auctor fuerit; D. Colbert, et non aliis, inter Regios Ministros facile primo, atque Consiliario, hujusmo- » di declarationem tribuendam, responsum fuisse (1) ». Insulsissime hinc patet scripsisse Voltaire : Gallicanam Ecclesiam Catholicam, atque Apostolicam, non Romanam esse. Sed de impio scurra solliciti non sumus. Num Cleri Gallicani sit declaratio ipsa, nostra interest videre, sicut inscriptum in ipsa legitur *Cleri Gallicani de Ecclesiae potestate declaratio*; ut facile cujus titulum nuncupaverit conventus, appareat, et fraudulenti hujus veteratoris technae dissolvi possint. Quis itaque in animum inducere suum potest triginta quatuor vix Episcopos, et mirum in modum ab illis incensos, quibus in Sedem Apostolicam curae fuit insaevire, nomen totius cleri gallicani cœtus sibi posse vindicare? et certe huic, si excipias comitiorum sive parlamentorum placita. Universitatis Sorbonae opinionem, nec non scriptorum regio privilegio donatorum, per quod ipsi poterant opera sua typis mandare per centum annos, si declarationi faverent, nemo alius adhaesit. Reliqua enim maxima pars Francorum, atque ipse Bossuet, qui nobis opponitur, pro adversariis haud stare videtur (*a*). Sed age tamquam Ecclesiae Gallicanae

(*a*) De defensione declarationis sub nomine Bossueti prodita, sapientissimi De Maistre aliqua notatu digna adjicimus; illam nempe extraneam mansisse auctori suo, qui postquam scriniis suis spatio viginti annorum eam detinuerit, nec unquam evulgari passus sit, jam moriturus scriptum nepoti suo tradens, solemniter declaravit, nemini dandum, ne in lucem evulgari posset, et nonnisi apud Regem, cui solum lucem publicam ei donare liceret, deponendum. Hic autem pertinaciter fastidiens eam accipere, nec nisi suppliciter, et multoties exoratus, post annos sex, quasi aliud agens recepit, sed alienae Bibliothecae adscribendam dedit : ast alienigena, et omni-

(1) *Journal. 17. Jan. 1700.*

sententia habeatur illa declaratio. Ipsum objectum, et finem ipsius omnino alienum ab ea nihil conferre Gallis quisque videt. Quidnam enim sibi vult ista *Cleri Gallicani declaratio de Papae potestate*? Num Ecclesiae universalis jura statuere, et limitibus coercere erit solius Gallicanae Ecclesiae? at quae missio ejus? a quo illi haec facta potestas? Num de ea potestate dubium tunc temporis erat? quod apud omnes falsum esse constat, et si erat, num ab una natione illud solvi aequum erat? Absurdum sane. Num poterant Galli saltem presumere consensum Episcoporum Orbis universi, ea fortassis de causa, quod articuli declarationis suae, auctoritati Episcoporum, et Conciliorum a Capite sejunctorum faveant? minime gentium. Non enim Episcopi universi regiis mandatis urgebantur, uti Galli illa tempestate; neque verisimile erat ullo modo, Episcopos omnes potestatem sibi non tributam,

no inscia alia manu in regiam bibliothecam deposita fuit, ubi ann. 1712. jam erat; inde fide et probitate repugnante, clanculum prodita fuit, veluti Frereti dissertatio, aut fabula Crèbillon, nolente tamen gubernio, et auctore, qui dum agebat animam, opus aliud ab illa defensione, eique contrarium praeparaverat, cujus elementa plene disposita, infidelitate eorum, apud quos deposita fuerant, evanuere.

Caeterum non obstantibus infinitis artibus ad Sedis Apostolicae infirmandum robur adhibitis, cum docto Le Maistre (*del Papa cap. XIII.*) Bossueto gratias agamus, oportet, quod dixerit in celebri sermone *de unitate Eccl.* tom. 7. pag. 41. potestatem Summi Pontificis esse supremam: Ecclesiam super ejus auctoritate esse fundatum *pag. 31.* in cathedra Petri inesse plenitudinem apostolicae potestatis *pag. 14.* ubi Papa impetitur, universum Episcopatum seu Ecclesiam versari in periculo *pag. 25.* in Sede Apostolica semper inesse *paterni* aliquid *pag. 41.* ipsi, licet omnia possit, non omnia convenire *pag. 31.* jam inde a Christianae Religionis exordio Pontifices Romanos semper curasse, ut leges observarentur, ipsosque fuisse primos, qui illas observarent *pag. 32.* ipsos et firmissimis decretis, et prudenti moderataque agendi ratione servare unitatem in universo Ecclesiae corpore *pag. 29.* Episcopos omnes simul non habere, nisi unam eamdemque Cathedram ob essentialem relationem, quam habent cum Cathedra unica, in qua Divus Petrus, ejusque successores sederunt: ipsosque ex hujus doctrinae vi debere omnes agere in spiritu catholicae unitatis, ita ut quisque eorum nihil dicat, nihil agat, nihil cogitet, quod catholica Ecclesia profiteri non possit *pag. 16.* potestatem multis collatam, esse circumscriptam ex eo ipso, quod pluribus sit concessa, at potestatem uni tantum datam, esse super omnes, nemine excepto secumque ferre potestatis plenitudinem *pag. 14.* Cathedram aeternam nescire haereses *pag. 9.* fidem Romanam esse semper fidem Ecclesiae: Ecclesiam Romanam esse semper virginem, atque ab illa haeresibus vel primum, vel primum lethale vulnus inflictum fuisse *pag. 60.* inter signa, et argumenta, quibus apparet Spiritum Sanctum huic Ecclesiae matri semper adesse, illud esse omnium evidentissimum, quod ille hanc adeo aequam atque moderatam reddat, ut numquam modum praetergressa fuerit, ubi de dogmatibus agebatur *pag. 41.* porro utrum haec omnia articulis gallicanae declarationis faveant, necne, per se quisque judicare poterit.

certe schismati faventem arrogaturos, cujus potestatis nullum exemplum praebebat antiquitas, ac docuit eventus. Quod si decreta Constantiensia obtrudunt, Galli ignorare non poterant, (ut caetera, quae ad hoc Concilium pertinent, praetermittam), ea a viris summis, maximoque numero ad casum schismatis referri, non vero ad alios casus, praesertim cum summi Pontificis potestas nulli subjacet juris, aut facti dubio.

Mirum vero est, quod tanti faciant adversarii paucorum sententiam Episcoporum unius gentis, cum omnes alii in contrariam pleno numero pedibus iverint, et quod palmare est, Summorum Pontificum una sit vox, oraculum unum, nimirum; illa declaratione Ecclesiae statum turbari, et labefactari, atque Sedis Rom. idest Catholicae Ecclesiae fundamenta pene excuti. Juvat hac de re, quae Pius VI. protulit in Bulla *Auctorem fidei*, qua Synodum Pistoriensem damnavit, exscribere: « Quæ » acta Conventus Gallicani, mox ut prodierunt, Praedeces» sor Noster Ven. Innocentius XI. per litteras in forma Bre» vis die 11. Aprilis 1682. post autem expressius Alexander » VIII. Const. *Inter Multiplices* die 4. Aug. 1690. pro Apo» stolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nul» la et irrita declararunt, multo fortius exigit a Nobis Pa» storalis sollicitudo recentem horum factam in Synodo tot » vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalo» sam, ac praesertim post edita Praedecessorum nostrorum » decreta huic Apostolicae Sedis summopere injuriosam re» probare, ac damnare, prout eam praesenti hac nostra Con» stit. reprobamus, et damnamus, ac pro reprobata et dam» nata haberi volumus ». Idem autem Alexander VIII. inter varias propositiones damnavit 29., ubi asseritur: « Futilis, » et toties convulsa est assertio de R. Pontificis supra Con» cilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestioni» bus decernendis infallibilitate ».

Sed videamus quibus armis se munitos jactant, ut suam sententiam adversarii statuant: *Ecclesiae Gallicanae*, subdunt *decreta*, *et libertates a majoribus nostris tanto studio propugnatae, eorum fundamenta sacris canonibus, et Patrum traditione nixa multi diluere moliuntur.*

Ecclesiae ergo gallicanae decretis, et libertatibus a majoribus propugnatis studet Clerus ille, et armis canonum, et traditionum se ornat contra adversantes sibi. Ast fucum aliis vel-

le illum facere, nemo non videt; quando enim majores sui pro libertatibus propugnarunt contra Papam, qui ex adverso potius libertates, quibus student, diluere molitus fuit? quod decretum edidere illi adversus eum? imo notum est omnibus, vitam egisse ad Sanctae Sedis normam, adeo ut pro executione ipsius bullae *in Coena Domini*, poenis mulctatos fuisse constet: ipseque fuit Clerus gallicanus laudabilis semper, qui in conventu ann. 1726. Papae infallibilitatem profiteri visus fuit, ita ut re, conventum, de quo agitur, rejicere, et damnare omnibus visus fuerit. Mirum autem, quod canones animo fingant adversarii, et pro canonum integritate se pugnare autumant. Quis enim canon contra primatum, atque supremam Pontificis potestatem? quodnam Concilium ejus auctoritatem labefactare, atque vexare ausum fuit? Profecto ecclesiasticas antiquitates ignorent, oportet, qui talia narrare non desinunt. Ubi Petrus, ibi Ecclesia; en vox prius tradita: quidquid contra eum, vel praeter eum factum, posterius immissum, ideoque falsum, atque commentum humanum. Hinc merito non solum, qui in Italia floruere scriptores, sed et Hispani, et Germani, et Belgae, et omnium gentium Doctores hanc Declarationem rejecerunt, atque ipsi Protestantes risu illam exceperunt. Sed quid Italiam, vel Hispaniam commemorem? Ipse Gallia, Rex ipse, atque Clerus illam revocare quodammodo visi sunt.

Sane Ludovicus ipse etsi minus solemne edictum dederit, quo revocavit illud diei secundae Martii ann. 1682.; nullum tamen effectum hoc ipso sortiri declarationem voluit. Ipseque ann. 1695. Innocentio XII. qui successit Alexandro VIII. rescripsit post duos prope annos, scilicet a literis hujus Pontificis datis, his verbis, quorum praecipua excribimus. *Gratissimum accidit nobis, S. V. notam facere, quod mandavimus edictum die 2. Martii ann. 1682. nullius vis, ac exitus esse.*

Rege sollemnius Episcopi palinodiam canere non destiterunt hisce formalibus verbis: « Ad pedes Sanctitatis vestrae » provoluti, profitemur ac declaramus nos vehementer, et supra id, quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in » comitiis praedictis, quae S. V. et ejusdem Praedecessoribus summopere displicuerunt; ac proinde quidquid iis comitiis circa ecclesiasticam potestatem, pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus, » et habendum esse declaramus ».

His adde, quod famosa declaratio expuncta fuerit a collectione actorum gallicani ipsius cleri, etsi omnia, quae ad eundem pertinent, in ea inscriberentur. Nec praetereundum est, ipsam declarationem hostibus auctoritatis Ecclesiasticae arma omni tempore praebuisse, ut hanc oppugnarent, et in servitutem redigerent; atque plures dedisse ansas ad Romanam Sedem, atque Petri Cathedram vellicandam, quo intelligi possit, cujus esset naturae, cujusque ingenii. Nec parum refert quod ipsis articulis stantibus, nec Deo, et Ecclesiae, quae sunt Dei, et Ecclesiae, fuerint reddita; et inde Cæsari; et Regiae potestati detractum, quod suum erat, atque populo summum ipsum jus assertum: inde in gravissimas populorum perturbationes itum est.

Pro coronide duo, omnium maxime, oblivione deleri non possunt, quae articulorum auctoritatem potissimum minuunt, atque infringunt. Primum, quod Napoleo ipse asserere non dubitavit, posito secundo Declarationis articulo, nihil sibi a Papae potestate timendum. Secundum, quod inde ab illa tempestate, quoquot retenta larva catholici nominis, auctoritati Romanorum Pontificum adversari, pacemque ecclesiarum perturbari aggressi sunt, primum omnium ad partes Gallorum illorum transisse, articulos illos adamasse, et amplexatos fuisse, necnon modis omnibus praedicasse, aliisque velut indubitata dogmata venditasse (1).

CONCLUSIO DECIMA.

Italicae Ecclesiae, ac Neapolitanae potissimum vicissitudines exponuntur.

Italiae regiones a Roma haud dissitas, ex quo coepit propagari Christi Religio, ejus luce illustratas fuisse constat, et ex ipso Apostolatu Petri; hunc enim merito non ornasset Petrus, si Romae moenia nunquam transgressus foret. Hoc antiquissimae Ecclesiarum traditiones, et veterum monumenta commonstrant (*a*). Saeviente dein persecutione, et in-

(*a*) Praeter iter Jerosolymam institutum a S. Petro, ubi Concilio praefuit, Occidentis et praecipue Italiae regiones percurrit, ut illis evangelizaret; quamvis enim veteres Patres S. Petrum Romam in sorte praedicationis

(1) *Lege literas in quatuor art. Cleri gallic. tit. II.*

ter gentes idolorum cultui additas ; Ecclesia Christi in Italia stetit sacrificiis , legibus , et sacra disciplina sub regimine Romanorum Pontificum. Constantino autem regnante , dominatum suum sacrum libere exercuit , etiam splendido apparatu , ac ejus dignitati consentaneo. Facta postmodum barbarorum incursione , Pontifices Romani sub Herulis etiam , et Ostrogothis Arianae sectae addictis , potestatem , atque ecclesiasticam cum Oriente communionem conservarunt, quae deinde nova incrementa accepit , postquam Justinianus Gothorum regnum delevit , et Italiam romanam provinciam fecit.

Sub Longobardis Ariana haeresis denuo excitata ; adhuc tamen salva fuit Ecclesia. Converso postea ad fidem rege ipsorum Grimoaldo , eamdem et ipsi amplexi sunt. Circa annum 764. demum a Carolo Magno subjecta maxima ipsorum regni parte , medias Italiae regiones Romanus Pontifex , Graeci tenuerunt extremas. Interim ipse Carolus , quae usu et potestate Romani Pontificis erant , confirmavit. Huic autem etiam pro jure Patriarchali, Italia subjecta cum sit, magis magisque ei addicta suis legibus vixit , illis adjectis , quae in conciliis suis provincialibus , Dioecesanisque ab ipsa statuta erant. Sacrae politiae ejus adscripta fuerunt Capitularia Regum Francorum , puta : edicta Caroli Magni , Ludovici Pii , et Lotharii , quibus accesserunt illa Caroli Calvi ; a Legatis Pontificis Angesiso Arch. Senonensi , et Orgario Arch. Moguntino confirmata , quae magnam vim habere , eaque observaturum rescripsit Leo IV. ad Lotharium.

Haec fata Italiae ad ultimam seditionem usque in fine nempe saeculi XVIII. perdurarunt , qua cum politico , eversum sacrum regimen fuit. Ast (quae Dei gratia est) nova restauratione , rebus quasi in integrum , per temporum angustias, restitutis , curae fuit Sanctae Sedi sacra resarcire pactis conventis , quibus catholicis in regnis religio instauraretur , et inter Protestantes servaretur (*a*).

accepisse tradant; id tamen non ita intelligendum, quasi solam Romam urbem instituendam acceperit , sed Romam Occidentis , ac praecipue Italiae velut Caput , Principem et Metropolim. Hoc in causa est , cur Rom. Pontifex tamquam Petri successor peculiari jure Occidentalium Coryphaeus a S. Basilio, et Occidentalis Ecclesiae Praesidens a S. Augustino dicatur.

(*a*) Illis scilicet praesertim, quae an. 1817. cum Raethia secunda inita sunt, Bavaria, atque inter Ferdinandum I. et Pium VII, pro hoc regno Neapolis an. 1818. insuper illis , quae a Gregorio XVI. ann. 1841. cum Duce Sabaudiae , et eodem ann. cum Duce Mutinae Francisco IV. icta sunt. Hoc ipsum effectum est bullis Pontificum , scilicet Pii VII. ann. 1821. quae incipit *De sa-*

Quemadmodum regiones Cistiberinas apud eruditos constat primum fuisse post diluvium habitatoribus ex Oriente advenientibus cultas; ita quoque ab Apostolis etiam ex Oriente, et a Graecia praesertim solventibus., regiones illas primum illustratas fuisse fatendum est ; sane vetustissimis traditionibus , et sinceris patet S. Petrum sub Claudio solvisse Corintho , et via Appia per Neapolim Romam ingressum, retrogrado itinere e Roma discedentem in Orientem reversum. Iterum sub Nerone Romam petentem, Neapolim se contulisse certum est ; haec vero civitas inter gentes idololatriae sub graecorum ditionibus magis addicta , non minus tenax fuit fidei ab ipso Petro acceptae : imo prae omnibus praestans meritis , ipsius fidei discrimen nunquam subiit ; nunquam etenim beneficio S. Virginis Matris Deí principalis Patronae hujus regni , ac S. Januarii, aliorumque Ss. haeresis aliqua fundamenta egit in ea.; etsi finitima sit solo plurimorum martyrum foecundo. Obsequens potius Pontifici Romano fuit jure Primatus, et Patriarchae non solum , séd et Metropolitae (*a*) usque ad saeculum prope IX. (*b*); nec alios tenuit canones, quam Sedis ejusdem Apostolicae.

Verum ann. 1133. Rogerius Normannus , qui Saracenos expulit e Sicilia , et Apulia nomini Christiano infensissimos, jure beneficiario hoc regnum accépit ab Innocentio II. , fuitque proinde ejusdem Monarchiae institutor. Ast in nihilum Ecclesiae fortuna mutata fuit hoc regnante ; successor tamen ejus Guilielmus I. postquam plurimis dissidiis acerbissimis Sedem Rom. vexavit , Romani Pontificis in gratiam reversus , acceptaque etiam *investitura* Regni , pacta conventa primitus

lute animarum; aliisque ejusdem , ac Leonis XII. ann. 1827. *Ad Dominici gregis custodiam*, et ann. 1824. *Immensa Romanorum Pontificum sollicitudo*, caeterisque et potissimum Gregorii XVI. Brevibus datis Episcopo Heliopolitano Gibraltariae Vicario Apostolico , et Episcopis Helvetiae ann. 1842. aliarumque Dioecesum.

(*a*) Italiae urbes, et provincias omnes in Occidente, multo arctius Papae prae caeteris adhaerentes , sine propriis Metropolitis , diutissime constitisse patet ex Historiographis, potissimum Cantelio in metropolit. urb. hist. civil. et ecclesiast. , et Carolo a S. Paulo in geograph. sacra.

(*b*) Sedes Romana interrupte , sed frequentissime saeculo X. et XI. suam metropoliticam auctoritatem cum aliis communicavit , adeo ut quo plures facti sunt Metropolitae in provinciis suburbicariis , eo angustiores conclusi Romanae provinciae sint fines. Hinc declinante saeculo X. jam Neapoli, Capuae, Beneventi, Salerni, et Amalphis institutae erant metropoles.

iniit cum Hadriano IV. decem articulis pactis ann. 1156. relatis (1) a Baronio (*a*).

Stirpe Normanna extincta, sub Svevis ab reconciliatione perquam alienis S. Sedi, nullum negotium fuit pro rebus sacris ad ann. usque 1265. cum Carolus Andegavensis a Clemente IV. successore Urbani IV. qui jam illum ad regnum comparandum incitaverat, hoc idem jure beneficiario accepit, et Con-

(*a*) Illos exscribimus, ut disciplina illius temporis, quae primum ex Concordatis fuit, constet. De Appellationibus quidem ita: I. Si aliquis clericus in Apulia, et Calabria, atque aliis terris, quae Apuliae sunt affines, adversus alium clericum de caussis ecclesiasticis querelam habuerit, et a Capitulo, aut Episcopo, vel Archiep. suo, seu alia ecclesiastica persona suae provinciae non poterit emendari, libere tunc, si voluerit, ad Ecclesiam Romanam appellet. II. Translationes in Ecclesiis fiant, si necessitas, aut utilitas Ecclesiae aliquem de una Ecclesia ad aliam vocaverit, et vos, aut vestri successores concedere volueriut. III. Consecrationes, et visitationes libere Romana Ecclesia faciet Apuliae, vel Calabriae civitatum, ut voluerit, aut illarum partium, quae Apuliae sunt affines, civitatibus illis exceptis, in quibus persona nostra, vel nostrorum haeredum in illo tempore fuerit; remoto malo ingenio, nisi cum voluntate nostra, nostrorumque haeredum. IV. In Apulia, et Calabria, et partibus illis, quae Apuliae sunt affines, Romana Ecclesia libere legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc a Romana Ecclesia fuerint delegati, possessiones Ecclesiae non devastent. V. In Sicilia quoque Romana Ecclesia consecrationes, et visitationes habeat, et si de Sicilia personas aliquas ecclesiastici ordinis vocaverit, magnificentia nostra nostrorumque haeredum pro Christianitate facienda, vel pro suscipienda corona remoto malo ingenio retinebit, quas providerit retinendas. IV. Caetera quoque ibidem habebit Romana Ecclesia, quae habet in aliis partibus regni nostri, excepta appellatione, et legatione, quae nisi ad petitionem nostram, et haeredum nostrorum ibi non fient. VII. De Ecclesiis, et Monasteriis terrae nostrae, de quibus Romanae Ecclesiae quaestio mota fuit. Vos quidem, et vestri successores in eis habebitis eas, quae in caeteris Ecclesiis, quae sub nostra potestate consistunt, solitae sunt accipi consecrationes, et benedictiones a Romana Ecclesia; et debitos insuper, et statutos ei census exolvant. VIII. De electionibus quidem ita fiat. Clerici conveniant in personam idoneam, et illud inter se secretum habebunt, donec personam illam Excellentiae nostrae pronuncient, et postquam persona Celsitudini nostrae fuerit designata, si ea de proditoribus, aut inimicis nostris, vel haeredum nostrorum non fuerit, aut magnificentiae nostrae non fuerit odiosa, vel alia in ea causa non fuerit, pro qua debemus assentire, assensum praestabimus. IX. Profecto vos nobis, et Rogerio Duci filio nostro, et haeredibus nostris concedetis regnum Siciliae, ducatum Apuliae, Principatum Capuae, Neapolim, et Salernum, et Malphiam, Marchiam, et alia; quae tenemus Sacrosanctae Ecclesiae Romanae jure detenta, et contra omnes homines adjuvabitis honorifice manutenere. X. Pro quibus omnibus vobis, vestrisque successoribus fidelitatem juravimus, et vobis ligium homagium fecimus. Et censum sexcentorum schifatorum de Apulia, et Calabria, quincentorum vero de Marchia, vel aequivalens in auro, vel argento nos, ac nostros haeredes Romanae Ecclesiae statuimus annis singulis soluturos.

(1) *Tom. 12. annal. ad ann. 1156.*

cordatum aliud inivit cum eo, capitulis XXIV. contentum (1). Attinent potissimum ad investiturae leges, privilegia, finesque Status Beneventi, libertatem electionum ecclesiasticarum, salvo jure patronatus, immunitatem realem Ecclesiarum, et personalem clericorum.

Sub Andegavensibus praeter capitula 46. Caroli II. in plano S. Martini, de quibus superiori libro diximus; alia ann. 1285. Honorius IV. capitula edixit a Cardinale de Palma publicata. Demum in sequentibus investiturarum literis, quas gradatim Reges Neapolitani acceperunt a summis Pontificibus, eadem fere pacta conventa sunt; uti praesertim Carolus Dyrrachii ab Urbano VI. ann. 1380. Sicque postea Aragonenses, ad quos rerum summa delata est post Andegavenses, Alphonsus scilicet ab Eugenio IV. ann. 1445. et Ferdinandus catholicus ab Innocentio VIII. ann. 1487. Idem Innocentius cum Ferdinando Rege pactus est, ut Episcopatus omnes, et beneficia hujus regni, Papa conferret ad suum arbitrium (2).

Hac autem tempestate Pro-regum regimen initium duxit. Tum Clemens VII. inito foedere cum Carolo V. Imperatore ann. 1532. indulsit Regi Neapolitano nominationem Praelatorum ad XXIV. cathedrales Ecclesias, octo scilicet archiepiscopales, et sexdecim episcopales: reliquæ omnes ad liberam Sedis Apostolicae collationem reservatae sunt (*a*).

Pro-reges demum Hispani primo, dein Germanici moram nectere non cessarunt executioni aliquarum legum Ecclesiasticarum. Ast ubi Carolus Borbonius Regni suscepit habenas dissidia componere studuit; Concordata inde inita sunt inter eumdem, et aeternae memoriae dignum Benedictum XIV. ann. 1741. novem cap. concinnata, praeter sex articulos ms. secretos uno eodemque tempore. Utraque, post novissimum Concordatum, ad verbum referemus.

Iterum aliis dissidiis inter utramque potestatem obortis, quae componi ann. 1790. dum sperabatur, quoad Episcoporum saltem electionem, quibus jamdiu viduatae erant Eccle-

(*a*) Metropoles Archiepiscopales sunt. I. Acheruntina cum Materana, II. Brundusina; III. Hydruntina; IV. Rhegiensis; V. Tarentina; VI. Salernitana; VII. Tranensis; VIII. Lancianensis. Episcopales vero Ecclesiae sunt Acerrae, Aquilae, Ariani, Cajetae, Casertae, pro Triventino liberae collationi Pontificis dimisso, Cassani, Castri Stabiensis, Crotonis, Gallipolis, Juvenacii, Monopolis, Oyrae, Potentiae, Puteolorum, et Ugenti.

(1) *Commemorantur a Rainaldo in annal. Eccl. ad ann. 1265.*

(2) *Rainald. in annal. ad ann. 1487. n. 11.*

siae plurimae hujus regni, supervenientibus item seditionum malis, quae universam ferme Europam exagitarunt, et præsertim hujus regni militari occupatione facta, saorarum rerum calamitatem indignissimam subiit Ecclesia. Ast feliciter iterum potitus regno Ferdinandus jam IV. sed in restauratione monarchiae dictus I. animum suum illuc convertit, ut novum Concordatum iniretur cum S. Sede, uti factum est ann. 1818. cum Pio VII. Hoc quoniam disciplinae vigentis, et municipalis partem efformat, hujus primos XXXII. Articulos non abs re putemus excribere; eorumdem enodationem dabimus, prout occasio deinceps urgebit.

Art. I. Religio Catholica Apostolica Romana est sola Religio regni utriusque Siciliae, atque in eo semper conservabitur cum omnibus juribus, ac praerogativis, quae ipsi competunt ex Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus.

Art. II. Consequenter ad articulum praecedentem Institutio in regiis Universitatibus, Collegiis, et Scholis tam publicis, quam privatis, erit in omnibus conformis doctrinae ejusdem Religionis Catholicae.

Art. III. Cum in Conventione anni 1741. unio nonnullarum Sedium episcopalium, quae angustissimis continentur limitibus, et ubi episcopalis dignitas redituum etiam modicitate vilescit, necessaria agnita fuerit, cumque unionem istam, quae tunc peracta non fuit, tum earumdem, tum aliarum Sedium deterior facta conditio nunc magis magisque postulet, ideo in ditione citra Pharum, servatis servandis, et exquisito prius *interesse* habentium consensu, nova fiet Dioecesium Circumscriptio. In ea constituenda Fidelium commodum, et spiritualis praesertim utilitas respicientur. Ex episcopalibus Sedibus, quae ab nimiam redituum modicitatem, aut locorum obscuritatem, aut ab alias rationabiles causas conservari non poterunt, antiquiores, et insigniores conservabuntur tamquam Concathedrales.

In ditione vero trans Pharum omnes archiepiscopales, et episcopales Sedes, quae nunc existunt, conservabuntur; imo earum numerus, ut commodo, ac spirituali Fidelium utilitati melius prospiciatur, augebitur.

Territoria quarumdam Abbatiarum *Nullius Dioecesis*, quae aut angustis nimium continentur limitibus, aut sua bona amiserunt, aut modicis admodum dotatae sunt reditibus, collatis consiliis iis unientur Dioecesibus, intra quarum fines in nova Circumscriptione sita reperientur.

Abbatiarum Consistorialium, quarum annui reditus summam ducatorum quingentorum excedunt, nulla unio fiet. Bona aliarum Abbatiarum pariter Consistorialium (iis exceptis quae sunt

juris-patronatus) quarum annui reditus supradictam summam non attingunt, aut unientur aliis Abbatiis ecclesiasticis usque ad quingentorum ducatorum summam, aut augendis dotibus Capitulorum, et Paroeciarum applicabuntur.

Haec dispositio Ordinum Militarium Commendas non respicit.

Art. IV. Quaelibet Mensa episcopalis in Regno gaudebit annuo reditu ad minus trium millium ducatorum ex bonis stabilibus publicis deductis oneribus.

Sanctitas Sua collatis cum Regia Majestate consiliis ejusmodi dotes quam citius fieri poterit, constituet pro iis Sedibus episcopalibus, quibus praesens dispositio applicanda erit.

Art. V. Quaelibet Ecclesia tam archiepiscopalis, quam episcopalis suum habebit Capitulum, ac Seminarium, quibus si dos sufficiens erit, conservabitur, sin secus, augebitur, si opus fuerit, etiam ex integro constituetur in bonis stabilibus.

Quaelibet Dignitas Capituli archiepiscopalis Ecclesiae Neapolitanae reditu annuo ducatorum ad minus quingentorum, reliqui vero Canonicatus reditu ad minus ducatorum quadrigentorum gaudebunt.

Singulae Dignitates Capitulorum caeterarum Ecclesiarum partis regni citra Pharum, quae in nova Circumscriptione constituentur, ducata ad minus centum octaginta, reliqui vero Canonicatus ducata ad minus centum pro annuo uniuscujusque reditu habebunt.

Excipiuntur Canonicatus Patronatus regii, ecclesiastici, et laicalis, qui manebunt, ut sunt, nisi forte eorum annui reditus a suis Patronis canonica methodo augeantur.

Seminaria dirigentur, eorumque bona administrabuntur juxta Concilium Tridentinum.

Art. VI. Bona Ecclesiarum uniendarum iis Ecclesiis applicabuntur, quae in nova Circumscriptione conservabuntur, nisi forte earumdem Ecclesiarum uniendarum necessitates diversam praedictorum bonorum applicationem ecclesiasticam postulent, quae fieri debebit cum interventu auctoritatis Sanctae Sedis.

Capitula earum Ecclesiarum, quae in nova Circumscriptione non conservabuntur, exquisito prius *interesse* habentium consensu, commutabuntur in Capitula Collegiata cum fundis, ac reditibus, quae nunc possident.

Art. VII. Paroeciis, quae sufficientem congruam non habent, dos ita augebitur, ut iis Paroeciis, quae duobus hominum millibus non constant, ad minus ducata centum, iis quae numerum quinque millium animarum non attingunt, ad minus ducata centum quinquaginta, caeteris vero, quae majorem animarum numerum continent, ducata ad minus biscentum pro annuo reditu constituantur.

Parochialis Ecclesiae conservatio, uti et cooperatoris Parochi

stipendia, ubi reditus ad id attributi non adsint, respectivis civitatibus incumbent, et praedes dabuntur fundi, aut vectigalis privilegiata pecunia.

Haec dispositio non respicit Ecclesias parochiales juris-patronatus sive regii, sive ecclesiastici, sive laicalis canonice acquisiti, quarum onus respectivis Patronis incumbet.

Excipiuntur pariter Ecclesiae receptitiae sive numeratae, sive innumeratae, Capitula et Collegiatae, quibus cura animarum inest, cum suam congruam in communibus bonis habeant.

Art. VIII. Collatio Abbatiarum Consistorialium, quae juris-patronatus regii non sunt, perpetuo spectabit ad Sanctam Sedem, quae illas viris ecclesiasticis subditis Majestati suae conferet.

Collatio Beneficiorum simplicium liberae collationis cum fundatione, et erectione in titulum ecclesiasticum fiet a Sancta Sede, et ab Episcopis pro diversitate mensium, quibus vacabunt; scilicet a mense Januarii usque ad mensem Junii conferentur a Sancta Sede, a mense vero Julii usque ad mensem Decembris conferentur ab Episcopis. Provisio autem semper fiet in favorem subditorum Majestatis Suae.

Art. IX. Catalogus tam Abbatiarum regii patronatus, quam earum, quae regii patronatus non sunt, prout apud Cappellanum majorem descriptae reperiuntur, quamprimum Sanctitati Suae exhibebitur. Catalogus iste deinceps concorditer corrigi poterit.

Art. X. Canonicatus liberae collationis in Capitulis sive Cathedralibus, sive Collegiatis, respective conferentur a Sancta Sede, et ab Episcopis; scilicet sex primis anni mensibus a Sancta Sede, aliis vero sex mensibus ab Episcopis.

Prima Dignitas semper erit liberae collationis Sanctae Sedis.

Art. XI. Sanctitas sua concedit Episcopis Regni jus conferendi Paroecias, quae quovis anni tempore erunt vacaturae. Praevio concursu in Paroeciis liberae collationis, Episcopi eas conferent iis inter approbatos, quos digniores judicabunt. In Paroeciis vero juris patronatus ecclesiastici, praevio pariter concursu, eos instituent, quos tanquam digniores inter approbatos ab Examinatoribus, Patronus ecclesiasticus praesentabit. Tandem in Paroeciis juris patronatus regii, et laicalis, Episcopi praesentatos instituent, dummodo praemisso examine idonei fuerint inventi.

Excipiuntur Paroeciae vacaturae in Curia, aut quarum Parochi fuerint a S. Sede de aliqua Ecclesiastica Dignitate, aut Canonicatu provisi. Harum omnium collatio spectabit ad Summum Pontificem.

Art. XII. Omnia bona ecclesiastica non alienata a Gubernio Militari, quaeque in reditu Majestatis Suae penes administrationem vulgo *del Demanio* reperta sunt, Ecclesiae restituuntur.

Praedictorum bonorum procuratio statim post praesentis Conventionis ratificationem quatuor selectissimis Viris, quorum duo a Sanctitate Sua, duo a Regia Majestate nominabuntur, interim committetur, qui illa fideliter administrabunt, donec modo debito destinentur, et applicentur.

Art. XIII. Cum in ditionibus citra Pharum sub Militari regimine haud parva pars bonorum ad Ecclesiam spectantium alienata fuerit, cumque Majestas Sua, ut omni, qua posset, ratione hostium incursioni obsisteret, tum Neapoli, antequam hostes praedictas ditiones invaderent, tum in ditionibus trans Pharum ne invaderentur, bona pariter ecclesiastica in parva quantitate alienare et ipsa coacta fuerit, assignatis tamen possessoribus ecclesiasticis in praedicta ditione trans Pharum pro debita indemnitate totidem reditibus civilibus; hinc instante Majestate Sua, et ne publica tranquillitas perturbetur, cujus Conservatio Religioni quam maxime interest, Sanctitas Sua declarat eos omnes, qui praedicta Ecclesiae bona alienata possident, nullam molestiam habituros neque a Se, neque Romanis Pontificibus Successoribus suis; ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, reditus, et jura iis inhaerentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

Art. XIV. Bonorum Patrimonii Regularis, quae a militari regimine non alienata, et in administratione vulgo *del Demanio* in reditu Majestatis Suae reperta fuere, cum ea sit conditio, ut minime sufficiant restituendis omnibus utriusque sexus Religiosis Domibus, eaedem eo majori numero restituentur, quem dotationum, quae supersunt, modus patietur, ex iis praesertim Institutis, quae Juventuti in Religione, et Literis instituendae, curae Infirmorum, et Praedicationi verbi Dei incumbunt.

Bona Ordinum Regularium possidentium non alienata, debita proportione Religiosis Domibus reserandis assignabuntur, quin ulla habeatur ratio de antiquae proprietatis titulis, qui tituli omnes in vim hujus articuli declarantur extincti.

Domus Religiosae non alienatae, exceptis iis, quae publicis usibus in totum addictae sunt, si ob redituum defectum restitui non poterunt, Patrimonii Regularis partem efficient. Quoties autem dicti Patrimonii utilitas id postulaverit, etiam alienari poterunt, ea tamen lege, ut pretium inde percipiendum in favorem praefati Patrimonii cedat.

Numerus existentium Conventuum Religiosorum Mendicantium, quos Minores Observantes, Reformatos, Alcantarinos, et Capucinos vocant, quoties circumstantiae, et Fidelium necessitates id postulent, augebitur.

Postquam Religiosae Domus constitutae, et dotatae fuerint, Ordinibus Regularibus possidentibus, nec non Sacris Virginibus habito respectu ad ea, quae ad vitam sustentandam iis suppetent,

Novitios acceptare liberum erit. Eadem ratione acceptatio Novitiorum libera erit Religiosis Mendicantibus.

Puellarum, quae in posterum sese Deo mancipabunt, dotes, quas attulerint, juxta leges canonicas Monasterio cedent.

Religiosi omnes tam Mendicantes, quam Possidentes in utriusque Siciliae regno vel existentes, vel restituendi, suis Superioribus Generalibus subditi sunt.

Religiosis eorum Institutorum Regularium possidentium, quae in dominiis citra Pharum restituentur, saecularizationis Indultum a S. Sede obtinentibus, et de aliquo ecclesiastico Beneficio non provisis, Gubernium Aerarii publici sumptibus, titulo patrimonii, annuam pensionem, qua tunc gaudent, persolvet, donec de congruenti Beneficio, aut Cappellania provideantur. Religiosis autem illorum Institutorum, quae restitui non poterunt, annua pensio, qua nunc gaudent, a Gubernio indistincte persolvetur.

Art. XV. Ecclesia jus habebit novas acquirendi possessiones, et quidquid de novo acquisierit, faciet suum, et censebitur eodem jure, ac veteres Fundationes Ecclesiasticae.

Hac libertate in posterum gaudebit Ecclesia, quin tamen praejudicium ullum afferatur legalibus effectibus legum, vulgo *di ammortizzazione*, quae in Regno viguerunt usque ad hanc diem, earumque legum executioni etiam in posterum pro casibus nondum consummatis, et conditionibus nondum impletis.

Nulla Fundationum Ecclesiasticarum fiet suppressio, aut unio absque interventu auctoritatis Sedis Apostolicae, salvis facultatibus a Sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis.

Art. XVI. Quum luctuosae temporum circumstantiae non patiantur Ecclesiasticos exemptione a publicis regiis, et Civitatis oneribus gaudere, Majestas sua pollicetur abusum superioribus temporibus in Regno introductum, quo Ecclesiastici, eorumque bona durioribus taxis prae Laicis praegravabantur, cessaturum: quin imo cum per feliciora tempora Status conditio prosperior evadet, Regia Majestas largitionibus Clero opitulabitur.

Art. XVII. Mons *Frumentarius* nuncupatus, Neapoli erectus, sive regia Procuratio spoliorum, et redituum Mensarum Episcopalium, Abbatiarum, aliorumque beneficiorum vacantium supprimitur.

Vix nova Dioecesium Circumscriptione peracta, in qualibet earum constituentur Administrationes Dioecesanae, quarum unaquaeque constabit duobus Canonicis a Capitulo seu metropolitano, seu cathedrali tertio quoque anno per suffragiorum pluralitatem eligendis, ac renovandis, et a Regio Procuratore, quem Majestas Sua nominabit.

Cuilibet Congregationi, seu Administrationi Dioecesanae praesidebit Episcopus, aut ejus Vicarius Generalis, Sede vero vacante Vicarius Capitularis.

Ordinarius, et Regia Majestas per suum Administrum, collatis consiliis, fructus ex supradictis Beneficiis vacantibus perceptos in favorem Ecclesiarum, Hospitalium, Seminariorum, in subsidia charitatis, et in alios usus pios erogabunt, servata tamen dimidia parte redituum Mensarum episcopalium vacantium pro futuro earumdem Episcopo.

Regia praescriptio adhuc vigens, vi cujus tertia pars redituum Mensarum episcopalium, et beneficiorum sub appellatione *Tertii Pensionabilis* apud supradicti Montis Frumentarii Administratorem deponebatur, per praesentem Articulum abrogatur, quin tamen praesentes pensionarii priventur pensionibus, quibus nunc gaudent.

Tempore provisionum Episcopatuum, et Beneficiorum regiae nominationis, reservatio pensionum secundum formas canonicas locum habere perget. Nominati a Majestate Sua ad praedictas pensiones a S. Sede Bullas Apostolicas obtinebunt, vi quarum pensiones ipsas, quoad vixerint, percipere, et suas facere poterunt. Pensionario vita functo, Episcopatus, aut Beneficium ab onere persolvendae pensionis, qua gravabatur, liberum erit.

Art. XVIII. Sanctitas Sua super aliquas episcopales Mensas, et Abbatias Regni designandas sibi reservat in perpetuum annuas pensiones in summa ducatorum duodecim millium, quas Romanus Pontifex pro tempore suis subditis Status ecclesiastici pro lubitu conferet.

Art. XIX. Beneficia, et Abatiae existentes in Regno utriusque Siciliae, quarum fructus aut ex toto, aut ex parte applicati reperiuntur personis ecclesiasticis, et aliquibus Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis, et piis Domibus Urbis, aliorumque Locorum Status Ecclesiastici, suam conservabunt applicationem in favorem praedictorum. Haec dispositio non respicit Beneficia, et Abatias regii patronatus, et illa, quorum bona alienata fuerunt.

Art. XX. Archiepiscopi, et Episcopi in exercitio eorum Pastoralis Ministerii prorsus liberi erunt secundum Sacros Canones.

Causas Ecclesiasticas, atque in primis causas Matrimoniales, quae juxta canonem 12. Sess. 24. sacri Concilii Tridentini ad Judices Ecclesiasticos spectant, in Foro eorum cognoscent, ac de iis sententiam ferent. Haec dispositio non respicit causas civiles Clericorum, exempli gratia, contractuum, debitorum, haereditatum, quas Laici Judices cognoscent, et definient.

In Clericos reprehensione dignos, aut honestum clericalem habitum eorum ordini et dignitati congruentem non deferentes, poenas a sacro Concilio Tridentino statutas, aliasque, quas convenientes judicavarint, salvo canonico recursu, infligent, eosque in seminariis, et domibus Regularium claudent: censuris quoque animadvertent in quoscumque Fideles ecclesiasticarum legum, et sacrorum canonum transgressores.

In Sacris Visitationibus suarum Dioecesium, et ad limina Apostolorum peragendis, et in Dioecesanis Synodis convocandis liberi erunt.

Cum Clero, et Populo dioecesano pro munere officii pastoralis communicare, suasque instructiones, et ordinationes de rebus ecclesiasticis libere publicare, indicere preces publicas, aliaque pia opera, cum id bonum Ecclesiae, vel Status, aut Populi postulet, Archiepiscopis, et Episcopis Regni liberum erit.

Causae majores spectabunt ad Summum Pontificem.

Art. XXI. Archiepiscopi, et Episcopi, praemisso praescripto examine, Clericos de necessario patrimonio, aut alio canonico titulo provisos, quos suis dioecesibus necessarios, aut utiles judicaverint, ad Sacros Ordines promovebunt, servatis tamen cautelis, et praescriptionibus in Decreto die prima Julii anni 1623. a S. M. Gregorio XV. lato, nec non capite 4. Conventionis anni 741. cujus titulus est — *Requisiti de' Promovendi* — contentis, quibus cautelis, et praescriptionibus per praesentem Conventionem non derogatur.

Ne autem Ecclesiasticis ad vitam sustentandam necessaria desint, annona praesentibus temporibus arctiore facta, Archiepiscopi, et Episcopi post hujus conventionis publicationem taxam sacri patrimonii promovendorum ad Sacros Ordines, quae in bonis stabilibus constituenda erit, augebunt, ita tamen ut nec minor sit ducatis quinquaginta, nec ducatis octoginta major.

Quia vero experientia compertum est, in Regno per artem et fraudem Clericis ad Sacros Ordines promovendis pro sacro patrimonio eos fundos saepe assignari, qui vel ficti sunt, vel hypothecis, aliisque vinculis obnoxii, quo fit ut pluribus Ecclesiasticis post ordinationem modus sustendandae vitae desit, ut hujusmodi abusus evitetur, ad facti veritatem adstruendam, de pertinentia, ut ajunt, atque exemptione ab omni hypothecae vinculo fundi, vel fundorum, qui a promovendis ad Sacros Ordines pro sacro patrimonio exhibentur, legaliter constare debebit: ad quem effectum Curiae ecclesiasticae documentum authenticum de pertinentia, ut supra dictum est, et libertate fundi a Tribunali Civili Provinciae exquirent, a quo illud recusari non poterit.

Si qui vero Clerici ad sacros ordines Beneficii ecclesiastici, aut Cappellaniae titulo promovebuntur, quoties talis Beneficii, aut Cappellaniae annuus reditus ad taxam dioecesanam, ut supra, non pertingat, tantumdem sibi ex aliis liberis fundis constituent, quantum supradictae taxae integritas postulaverit.

Excipiuntur illae dioeceses, in quibus ex dioecesana lege taxa sacri patrimonii in majori summa canonice constituta reperiatur, respectu quarum nulla mutatio fiet.

Art. XXII. Liberum erit ad Sanctam Sedem appellare.

Art. XXIII. Episcoporum, Cleri, et Populi communicatio cum Sancta Sede in rebus spiritualibus, et negotiis ecclesiasticis prorsus libera erit, ac consequenter Epistolae, ut ajunt, Circulares, Leges, et Decreta circa *Liceat Scribere* abrogantur.

Art. XXIV. Quoties Archiepiscopi, et Episcopi in libris introductis, vel qui imprimuntur in Regno, aliquid repererint Ecclesiae doctrinae, aut bonis moribus contrarium, Gubernium eorum librorum divulgationem non permittet.

Art. XXV. Regii Delegati Jurisdictionis ecclesiasticae munus a Majestate Sua supprimitur.

Art. XXVI. Curia Cappellani Majoris, ejusque jurisdictio, iis continebitur limitibus, qui in Constitutione fel. rec. Benedicti XIV. cujus initium — *Convenit* — et sequenti ejusdem Pontificis *Motu proprio* super eadem re praescribuntur.

Art. XXVII. Ecclesiae proprietas in suis possessionibus, et acquisitionibus sacra et inviolabilis erit.

Art. XXVIII. Sanctitas Sua attenta utilitate, quae ex hac Conventione manat in Religionem et in Ecclesiam, utque singularis benevolentiae suae testimonium Majestati Ferdinandi Regis praebeat, Eidem, atque ab Eo descendentibus catholicis in regno Successoribus, concedit in perpetuum Indultum nominandi dignos et idoneos ecclesiasticos viros iis dotibus praeditos, quas sacri canones requirunt, ad omnes illas Archiepiscopales, et Episcopales Ecclesias regni utriusque Siciliae, ad quas Majestas Sua jure nominandi nondum gaudebat; ac propterea statim post hujus Conventionis ratificationem Literas Apostolicas, quibus hoc Indultum continebitur, expediri jubebit.

Majestas Sua tempore debito Sanctitati Suae Nominatos manifestabit, ut necessarii processus juxta canones de iis fiant, atque Canonicam institutionem modis et formis consuetis obtineant. Priusquam vero eam obtinuerint, regimini, seu administrationi Ecclesiarum respectivarum, ad quas erunt designati, nullo modo sese immiscere poterunt.

Art. XXIX. Archiepiscopi, et Episcopi coram Majestate Regia juramentum fidelitatis emittent sequentibus verbis expressum. — Ego juro et promitto ad Sancta Dei Evangelia obedientiam, et fidelitatem Regiae Majestati, item promitto me nullam communicationem habituram, nullique consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra, neque extra conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat, et si tam in dioecesi mea, quam alibi noverim aliquid in Status damnum tractari, Majestati Suae manifestabo.

Art. XXX. Caetera vero res ecclesiasticas spectantia, quorum nulla mentio in his articulis facta est, dirigentur juxta vigentem Ecclesiae disciplinam. Si qua vero supervenerit difficultas, Sanctitas Sua, et Majestas Sua secum conferre sibi reservant.

Art. XXXI. Praesens Conventio substituitur omnibus Legibus, Ordinationibus, et Decretis in regno utriusque Siciliae circa res Religionis huc usque latis.

Art. XXXII. Cum nomine Regiae Majestatis fuerit expositum Sanctitati Suae Conventione anni 1741., attentis praesentibus Ecclesiarum regni citra Pharum necessitatibus; nec non effectibus ab hostili invasione exortis, non satis amplius prospicere malis, quibus omnino mederi necesse est, ac praeterea Ditionibus quoque trans Pharum, quas praedicta Conventio complexa non fuerat, esse consulendum; insuper cum ex Ditionibus ultra et citra Pharum unum modo Regnum efformatum sit, uniformem omnino regulam constituendam esse in Ecclesiis universi Regni observandam, utriusque Partis consensu praesens Conventio praecedenti substituitur.

Alios articulos ad XXXV. usque qui sponsionem servandi Concordatum ipsum, ratificationem, et executionem continent omittendos putamus. Utilius autem sacram jurisprudentiam discentibus arbitramur, heic Concordatum Benedictum XIV. inter et Carolum III. an. 1741. initum subnectere, quo Ecclesiae Neapolitanae sacra disciplina ante an. 1818. regebatur, et nunc omnia, quorum nulla mentio in novissimo Concordato facta est, sunt dirigenda, uti XXX. articulo hujus praescriptum legitur:

CONCORDATUM

Anno 1741 Benedictum XIV inter, et Carolum III initum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Memores Apostolici illius moniti: in pace vocavit nos Deus: non enim est dissensionis Deus, sed pacis: pastoralis nostrae sollicitudinis frequentes dirigimus curas ad omnes occasiones et caussas tollendas, quibus contentiones et dissidia inter Dei sacerdotes, et laicae potestatis ministros ali ac foveri solent, unde plurima, et gravissima saepenumero exoriri mala contingit, in animarum perniciem, et ecclesiasticae disciplinae perturbationem. Itaque lubenti animo amplectimur quaecumque a carissimis in Christo filiis, catholicae Ecclesiae regibus, ac principibus, nobis opportune suggeruntur, ad stabilendam firmandamque in eorum regnis, ac provinciis pacem et tranquillitatem, qua Ecclesia sancta, ejusque populus in Domino gaudeat et laetetur.

Nuper quidem, nempe die secunda currentis mensis junii, ad sedandas, componendasque controversias inter curias ecclesiasticas, et curias saeculares jampridem exortas, quibus et ordinariorum jurisdictio impediebatur, et ecclesiasticae disciplinae frangebatur vigor, et populorum quies, et unio perturbabatur, aliaque plura, et gravia oriebantur mala, et majora in diem timeri poterant, quibus non mediocriter paternus animus noster, et pastoralis commovebatur sollicitudo: quaedam conventiones, capitula, et concordata, ex parte quidem, et nomine Sedis apostolicae a dilecto filio nostro Sylvio S. R. E. Presbytero Cardinali tit. S. Priscae Valente Gonzaga nuncupato, ex parte vero, et nomine carissimi in Christo filii nostri Caroli, utriusque Siciliae, et Hierusalem regis illustris, et infantis Hispaniarum a dilecto pariter filio nostro Trojano tit. S. Caeciliae Cardinali de Aquaviva, tum etiam a venerabili fratre Caelestino Archiepiscopo Thessalonicensi, ejusdem Caroli regis plenipotentiariis, subscripta fuerunt, habito prius eorum diligenti ac maturo examine a nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, et romanae curiae praelatis, nec non a praefatis Trojano Cardinali, et Caelestino Archiepiscopo Thessalonicensi, sub praedecessore nostro rec. mem. Clemente XII. et deinde etiam coram nobis, qui etiam per Nosmet ipsi non semel ea considerare, et expendere curavimus, et tanquam temporum conditioni, rerumque statui congrua, et opportuna, ac necessaria ad optatam pacem et concordiam inter utrasque curias, et clerum, et populum restituendam, firmandamque approbavimus. Horum autem tenor, qui sequitur, videlicet:

TRATTATO DI ACCOMODAMENTO.

Per terminar le dispute e controversie, che da più secoli nel regno di Napoli sono state su diversi capi tra le curie laiche, ed ecclesiastiche, e per torre con ciò ogni occasione di discordie tra le due potestà; la Santità di nostro Signore Benedetto XIV, e la maestà di Carlo Infante di Spagna, Re delle due Sicilie, per mezzo de' loro plenipotenziari, muniti delle necessarie facoltà, dopo diligentissimo esame, e matura deliberazione, nella quale per parte di Sua Santità si è inteso il parere di alcuni signori Cardinali, son convenuti ne' seguenti capitoli, che dovranno da amendue le parti per l'avvenire perpetuamente, ed inviolabilmente osservarsi, col cominciarsene l'esecuzione in tutto ciò che potrà subito, e senza dilazione praticarsi ed eseguirsi, dopochè questo presente trattato sarà stato sottoscritto, e ratificato.

Capo I. — *Immunità reale.*

Trovandosi la maggior parte delle comunità del regno esauste, ed impotenti a soddisfare sì a' pubblici pesi, come a' frutti de' debiti, che si trovano per bisogni pubblici dello stato aver contratti, per lo più con monasteri di povere monache, capitoli, ed altri luoghi, e comunità ecclesiastiche; e dall' altra parte, per la maniera, come ora si riscuotono le pubbliche imposizioni, cadendone la maggior parte del peso sopra la più misera gente, necessitata in certi luoghi per un rubbio di macinato a pagare di gabella niente meno di quattro ducati, ed in altri, dove si vive a testatico, un miserabile, che non ha che le sole braccia, con le quali dee mantener se stesso, e tutta la sua povera famiglia, è talvolta costretto a pagare fino ad otto, o dieci ducati l'anno: quindi S. M. per sollievo de' suoi più poveri sudditi, e di que' luoghi pii, e precisamente de' monasteri di povere monache, che, per aver la maggior parte delle lor rendite in censi attivi sopra le comunità, si trovano ridotti in molta strettezza, ha determinato, mediante un general catasto di tutti i beni del regno, fare una più giusta distribuzione de' pubblici pesi. Ma tutto ciò non ostante, de' beni del regno trovandosi gran parte passata *in manus mortuas*, senza che per essi si paghi un sol quatrino per i bisogni dello stato, i soli beni posseduti da' laici non possono bastare pel sollievo desiderato de' poveri, e delle comunità: perciò la Santità di nostro Signore, attesa l' impotenza de' laici, ed avendo ugualmente a cuore il sollievo della più misera gente del detto regno, e de' luoghi pii, che hanno crediti con le comunità, aderendo alle istanze di Sua Maestà, è benignamente condiscesa, che per quello, che riguarda l' esenzione e le franchigie degli ecclesiastici del regno di Napoli, si osservi per l' avvenire quanto vien disposto ne' seguenti articoli.

1. Ne' catasti, i quali si debbon fare, o debbon rinnovarsi, per ordine regio, da tutte le università del regno, si comprenderanno, e si faranno descrivere tutti i beni, di qualsivoglia natura si sieno, posseduti dagli ecclesiastici secolari, e regolari; al qual' effetto gli ordinari di ogni luogo sforzeranno i renitenti per le vie legali a farne le rivele, darne le assegne, ed a tutt' altro, che sia per essere a ciò necessario: con dichiarazione però, che il detto catasto, e tuttociò si faccia con l'assistenza degli ordinari medesimi: de' deputati del clero, ed a spese unicamente de' laici.

2. Fatto che si farà di mano in mano da ciascheduna comunità il suo catasto, ai pubblici pesi, che sopra dei beni accatastati si pagheranno da possessori laici, le comunità ecclesiastiche, chiese, ed altri luoghi pii ecclesiastici contribuiranno solamente per la metà di quello, che quei tali lor beni

pagherebbero, se si possedessero da' laici, detratti bensì prima tutti i pesi annessi a' detti beni, che sono obbligati a soddisfare. Ben inteso però, che tra questi pesi non sia mai compreso il mantenimento, ed alimento delle persone. La qual suddetta contribuzione per li beni ecclesiastici, come sopra, dovrà in ciascun luogo, ed università del regno cominciar dal giorno, che in esso i laici, in vigore del nuovo catasto da farsi, o pure già fatto fino al giorno d'oggi, come si verifica di qualche luogo, cominceranno a pagare i pubblici pesi, senza che debba aspettarsi, che il suddetto nuovo catasto sia terminato per tutto il regno. E considerando sua Beatitudine, che vi sono moltissime fondazioni del regno suddetto, particolarmente di regolari, fatte nel secolo passato, e nel presente, di rendite assai considerabili, e tali, che compongono forse la maggior parte delle rendite degli ecclesiastici; e che restando queste esenti ed immuni dalla detta contribuzione per la facilità, che hanno di provare i loro titoli di prima erezione, la maggior parte del peso si rifonderebbe nelle prime erezioni fatte ne' secoli antecedenti, per la pruova, o deficiente, o assai difficile per rintracciare la fondazione; come anche ne' più poveri luoghi pii, e persone ecclesiastiche: nè si avrebbe il fine desiderato, che si è espresso di sopra, perchè anche i laici, oppressi da gravi pesi, sarebbero obbligati a contribuire molto più, ed oltre alle lor forze; perciò è anche condiscesa permettere, ed ordinare, che restino sottoposte alla divisata contribuzione anche tutte le fondazioni di ogni sorte, detratti però sempre prima tutti i pesi, ed obblighi, come sopra. E la suddetta contribuzione sopra i beni passati *in manus mortuas*, si pagherà totalmente fino a tanto che dureranno i presenti bisogni delle università del regno, e per que' soli pesi, che si trovano imposti fino al giorno d'oggi, e non già per quei, che si potranno imporre per l'avvenire.

3. Alla contribuzione, come sopra stabilita, resteranno soggetti i beni posseduti da tutte le comunità ecclesiastiche, chiese, ed altri luoghi pii ecclesiastici, di qualunque sorte si sieno, di religiosi delle undici congregazioni, di Gesuiti, di cavalieri di Malta, e loro commende, di mense episcopali, o archiepiscopali, di abazie concistoriali, e possedute da' signori Cardinali: esclusi solamente i beni di quei benefizi, che si assegneranno agli ordinandi in patrimonio sagro, per quella sola rata però, che secondo la tassa sinodale, e conciliare importerà il detto patrimonio: ed esclusi anche i beni delle parrocchie, de' seminari, e degli spedali. E come gravandosi in questa forma tutti i beni privilegiati delle chiese, non è dovere, che a confronto di ciò goda nessun laico alcuna esenzione, la quale venga poi ad accrescere il peso degli ecclesiastici; perciò il ripartimento de' pubblici pesi dovrà farsi a proporzione di tutti i beni di qualunque sorte, come si è detto di sopra, realmente posseduti da ogni laico tanto cittadino, quanto forastiere, e de' beni burgensatici posseduti da' baroni, e di tutti quelli che sono, e saranno descritti nel catasto di ciascheduna comunità: laonde volendo il sovrano esimere per l'avvenire qualcuno da questa contribuzione, l'importo dell'esenzione di esso dovrà ripartirsi, ed accrescersi sopra de' beni degli altri secolari, e non mai sopra quei delle chiese, e delle comunità, e luoghi ecclesiastici.

4. Tutti quei beni delle suddette chiese, comunità, e luoghi ecclesiastici, che saranno sottoposti alla divisata contribuzione, dovranno egualmente pagarla, o che essi gli facciano a mano propria, o che gli dieno in affitto, o colonia. Il colono bensì, per la sua porzione colonica, dovrà soggiacere a tutti que' pesi, a' quali soggiacciono tutti gli altri laici.

5. Succedendo, che dal giorno di oggi in avvenire qualche chiesa, comunità, o luogo ecclesiastico acquisti nuovi beni, di qualunque natura si sieno, dovranno i detti beni restare perpetuamente sottoposti a tutti i tributi regi, e pubblici pesi, che si pagano, e pagheranno da' laici.

6. Quanto poi a' beni patrimoniali degli ecclesiastici particolari, saranno tutti soggetti a tutti quei pesi, a' quali soggiacciono i beni de' laici, a riserva solamente di quella porzione di beni, che secondo le tasse sinodali de' luoghi, quando non si ordinano *ad titulum beneficii*, sarà loro assegnata, per titolo dell' ordinazione, la qual porzione, o sia patrimonio sagro, dovrà essere affatto immune ed esente da qualunque peso: e ciò si osserverà ancora per gli ecclesiastici Greci, quantunque abbiano mogli.

7. I beni, che si assegnano agli ecclesiastici per patrimonio sacro, giusta la disposizione de' sinodi, e secondo i decreti che han fatto, o che faranno i vescovi, purchè non sieno di minor frutto di ventiquattro ducati annui, e non oltrepassino quello di quaranta, secondo gli ordini, che Sua Santità darà a' vescovi sopra la tassa de' patrimoni; dovranno godere di una totale esenzione, o che gli facciano a mano loro, o che gli dieno in affitto, o colonia, o che sieno assegnati al promovendo dal padre, ò dalla madre, o da qualunque altra congiunta, o estranea persona: con dichiarazione bensì, che di questa esenzione dovranno cominciare a godere solamente dal giorno, in cui l'ordinando ascenderà all' ordine del suddiaconato, e non prima, quantunque il patrimonio sagro fosse costituito fino da quando il cherico fu iniziato alla prima tonsura.

8. E nell' attuale riparto, che dovrà farsi de' già detti pesi sopra i beni degli ecclesiastici, e secolari, dovranno intervenirvi, ed essere intesi, come interessati, i deputati dell' uno, e dell' altro clero. Così parimente quando dagli amministratori si renderanno i conti in ciascun' anno a' soliti deputati di qualunque comunità, dovrà intervenirvi un deputato ecclesiastico, unicamente per invigilare sopra le alterazioni, che fossero potuto succedere dopo il primo ripartimento sopra il più, ed il meno della contribuzione degli ecclesiastici.

9. Essendo gli ecclesiastici renitenti, o morosi a pagare la porzione loro spettante de' suddetti pesi, l' esattore laico esibisca, o mandi la nota di essi al vescovo, o ordinario del luogo, il quale sotto la medesima dia l' *exequatur*, che si proceda contro di loro, *per quoscumque, quoad executionem realem tantum*. E negandosi dal vescovo, o ordinario del luogo, che possa l' esattore laico ricorrere al metropolitano, o al tribunal misto.

10. L' uso poi delle franchigie, da godersi dagli ecclesiastici, dovrà regolarsi a tenore di quello, che trovasi stabilito ne' seguenti articoli.

11. Ai vescovi, ed altri ordinari de' luoghi dovranno darsi le franchigie, a misura della convenienza, e bisogno di ciascuno, avuto riguardo al numero de' familiari laici, che ognuno di loro ritiene al proprio servigio, che vivono propriamente a loro spese, ed alla limosina di pane, che ciascuna di loro è solito di fare: la qual convenienza, e bisogno di ciascun vescovo, a proporzion delle rendite del suo vescovato, sarà esaminata, e stabilita in Napoli da monsignor Nunzio apostolico, e da un ministro regio: ed in caso che questi non convenissero, si devolva al tribunal misto.

12. Gli ecclesiastici del clero secolare, dal giorno, che saranno promossi al suddiaconato, e non prima, goderanno dell' esenzione di sei tomola di farina l' anno per ciascheduno: e ciò s' intenda, tanto vivente il lor padre, quanto dopo la morte di esso.

13. Gli ecclesiastici poi del clero regolare, sì dell' uno, come dell' altro sesso, compresi anche i luoghi pii ecclesiastici, e religiosi, come sono i conservatori, e simili, goderanno l' esenzione di cinque tomola di farina l' anno per ciascheduna persona collocata ne' detti conservatori; come anche per ciascun religioso, o religiosa, computati in questo numero quei solamente, che vestono l' abito della religione, tra' quali restano in conseguenza compresi i professi, novizi, e terziari dell' uno, e dell' altro sesso, che vivono collegialmente.

14. Ai seminari dovrà bonificarsi la franchigia a proporzione del numero di tutti gli alunni, che mantengono, o laici, o ecclesiastici che sieno, a ragione di cinque tomola per ciascheduno, come anche de' servidori, e ministri laici necessari al loro attual servizio; purchè ne' gran seminari non sieno più di quattro; e ne' piccioli più di due: a riserva de' suddiaconi, diaconi, e sacerdoti, che ivi servissero, a' quali si darà la franchigia di sei tomola, in conformità di quanto si è detto di sopra.

15. I suddiaconi, diaconi, e sacerdoti godranno la suddetta franchigia solamente nella patria loro, o ne' luoghi, dove avran fissato il lor domicilio, o per avervi qualche beneficio, che obblighi alla residenza, quando sono ivi presenti; ma trovandosene assenti, non debbano goderla nè ivi, nè altrove; purchè in qualche luogo dentro lo stesso regno di Napoli non si trovino impiegati nel servizio di qualche chiesa, luogo pio, o scuola: perchè allora potranno goderla solamente nel luogo, dove dimorano, e rendono un tal servizio. Da questa regola vengono eccettuati solamente i vescovi, ed altri ordinari de' luoghi, i quali, benchè si allontanino dalla residenza, seguiteranno ivi a godere delle franchigie, a proporzione del numero di quei familiari laici, che, continuando a vivere a loro spese, avranno lasciati le rispettive loro diocesi; come pure delle limosine di pane, che seguiteranno a fare, anche durante la loro assenza: e tutto ciò proporzionatamente alla destinazione, che come sopra si è detto, si farà per ciaschedun vescovo da monsignor Nunzio, e da un ministro regio, o dal tribunal misto, in caso di discordia tra loro.

16. Le suddette franchigie dagli ecclesiastici si godranno in ispecie, senza poterle vendere, nè donare di sorte alcuna: a riserva del caso di quegli ecclesiastici, i quali non avendo grano, e non facendo pane in casa, sono obbligati a comprarlo ne' forni pubblici, o pure in piazza, a quali sarà permesso di vendere la loro franchigia, purchè nol comprino esente dalla gabella.

17. Le franchigie, che in alcuni luohgi del regno si godono dagli ecclesiastici sopra altre specie di viveri, continueranno a goderle, come le godono presentemente tutte le suddette persone, che godranno dell'esenzione sopra la farina.

18. Se poi le suddette franchigie, precise quella della farina, in cambio di farle godere in ispecie, vi fosse già in alcun luogo tra la comunità, ed il clero un'accordo di pagarle in contanti; in questo caso se l'accordo sarà legittimo, e fatto co' debiti assensi, e se sarà inoltre per minor quantità di quella, che si trova stabilita nel presente trattato, dovrà osservarsi: ma se sarà per quantità maggiore, dovrà moderarsi a proporzione delle franchigie, che dagli ecclesiastici si godranno, in vigore del presente trattato.

19. Si dichiara bensì, che tutto quello, che si è fin qui disposto in materia delle franchigie, non dovrà aver luogo rispetto all' arcivescovo, clero secolare, e seminario della città di Napoli, per li quali seguiterà a praticarsi inalterabilmente quello, che si è per lo più costumato da trent' anni in qua, senz' alcun riguardo a qualunque novità si fosse fatta in contrario: ma lo avrà bensì rispetto a tutto il resto del regno, non ostante qualsisia consuetudine, o transazione, con la quale fossero state stabilite le franchigie suddette in quantità maggiore.

20. E pretendendosi dagli ecclesiastici di qualunque luogo del regno, che *titulo oneroso* se ne goda da loro sotto nome di franchigia una maggior quantità, se ne dovrà da essi esibire, e provare prontamente il titolo oneroso nel tribunal misto: dal quale, giustificato che sia il titolo oneroso, non si mancherà ordinare, che si facciano godere dagli ecclesiastici quelle franchigie, che loro converranno di giustizia.

21. Quello, che si è disposto per li cherici, e preti latini, avrà ancora luo-

go per li preti, e chierici greci, ancorchè sieno ammogliati: i quali dal giorno, che saranno promossi al suddiaconato, godranno ancor'essi la franchigia di sei tomola di farina l'anno, e tutte le altre, che in quel tal luogo si godono da' preti latini sopra altre specie di viveri.

22. Finalmente i chierici, e diaconi selvatici, gli eremiti, le bizzoche, e chiunque patentato, o privilegiato, con qualunque nome si chiami, sia delle curie ecclesiastiche, sia de' luoghi pii, e di abazie, anche cardinalizie, non dovranno godere di alcuna delle sopraddette, o di qualunque altra esenzione; ma ognuno di essi resterà soggetto al pagamento di tutti i dazi, e di tutte le gabelle, ed a qualunque altro peso, a guisa degli altri laici.

Cap. II. — *Immunità locale.*

1. Rifuggiandosi nel luogo immune qualunque de' delinquenti laici, supposto reo di eccettuato delitto, ad ogn' istanza e richiesta del laico magistrato, con gl' indizi *ad capturam*, concedasi da' vescovi, e loro vicari generali in città, e negli altri luoghi da' vicari foranei, ed in mancanza di questi dalla persona ecclesiastica più degna, che fa figura di superiore nel luogo, la licenza di trarlo dal sagro asilo, con l' intervento di persona ecclesiastica, da destinarsi da' medesimi, e si consegni alla curia secolare con l' obbligo giurato *in scriptis* di ritenere il reo *nomine ecclesiae*, e di restituirlo alla Chiesa, in caso si decida che debba goderla; e non restituendosi, rimanga al vescovo la facoltà di procedere contro del magistrato secolare con le pene canoniche di violata immunità.

2. Nel caso che rispetto agli accennati delinquenti la detta licenza fosse negata, dopo ricercata nel modo detto di sopra, sia lecito al giudice laico, senza timore d' incorrere nelle censure, estrarre il delinquente con tutta modestia, e senza scandalo, con l' obbligo però in iscritto, come sopra, da trasmettersi alla curia ecclesiastica del vescovo.

3. Costituito il reo nelle carceri laicali, si formi dal giudice secolare il processo informativo sopra il delitto, e nel termine di quattro mesi si esibisca alla curia del vescovo; e questi dentro il termine di un mese debba dichiarare, se il reo goda, o no.

4. Quando poi il giudice laico fra lo spazio di quattro mesi non esibisca il processo, dovrà il vescovo richiederlo per la restituzione del reo alla chiesa; la qual restituzione non potrà dal giudice laico ritardarsi a forma dell' obbligo fatto nell' atto della consegna. E quando il vescovo nello spazio prefisso di un mese non avrà dichiarato, s' intenda *eo ipso* devoluto il giudizio al tribunal misto.

5. Perchè possa il vescovo dichiarare, che l' inquisito non goda del beneficio dell' asilo, bastino gl' indizi *ad torturam*.

6. Dichiarandosi dal vescovo, che il reo non goda, in tal caso debba cessare l' effetto dell' obbligo fatto dal giudice laico nell' atto della consegna, detto di sopra: ed all' incontro dall' istesso giudice laico dovrà farsi nuovo obbligo del tenore di quello detto di sopra, di rimettere il reo in chiesa, qualora il medesimo abbia nelle sue difese purgati gl' indizi sopra la qualità che rende il delitto eccettuato; restando ciò a carico della coscienza dello stesso giudice laico.

7. Dal giudizio del vescovo non si ammetta al reo alcun ricorso, ma potranno tanto il fisco laico, quanto il fisco ecclesiastico ricorrere al tribunal misto, al quale sia lecito impugnare, o ordinare nuovo processo, quando così stimi bene.

8. Che sotto nome di vescovi s' intendono i veri vescovi, e non già i prelati inferiori di qualunque specie, quantunque abbiano proprio, e separato territorio, e giuridizione quasi episcopale, dovendosi per tali luoghi esenti

ricorrere o al vescovo diocesano, se il luogo è nella diocesi, o pure al viciniore; alla riserva bensì di quei prelati inferiori, che avessero ottenuto, o che ottenessero dalla sede apostolica uno speciale indulto di procedere in queste cause d' immunità locale.

9. Non godranno per l'avvenire del beneficio dell'asilo tutti i seguenti.

10. Gl' incendiari, cioè coloro, che *dolo malo*, *et data opera* metteranno, o faranno metter fuoco, o che *scienter* daranno ajuto, o consiglio a chi mettesse fuoco a qualunque chiesa, luogo sagro, o religioso, o a qualunque casa abitabile, sita tanto in città, e luoghi abitati, quanto fuori di essi: come altresì a' tuguri costrutti *ad instar domorum*, soliti abitarsi da contadini, o pastori, o sopra gli armenti, alle greggi, alle vigne, seminati, oliveti, selve, o qualunque altro podere alberato, coltivato, e fruttifero.

11. I ricattatori, cioè a dire coloro, i quali conducono, o trasportano violentemente, o dolosamente *de loco ad locum* uomini, e donne, ivi ritenendogli per obbligargli a riscattarsi. Come altresì coloro, che per via di ambasciate, o lettere chieggono danaro, o altra cosa, con minaccia di ammazzare le persone, o d' incendiare i beni di quegli, a' quali son dirette, in caso, che non faccian quello, che chieggono.

12. Coloro, che *scienter*, *dolo malo*, *et animo nocendi* compongono, vendono, o propinano il veleno, quantunque non sia seguita la morte della persona, che volea avvelenarsi, e nè tampoco abbia la medesima in effetto per qualche fortunato accidente preso il veleno.

13. Coloro, che fanno assassinare, o che per commessione data loro assassinano, o che a' suddetti scellerati danno ajuto, o consiglio, quantunque non vi sia seguita la morte, purchè però *deventum fuerit ad actum proximum, hoc est ad insultum, ita ut intervenerit vulnus.*

14. I grassatori, e ladri di strade pubbliche, e vicinali, anche per la prima volta, che commettessero un tal delitto, quantunque senz' alcuna offesa della persona del dirubato.

15. Coloro, che di notte tempo aprono con chiavi false, o adulterine, con grimaldelli, ed altri istrumenti le porte delle case, botteghe, fondachi, e magazzini, o pure, che rompono, e bruciano le suddette porte: o che entrano in tali suddetti luoghi per li tetti, o finestre, o per aperture fatte nelle muraglie, e rubano tanta quantità, per la qual cosa meritano, secondo le leggi comuni, o municipali, la morte.

16. Così parimente coloro, che in tempo di notte, sotto nome di corte, o con falsi pretesti di esser ministri della giustizia, si fanno aprire dagli abitatori le porte delle case; ed ivi entrati rubano, o fanno violenza all' onestà delle donne di detta casa.

17. I falsificatori di cedole, o sieno fedi di credito, o di altre scritture pei pubblici banchi, come altresì coloro, che falsificano ordini, per mezzo de' quali, in pregiudizio della pubblica fede, esigono danaro d' altri depositato ne' pubblici banchi.

18. I mercatanti fraudolentemente decotti, i quali, fingendo di esser falliti, nascondono il loro avere in frode de' loro creditori.

19. I regi tesorieri della città di Napoli, ed i percettori generali delle provincie, i quali, ritenendo, o ricevendo danaro regio dagli officiali inferiori, o da altri debitori della regia camera, per trasmetterlo alla cassa generale, commettono furto, o falsità in somma, che abbia luogo la pena ordinaria. Così pure il cassiere maggiore, o gli altri officiali, e ministri de' pubblici banchi, che rubano da quegli il danaro in tanta quantità, che perciò debbano soggiacere alla stessa pena ordinaria. I conservatori de' pegni, e gli altri ufficiali, e ministri de' pubblici monti, che rubassero i pegni in tanta quantità da dover soggiacere alla medesima pena. E per ultimo coloro, i quali,

essendo pubblici casseiri delle università del regno, rubano il danaro della cassa pubblica nella stessa notabile, e punibile quantità.

20. Tutti i delinquenti, o rei di delitto di lesa maestà nel primo, o secondo capo. E nel secondo capo, per quello che appartiene ad offese personali, fatte a' ministri, ed officiali per ragione del loro officio, intendenti compresi coloro solamente, i quali facessero offesa personale, e non verbale a quei ministri, ed a quegli ufficiali, che amministrano giustizia, ed esercitano giuridizione, comunicata loro immediatamente dal sovrano, e non già dagli utili padroni, e baroni de' luoghi.

21. Coloro, che per forza estraggono, o fanno estrarre i rei dalla chiesa, o qualsivoglia altro luogo immune.

22. Coloro, che tanto nelle chiese, quanto nei cimiteri, o in qualunque altro luogo immune commettono omicidi, mutilazioni di membri, o qualsisia altro delitto, per cui *de jure communi intrat poena sanguinis, aut triremium:* Come altresì coloro, che usciti dalle suddette chiese, e luoghi immuni commettono i medesimi delitti.

23. Coloro, che si abusano del confugio, anche per la prima volta, si estraggano da quello d'ordine del vescovo, e d'ordine del medesimo si trasportino in altra chiesa, nel qual trasporto non possono essere molestati dalla curia secolare *sub poenis violatae immunitatis*; e s'intimi loro, che, abusandosi del confugio per la seconda volta, sarà dichiarato dal vescovo, che non godano più veruna sorte d'immunità ecclesiastica. Ed affinchè da' vescovi del regno possa farsi speditamente una tal dichiarazione, sarà da Sua Santità conceduta loro una volta per sempre le facoltà, acciocchè non debbano in ciascun caso, che potrà occorrere di doverne far uso, scriverne a Roma per ottenerla.

24. Che a coloro, che si rifuggiano nelle chiese, o luoghi immuni, i vescovi, i vicari foranei, o chiunque fa figura di superiore ecclesiastico in città, o in qualunque altro luogo della diocesi, faccian subito toglier le armi, implorando, quando vi sia di bisogno, il braccio della curia secolare; la quale, facendo istanza ai suddetti superiori ecclesiastici, che si levino le armi dalla chiesa, e luoghi immuni, sieno tenuti i medesimi dare la licenza di estrarle con l'intervento di persona ecclesiastica; e non volendosi accordare da' suddetti superiori ecclesiastici la licenza, sia lecito alla potestà secolare estrarre le dette armi: le quali anche nel caso che si tolgano ai rifugiati da' superiori ecclesiastici, dovranno consegnarsi al magistrato laico, premessa la protesta da farsi dalla medesima persona ecclesiastica a tenore del *cap. praelatis de homicid. in 6.*

25. Qualora dovrà farsi qualche perquisizione in chiesa, o in altro luogo immune, di cosa rubata, o di contrabbando, o di scrittura, o di danaro, o robe occultate da' contumaci, e che in qualunque maniera possano al fisco appartenere; dovranno i ministri (senza però esser tenuti a manifestare il luogo preciso ed individuo) chiederne la licenza a' superiori ecclesiastici, la quale dovrà accordarsi in città dal vescovo, e negli altri luoghi della diocesi da' vicari foranei, ed in lor mancanza della persona più degna, che fa figura di superiore ecclesiastico (eccettuati però i monasteri di monache, e conservatori di donne) ottenuta la licenza, si farà la perquisizione con l'intervento di persona ecclesiastica, e ritrovandosi contrabbando, o roba rubata, o qualunque altra roba, o cosa delle dette di sopra, premessa dalla medesima persona ecclesiastica la protesta da farsi a tenore del *cap. praelatis de homicid in 6*, si estrarrà, e si consegnerà alla curia laicale: anzi che chiedendosi dalla medesima la licenza suddetta ai superiori ecclesiastici, se le fosse negata, potrà in tal caso da se stessa procedere alla detta perquisizione, ed estrazione, senza timor d'incorrere nelle censure; a riser-

va però sempre, come sopra, dei monasteri di monache, e de' conservatori di donne.

26. Per l'avvenire non godranno il beneficio dell'immunità i seguenti luoghi.

27. Le chiese rurali esistenti fuori delle città, e luoghi abitati, nelle quali non si conserva il venerabile, eccettuatene le parrocchie, e le chiese filiali delle medesime, nelle quali si esercita la cura delle anime; con dichiarazione, che tanto rispetto alle suddette chiese rurali riserbate, quanto a riguardo di tutte le altre chiese, che sono in città, ed altri luoghi abitati, non debba il benefizio dell'asilo distendersi, quanto all'esteriore, ad altro che all' atrio, quando sia circondato di muro, a' portici, scale, e porte, così anteriori, che laterali, ed alla facciata anteriore solamente.

28. Le cappelle, e gli oratori esistenti nelle case de' particolari, e magnati, quantunque abbiano privilegio di cappelle pubbliche, e l'adito in istrada pubblica. Così parimente tutte le cappelle delle fortezze, e castelli chiusi, ancorchè si conservi in esse il Santissimo Sagramento.

29. I campanili separati dalle chiese, e dalle muraglie di esse.

30. Le chiese dirute, ed abbandonate con la precedente profanazione, che si ordinerà a' vescovi, ed ordinari dei luoghi rispettivamente di fare.

31. Gli orti, e giardini, ed altri luoghi di chiese, o di qualsisia altra casa religiosa, i quali non sono circondati da muraglie, e non sono compresi nella clausura.

32. Le botteghe, e le case attaccate alle muraglie delle chiese, o de' monasteri, o di qualsisia altra casa religiosa, quantunque abbiano interna comunicazione con le medesime, purchè non sieno comprese nella clausura.

33. Le case, in cui abitano i sacerdoti, o altri ecclesiastici, ancorchè abbiano l'ingresso nella chiesa, eccettuatene però le case, ove abitano parrochi ed altri ecclesiastici destinati alla cura, e custodia della chiesa, purchè bensì tali case si abitino da essi stessi, e non da altri: le quali avendo l'immediata comunicazione interiore con la stessa chiesa, goderanno del sacro asilo, non ostante, che abbiano la porta con l'uscita in strada pubblica.

34. La bolla della santa memoria di Clemente XII, che incomincia: *In supremo justitiae solio*: per ciò, che riguarda omicidi, rispetto all'immunità locale, avrà luogo nel regno di Napoli nella maniera stessa, che ha luogo nello stato ecclesiastico, in tutto ciò, che non è contrario alla presente disposizione. Anzi sapendo la Santità di nostro Signore, non senza dispiacere del suo pietosissimo animo, quanto sia grande il numero degli omicidi, che succedono ciascun'anno nel detto regno; acciocchè col rigor delle pene possa porsi qualche freno a tanto male, permette e concede, che tutti gli omicidi con gl'indizi *ad capturam*, e col praticar tutto il di più, che si dispone negli articoli 1 e 2 di questo capo, sieno estratti da qualunque luogo immune, e custoditi nel carcere laicale, con la condizione bensì, che se l'omicidio commesso sarà stato affatto casuale, o *ad justam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae*, l'autore di tale omicidio dovrà subito rimettersi in piena libertà, rimanendo a' giudici laici la facoltà di procedere contra tutti gli altri omicidi a tenor delle leggi, e di quel tanto, che si è disposto in questo capo per quei rei, che si potranno estrarre da' luoghi immuni.

35. Siccome ancora dovranno aver luogo nel regno di Napoli la costituzione di Gregorio XIV, che incomincia: *Cum alias*: e l'altra di Benedetto XIII che incomincia: *Ex quo divina disponente Clementia*: in tutto ciò, che parimente non sarà contrario alla presente disposizione.

Cap. III. — *Immunità personale.*

1. A riserva de' soli veri chierici, che hanno i requisiti prescritti dai sacri canoni, e delle persone religiose dell'uno e dell'altro sesso, che vestendo l' abito religioso, vivono collegialmente sotto la disciplina, ed ubbidienza de' legittimi superiori agli impieghi necessari fuori de' monasteri, i quali tutti debbono godere il privilegio del foro, in conformità de' sagri canoni, niun'altra persona, con qualunque nome si chiami, godrà, o potrà pretender di godere esenzione alcuna dal foro laicale. Eccettuati solamente i cursori de' vescovi, a' quali si farà godere quell'esenzione, che si dirà qui appresso.

2. I chierici conjugati, i quali hanno i requisiti prescritti dal S. Concilio di Trento *cap. 5. sess. 23 de reform.*, e che non esercitano atti, o negozi indegni dello stato chericale, debbono godere il privilegio del foro in tutte le cause puramente criminali, che riguardano l'interesse delle parti, e che si trattano in forma di giudizio civile: ma sì per queste, come per tutte le cause civili, rimarranno sottoposti alla cognizione, e determinazione de'giudici laici, da' quali potrà procedersi contro di essi con l' esecuzione solamente *super bonis*; ma se per mancanza di beni fosse bisogno di carcerargli, se ne dovrà dimandar prima l' *exequatur* al giudice ecclesiastico, dal quale non dovrà negarsi. Affinchè poi tali cherici conjugati godano, senza verun contrasto delle curie laicali, il suddetto privilegio del foro, dovrà essere lor cura di giustificare ogni anno avanti l'ordinario del luogo, in cui hanno il domicilio, di avere osservati gli accennati requisiti, e di riportarne dall' istesso ordinario una declaratoria in iscritto, da concedersi *gratis*. Le mogli poi, e i figli de' medesimi non dovranno godere di verun privilegio del foro, *nec durante, nec soluto matrimonio.*

3. Rispetto al delitto dell' assassinio, commesso da qualunque cherico, o altra persona ecclesiastica, prevenendo il giudice laico nella cattura dell' inquisito, potrà ritenerlo, *nomine ecclesiae*, nelle carceri laicali, e formare il processo: ma prima di procedere alla sentenza, ed all' esecuzione della medesima, dovrà aspettare la declaratoria del tribunal misto *super qualitate assassinii*, la quale dovrà darsi dal medesimo, veduto il processo fatto dalla curia laicale, *servatis servandis*, e sentito il reo nelle sue difese: per lo qual' effetto dovrà dalla curia laicale esibirsi il processo al suddetto tribunal misto dentro lo spazio di quattro mesi.

4. Trovandosi qualunque persona ecclesiastica con roba di contrabbando, non sarà lecito alle curie, e ministri laici di arrestarne, o carcerarne la persona.

5. Potranno i vescovi, ed altri ordinarî, che tengono giurisdizione quasi vescovile, avere un numero prefisso di cursori, cioè due, o tre, coloro, che hanno picciole diocesi: il doppio numero, cioè quattro, o sei, secondo la loro ampiezza, quei, che governano diocesi mediocri: il triplo coloro, che hanno le diocesi più grandi, secondo la pianta, che se ne farà: dodici l' arcivescovo di Napoli, e dodici parimente monsignor Nunzio.

6. Ai detti cursori, quando realmente esercitano sì fatto impiego; sarà lecito portare armi non proibite dalle regie prammatiche, purchè dopo essere stati destinati al carico di cursori, producano in Napoli al reggente della gran corte della Vicaria, in Terra di lavoro al commessario di Campagna, e nelle altre provincie del regno al Preside provinciale, l' autentico documento di non trovarsi inquisiti, e diano a' medesimi notizia della patente di cursore ottenuta dal vescovo, o da altro ordinario, cui debbano servire.

7. I suddetti cursori, durante il loro impiego, ed esercizio, godranno l'esenzione dal foro laicale, in quanto alla restrizione personale per le cause civili, miste, e criminali. Ciò bensì dee intendersi per quelle sole cau-

se, che non meritano la pena della morte, o di galera: nelle quali procederanno, a conto di essi, o i governatori regi viciniori, o altri giudici, e ministri regi, siccome più piacerà a Sua Maestà; ma non già le corti baronali, alle quali sarà solamente permesso di arrestargli per li suddetti delitti, e di darne parte al giudice, o ministro regio, che dovrà procedere.

8. Nel caso, che dalla sentenza del vescovo, o di altro ordinario in ciascuna delle suddette cause appartenenti a' cursori, alcuno si sentisse gravato, e volesse avvalersi dell'appellazione, del ricorso, o di altro rimedio dalle leggi approvato; potrà ciò fare o al metropolitano, o al tribunal misto; e questo, per non gravar le parti, destinerà due giudici *in partibus*, uno ecclesiastico da eleggersi da' ministri ecclesiastici del tribunal misto e l'altro da eleggersi da' ministri laicali del medesimo tribunale: e questi due giudici decideranno la causa in grado del rimedio proposto. E quando avvenisse, che costoro nel giudicare fossero discordi, la causa debba giudicarsi dal medesimo tribunal misto, la sentenza del quale, senz'appellazione alcuna, dovrà eseguirsi. Per quelle cause poi spettanti a' cursori de' metropolitani, e di altri prelati soggetti immediatamente alla Sede apostolica, le quali saranno giudicate in prima istanza da' medesimi metropolitani, o da altri ordinarî esenti, l'appellazione, o qualunque altro de' suddetti rimedî dovrà indirizzarsi al tribunal misto, il quale giudicherà nella forma detta di sopra.

9. Per minorare ancora il numero degli esenti, dovranno gli ordinarî dei luoghi da ora innanzi servirsi de' chierici per ministri delle loro cancellerie, e volendosi prevalere di secolari; godrà il privilegio del foro il solo cancelliere, o sia maestro d'atti della curia, nella maniera bensì detta di sopra per li cursori.

10. Oltre a' cursori, ed al cancelliere, o maestro d'atti, nella maniera spiegata di sopra, niun'altra persona laica, quantunque patentata, sotto qualunque nome, e titolo, come nè pure i romiti, e cherici selvatici, godrà esenzione alcuna del foro laicale.

11. Avendo udito Sua Santità, che alcuni vescovi del regno, dopo aver condannato per omicidî, ed altri gravi, e capitali delitti, alla pena della galera in vita, o pure per sette anni, o al carcere per detto tempo, qualche delinquente cherico, o ecclesiastico del suo foro, si avanzano ad assolvergli, con ammettergli a composizione pecuniaria: quindi è, che per togliere lo scandalo de' popoli, ed i pericoli, che possono succedere nel vedere i parenti dell'ucciso non solo ripatriare, ma anche in piena libertà l'omicida; ordina, che in avvenire non debbano, nè possano assolvere per via di composizione pecuniaria tali delinquenti; e che non ostanti tali composizioni, ed assoluzioni, che in avvenire fossero fatte da' medesimi vescovi, il delinquente così assoluto possa carcerarsi, e punirsi con la pena medesima, specificata nella sentenza da' metropolitani; ed in caso che la composizione, ed assoluzione fosse fatta dal metropolitano, possa il vescovo viciniore far carcerare, e punire il delinquente; ed il vescovo sarà obbligato a restituire alla parte il danaro, che avesse ricevuto.

Cap. IV. — *Requisiti de' promovendi agli ordini.*

Avendo la Sede Apostolica in varie occasioni, e tempi presi diversi espedienti, per moderar nel regno di Napoli il numero degli ecclesiastici, e specialmente Gregorio XV, quando con decreto di una congregazione particolare di signori cardinali del 1 di luglio 1613 furono a quest'effetto stabilite alcune profittevoli ordinazioni, e non essendosene finora veduti quegli effetti, che si desideravano: quindi bramando Nostro Signore dare a questo disordine pronto, ed efficace riparo, e che nel tempo medesimo si stabi-

lisca in esso una disciplina, in vigor della quale gli ecclesiastici del regno si rendano veramente utili alla chiesa, e di edificazione a' popoli; si è perciò la Santità Sua compiaciuta commetterne l'esame ad alcuni signori Cardinali, i quali, avendo su di ciò fatte le dovute diligenze, finalmente sono in istato di consigliar Sua Beatitudine a pubblicare un decreto, che contenga in sostanza i seguenti punti: con dichiarazione però, che con questo non s'intenda in cos' alcuna derogare agli usi, e consuetudini di quelle diocesi dove si osserva maggior disciplina.

1. Niuno potrà esser da ora innanzi promosso alla prima tonsura, se non che a titolo di beneficio, o cappellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi, ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel patrimonio sagro nella diocesi del promovendo.

2. Giudicando qualche vescovo veramente utile, o necessario alla chiesa conferir la prima tonsura a qualche giovane, benchè non abbia verun beneficio, potrà farlo; ma nel solo caso, che abbia il medesimo una pensione ecclesiastica perpetua della rendita, che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel patrimonio sagro nella sua diocesi, o l'intero patrimonio: il quale, per evitar qualunque frode ed inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente sopra beni stabili, o sopra annue rendite fisse, e dovrà regolarsi a tenore della tassa sinodale di ciascuna diocesi, purchè non sia esso patrimonio nè in minor somma di ventiquattro ducati, nè in maggior di quaranta.

3. Oltre al requisito del beneficio, cappellania perpetua, o pensione ecclesiastica perpetua, nella maniera spiegata di sopra; o dell'intero patrimonio, a niuno potrà conferirsi la prima tonsura, il quale, dopo aver terminati dieci anni di sua età, non sia andato a dimorare almeno per un triennio in qualche seminario, o convitto ecclesiastico; e dove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anni l'abito chericale con licenza del proprio ordinario, ed in tutto il triennio, o almeno per la maggior parte delle feste di precetto di ciascuno de' tre anni, non abbia servito a qualche chiesa, nella maniera, che gli sarà dal proprio vescovo prescritta, computando questo servizio con la dimora, che avrebbe dovuto fare in qualche seminario, o convitto ecclesiastico.

4. Volendo qualche giovane condursi in qualche pubblica università, o in altro luogo a fine d'ivi applicarsi alle scuole, ed agli studî, potrà farlo: ed il tempo, che ivi dimorerà, potrà servirgli di requisito a fine di prendere la prima tonsura, come se stesse in un convitto ecclesiastico; purchè però lo faccia con la permissione del proprio vescovo, e con le sue lettere commendatizie si presenti al vescovo del luogo, e con la direzione di questo si faccia assegnare al servizio di qualche chiesa, portando l'abito chericale, e prestando quivi per un triennio, o almeno per la maggior parte di ciascuno de' tre anni, come sopra, quel medesimo servizio alla chiesa assegnatagli, che prestarebbe, dimorando nella propria diocesi; con condizione espressa, che volendo essere iniziato alla prima tonsura, debba ottener le lettere testimoniali del vescovo del luogo, dove ha dimorato, *de vita et moribus*; e di aver esattamente adempito quanto gli è stato prescritto; a vista delle quali potrà esser promosso.

5. Dal quale obbligo si debbano eccettuar solamente coloro, che sono artati, cioè a dire, che sono chiamati in virtù della fondazione a qualche beneficio, o qualche cappellania ecclesiastica vacante: i quali potranno promoversi alla prima tonsura, quantunque non abbiano potuto osservar le regole prescritte: cioè la delazione dell'abito chericale, la frequenza delle scuole, e de' sagramenti, ed il servizio triennale della chiesa, e benchè non abbiano l'età ne' precedenti articoli determinata, ove si tratti di benefici fondati prima del S. Concilio di Trento: con dichiarazione inoltre che dalle

disposizioni di sopra accennate, s' intendano eccettuati coloro, che sono artati nel solo caso, in cui il beneficio, o la cappellania sia veramente ecclesiastica, cioè fondata con l'autorità ecclesiastica perpetua, e debba provvedersi *titulo collativo*, o d' istruzione, e che i padroni di essi non possano differire oltre al tempo stabilito da'sagri canoni la nomina, e presentazione ai medesimi: e con condizione finalmente, che le rendite de' detti beneficî, e cappellanie ecclesiastiche debbano, detratti i pesi, costituire almeno la metà di quel che importa la tassa del patrimonio sagro stabilita nella propria diocesi del promovendo.

6. E perchè talvolta essendo molti chiamati allo stesso beneficio, o cappellania ecclesiastica, sono gli ordinarî costretti a conferire a tutti la prima tonsura, a fine di rendergli capaci del beneficio, o della cappellania, donde ne segue l'inutile moltiplicità de' chierici, non potendo il beneficio, o cappellania conferirsi, che ad un solo: perciò, quando questo accada da ora innanzi, basterà, che, presentandosi nel tempo congruo avanti il proprio ordinario coloro che pretendono aver dritto al controverso beneficio, o cappellania, e ritrovandosi dal medesimo idonei così *quoad scientiam*, che *quoad bonos mores*, e che non abbiano impedimento canonico, per esser promossi alla prima tonsura; spedisca loro le lettere testimoniali sopra la detta idoneità, e di non avere impedimento canonico, per esser promossi alla prima tonsura: in virtù delle quali potranno essi istituire la lor pretensione, e proseguir la causa avanti al giudice ecclesiastico, anche in concorso di chierici pretendenti; appunto come se avuta evessero già la prima tonsura: la quale potrà poi conferirsi a colui, che, terminata la causa, avrà ottenuto il beneficio, o cappellania, riputandolo a tal' effetto artato, e facendogli godere que' privilegi, che a' medesimi di sopra sono stati conceduti.

7. Dopo essere stati così ordinati alla prima tonsura, dovranno tutti i chierici, compresi anche gli artati, seriamente applicarsi così allo studio, come alle opere di pietà, per rendersi degni di ascendere agli ordini sagri, avendo l'età legittima; al quale effetto dovranno continuare a dimorare in qualche seminario, o convitto ecclesiastico, e, non potendo ciò fare, dovranno almeno prestare per ogni anno, o per la maggior parte di esso come sopra, nella chiesa, loro assegnata dal proprio ordinario, quel servizio, che dal medesimo verrà loro prescritto; o, dimorando in qualche università, o altro luogo, per proseguir le scuole, e gli studî, dovranno adempir quelle medesime cose di sopra ordinate per coloro, che debbono essere iniziati alla prima tonsura.

8. Dovranno tutti i chierici così di prima tonsura, come di ordini minori far costare nel principio d'ogni anno avanti gli ordinarî de'luoghi, ne'quali hanno il domicilio, di avere osservati i requisiti del S. Concilio di Trento intorno all'abito, e tonsura chiericale, ed intorno a tutte le altre cose stabilite di sopra; e ciò mediante l'attestazione del proprio rettore, e superiore del seminario, o convitto ecclesiastico per quei, che sono in seminario, o in convitto ecclesiastico; e per quei chierici, che non sono in seminario, nè in convitto ecclesiastico, medianti le attestazioni de' parrochi, e rettori delle chiese, alle quali sono ascritti, intorno alla delazione dell'abito, e tonsura chiericale. Ed all'incontro dovranno gli stessi ordinarî tener pubblicamente appesa nella sagrestia della lor cattedrale, affinchè possa da tutti leggersi, una tabella, in cui dopo di aver riconosciuta la sussistenza delle dette attestazioni, le quali dovranno rimanere nella loro cancelleria, faranno scancellare dalla medesima ogni anno i nomi di coloro, che ritroveranno non avere esattamente osservati i requisiti predetti, e per lo contrario faranno registrarvi i nomi solamente di quei, che gli avranno osservati, ai quali consegneranno ogni anno *gratis* una declaratoria in iscritto, acciocchè possa da' medesimi senz' alcun contrasto godersi di tutti i privilegî cherica-

li. Dei quali privilegi all'incontro non goderanno quei chierici di prima tonsura, o di ordini minori, che, per non avere osservati i suddetti requisiti, saranno stati cancellati dalla detta tabella, da tenersi pubblicamente in sagrestia, e non avranno la menzionata declaratoria del vescovo.

9. I vicarî capitolari non potranno da ora innanzi senza il voto del pieno capitolo, da darsi nel luogo solito capitolare per maggioranza di voti segreti, da calcolarsi secondo il costume di ciascun capitolo, e da registrarsi negli atti capitolari, concedere le lettere dimissoriali a laici, benchè sieno realmente artati per ragion di beneficio, o di cappellania, che sia veramente ecclesiastica nel modo spiegato all'art. 5, o pure a coloro, che, avendo già la prima tonsura, sono presentati a qualche beneficio, o cappellania, che *actu requirat certum ordinem*; e con l'espressa condizione, che così nell'uno, che nell'altro caso colui, che chiede di esser promosso, non sia stato altre volte rigettato dal vescovo antecessore, ma, ove si tratti di persone, che non sono veramente artate nel senso di sopra accennato, non potranno concedere le lettere dimissoriali, nè pure *post annum luctus ecclesiae*, senza una espressa licenza della sagra congregazione del concilio.

10. Chiunque sarà promosso alla prima tonsura, agli ordini minori, o agli ordini sagri, contra la forma prescritta nel presente regolamento, oltre alle pene di sopra accennate, rimarrà perpetuamente sospeso dall'esercizio dell'ordine già conferitogli; e chi l'avrà così ordinato, o pure gli avrà a tale effetto concedute le dimissorie, se sarà vescovo, sarà sospeso per un'anno dalla collazione degli ordini, e dall'esercizio de'pontificali: e non essendo vescovo, ma prelato inferiore con l'uso de' pontificali, sarà sospeso per sempre dall'esercizio de' medesimi; e non avendo l'uso di essi, come pure qualunque altra persona costituita in dignità, per sempre sarà sospesa dall'esercizio dell'officio, e de' suoi ordini.

Cap. V. — *Visite e rendimento di conti delle chiese, estaurite, confraternite, ospedali, conservatori, ed altri simili luoghi pii fondati, e governati dai laici.*

1. A riserva delle chiese, e luoghi pii, che sono sotto l'immediata regia protezione, sia perchè sono di regia fondazione e dotazione, o perchè *in limine fundationis* sono state messe sotto l'immediata protezione regia, si potranno da' vescovi, ed altri ordinarî de' luoghi visitare, *quoad spiritualia tantum*, tutte le chiese, cappelle, staurite, confraternite, ed altri simili luoghi pii laicali amministrati, e governati da' laici, ancorchè per qualunque altro titolo, diverso dagli espressi di sopra, sieno sotto la regia protezione.

2. Oltre a ciò si potrà da' medesimi vescovi, ed ordinarî destinar persona, che co' razionali, o siano deputati, che saranno eletti da chi spetta, secondo il solito, intervenga alla revisione de'conti, che ciascun'anno impreteribilmente si dovranno rendere dagli amministratori de' suddetti luoghi pii non sottoposti all'immediata regia protezione, come si è detto di sopra. Con questo bensì, che la detta persona destinata dal vescovo, o sia ordinario, debba intervenirvi *omnino gratis*, e senza interesse del luogo pio.

3. Dopo fatto l'esame, e revisione de' conti, risultando da essi, che gli amministratori sieno debitori, e perciò venendo significati, la significatoria si dovrà spedire dai suddetti razionali e deputati, insieme con la persona destinata dal vescovo: e tal significatoria, spedita nella maniera suddetta, avrà la via esecutiva, *prout de jure*.

4. La persona, in tal forma significata, rimarrà *ipso facto* privata dell'esercizio del suo impiego, nè potrà essere ammessa, o reintegrata nell'esercizio, se non nel caso, che paghi immediatamente dopo la significato-

ria, o pure in grado di revisione venga assoluta dal giudice. L'esecuzione poi della significatoria, trattandosi contro di persone laiche, dovrà farsi dal giudice laico, e contro delle persone ecclesiastiche, dovrà farsi dal giudice ecclesiastico.

5. Dovrà il tribunal misto, da erigersi in Napoli, invigilare, e soprantendere, che quanto ne' precedenti articoli si è disposto intorno alla visita, e rendimento de' conti degli ospedali, estaurite, confraternite, ed altri luoghi pii laicali governati, ed amministrati da' laici, che non sono sotto l'immediata regia protezione nel modo spiegato di sopra, sia fedelmente osservato, con l'invigilar primieramente, che gli amministratori de' suddetti luoghi pii rendano infallibilmente ogni anno i conti nella maniera spiegata nel precedente numero secondo. 2.° Col decidere tutte le liti, che possono insorgere, ad occasione, ed intorno al rendimento de' conti. 3.° Dovrà il medesimo tribunale invigilare, e soprantendere, che i suddetti luoghi pii sieno bene amministrati, con farsi delle lor rendite l'uso, che si conviene, secondo la natura, e gli obblighi di ciascun di essi.

6. I luoghi pii, che sono amministrati e governati da sole persone ecclesiastiche, debbano solamente visitarsi dagli ordinarî tanto nello spirituale, quanto nel temporale, purchè non sieno sottoposti all'immediata regia protezione nella maniera spiegata di sopra.

Cap. VI. — *Cause, e delitti, ne' quali i giudici ecclesiastici potranno procedere anche contro de' laici.*

1. Oltre alle materie di fede, ed a' delitti di eresia, che non si controverte, che sieno di privativa cognizione de' vescovi, i laici, i quali avranno la sacrilega temerità di celebrar la santa messa, o di esercitare altre funzioni all'ordine sagro appartenenti, o di ascoltare le sagramentali confessioni, saranno privatamente processati e puniti dalla sola potestà ecclesiastica.

2. La cognizione, e punizione del delitto di poligamia parimenti apparterrà alla sola potestà ecclesiastica.

3. Spetteranno parimente a' soli giudici ecclesiastici privatamente le cause matrimoniali, nelle quali si tratti sopra la validità, o invalidità sì del matrimonio, come degli sponsali.

4. Così pure saranno di privativa giuridizione ecclesiastica le cause beneficiali, purchè non si tratti di juspatronati regî, o feudali, per quelle sole cause, la decisione delle quali principalmente dipende dal vedere, se il patronato sia annesso, o no al feudo, o *de universitate bonorum* negli altri patronati laicali.

5. Oltre a' suddetti casi non dovrà porsi impedimento alcuno a' superiori ecclesiastici di proceder contra i laici, secondo la disciplina della chiesa, e le regole canoniche, con sole pene spirituali, anche di censure, contro dei peccatori pubblici, e scandalosi, e preciso contro de' sagrileghi, degli adulteri, de' concubinarî, degli usurai, de' bestemmiatori, e consimili.

6. Con dichiarazione finalmente, che ne' delitti, come di furto della sagra pisside con le particole consagrate, di bestemmie, e simili, se dal processo risulterà, che il reo laico sia sospetto di eresia, dovrà il giudice laico, secondo quel che fin'ora si è praticato, e si pratica in regno, rimetterlo al giudice ecclesiastico, *ut procedat super haeresi;* dal qual giudice ecclesiastico, proferita che egli avrà la sua sentenza, o assolutoria *ab haeresi*, o condannatoria, dovrà poi con la solita protesta del *cap. praelatis de homicid. in 6*, consegnarsi il reo al giudice laico, *ut procedat ad ulteriora.*

Cap. VII. — *Introduzione de' libri forastieri.*

Prima di permettersi l'estrazione de' libri forastieri dalla dogana di Napoli, se ne farà de' libri dar nota, cioè, una copia dell'originale, che suol darsi al ministro regio destinato su questo affare, al signor Cardinale arcivescovo; dal quale dopo si sarà esaminata con tutta la maggior brevità possibile, per non essere di danno a' poveri librai, in caso vi trovi liberi contrari alla nostra S. Fede cattolica, ed a' buoni costumi, se ne manderà dal medesimo nota al suddetto ministro regio, acciocchè possa da lui farsene il debito uso, per impedire il corso a' libri notati, come perniciosi, primachè sieno stati esaminati da' teologi, e da altre persone abili. E questo stesso si praticherà nella città capi di provincie, quanto occorrerà, che vi s' introducano libri da' paesi stranieri, col farsi dare al vescovo del luogo copia della nota, che sarà data al ministro regio.

Tutto ciò dee intendersi per li soli libri forastieri, che s' introducono nel regno, perchè rispetto a quei, che in esso si stampano, dovrà osservarsi il solito della revisione, ed approvazione anche degli ordinari, prima di stamparsi, e pubblicarsi.

Cap. VIII. — *Materie beneficiali.*

1. Concederà Sua Santità indulto, che tutti i benefici così semplici, che residenziali, canonicati, dignità, parrocchie, badie, e vescovati del regno di Napoli, che sono di sua libera collazione, si debbano conferire dalla Sede apostolica a' soli regnicoli; a riserva però solamente di ducati ventimila di pensioni, che la Santità Sua si riserberà, e fisserà sopra alcuni de' vescovati, e delle badie, che alla medesima piacerà trascegliere, e determinare tra tutti i benefici del règno di Napoli, che si provveggono a regia nominazione, per poterne disporre, come più alla stessa Santità Sua in beneficio de' suoi sudditi dello stato ecclesiastico.

2. Ugual quantità di annue pensioni, o pure l'equivalente somma in altra più comoda maniera, con gradimento di Sua Maestà la medesima Santità Sua riserberà sopra gli stessi benefici, che non sono di nomina regia, a disposizione di Sua Maestà napoletana da conferirsi a' suoi sudditi del regno di Napoli, che saranno nominati dalla stessa Maestà Sua.

3. Non ostante il suddetto indulto, tutti gli esteri, che si trovano esser già stati provvisti nel regno di Napoli di vescovati, benefici, o pensioni, de' quali, o delle quali si trovano già provisti, quantunque non sieno sudditi dello stato ecclesiastico: de' quali provvisti bensì fino al giorno della sottoscrizione del presente trattato dovrà darsi nota al cardinale Acquaviva dentro lo spazio di due mesi. E tutto ciò, oltre a i benefici, e badie situate in regno di Napoli (delle quali si darà nota al suddetto cardinal ministro) uniti, o unite, o pure i di cui frutti, o in parte, o in tutto si trovano applicati a varie chiese, collegi, monasteri, e case pie di Roma, o in altri paesi dello stato ecclesiastico, che dovranno continuare ad essere unite, o applicati in perpetuo per lo stesso uso.

Cap. IX. — *Tribunale misto.*

1. Si formerà un tribunal misto composto di cinque soggetti, cioè due ecclesiastici da deputarsi da Sua Santità, e due laici, o ecclesiastici da deputarsi da Sua Maestà, tutti quattro regnicoli. E circa il quinto, che dovrà esser sempre persona ecclesiastica parimente regnicola, Sua Maestà napoletana nominerà tre soggetti, e Sua Santità ne sceglierà uno.

2. Non dovrà l'ufficio, e l'impiego di questi cinque deputati durar più,

che per lo spazio di un solo triennio, da cominciare *a die captae possessionis:* dopo il quale s' intenda spirata *ipso facto* ogni lor facoltà, ed autorità, quando non fossero confermati per altro triennio, con espressa, e nuova conferma, cioè i quattro semplici deputati da quella potestà da cui sono stati rispettivamente eletti, ed il presidente di comune, e nuovo espresso consenso di amendue le potestà, con dichiarazione, che volendo Sua Santità, o Sua Maestà mutare, anche dentro il triennio, qualunque de' soggetti da essi deputati, ed a quelli sostituire altri a loro arbitrio, e beneplacito, possan farlo, senz' allegarne alcuna causa, e senza chiederne, nè attenderne consenso veruno dall' altra potestà.

3. Accadendo però nel fine del triennio a sede vacante, dovranno così il presidente, come i due deputati ecclesiastici continuarne nel loro impiego, quantunque, spirato il triennio, non sieno muniti d' altra conferma sino alla nuova provvista da farsi dal nuovo Pontefice.

4. In caso di assenza, o di malattia di qualcuno de' due deputati ecclesiastici, sia lecito a monsignor Nunzio *pro tempore* di surrogarvi, per maniera di provvisione altro soggetto ecclesiastico; come altresì, in caso di assenza, o di malattia di qualcuno de' due deputati regi, resti in arbitrio di Sua Maestà, o della persona, a cui stimerà ella di comunicare tal facoltà, di far lo stesso. Ed in caso che talvolta per assenza, malattia, o altro qualunque caso, anche legale, sia necessario, che altro soggetto supplisca le veci del presidente; allora supplirà interinamente colui, che tra i soggetti, nominati da Sua Maestà, sarà stato scelto da Sua Santità, per far le veci del presidente ne' suddetti casi di assenza, e d' impedimento del medesimo. Tutto ciò però non debba intendersi in caso di mancanza per poche volte: nel qual caso sia lecito agli altri, che interverranno, di tener tribunale, non ostante l' assenza di qualcuno de' loro colleghi, purchè non sia più di due settimane.

5. Per lo servizio di questo nuovo tribunale si deputerà dal medesimo quel numero di ministri subalterni, ed in quel modo, che egli stimerà necessario. Ma dovendo talvolta far' uso della famiglia armata, si servirà di quella della potestà secolare, e delle carceri laicali contro de' laici, e de' cursori, e carceri ecclesiastiche contro delle persone ecclesiastiche.

6. Si terrà questo tribunale una volta la settimana, ed anche più, quando così richiede il bisogno, in qualche monastero, o altro luogo più commodo della città di Napoli, da presceglìersi.

7. Alla riserva del presidente, il quale dovrà sempre avere il primo luogo, sederanno gli altri deputati, di qualunque grado, o graduazione si sieno, secondo il luogo, che verrà loro destinato dalla sorte; a qual fine se ne farà l' estrazione per bussola: con dichiarazione, che questa estrazione debba farsi al principio d' ogni triennio, quantunque restassero nell' impiego taluni deputati; ma che, accadendo mutazione nel corso dello stesso triennio, la persona surrogata debba occupare il luogo del suo predecessore.

8. Così il presidente, come tutti i deputati, ed anche i ministri subalterni, dovranno prima di cominciare ad esercitare la lor carica, giurare nello stesso tribunale *ad sancta dei evangelia*, secondo la formola da stabilirsi, non solamente di osservare, e fare osservare quanto viene stabilito nel presente trattato, ma altresì di non arrogarsi veruna sorte di giuredizione, e di autorità, oltre a quella, che vien loro conceduta in virtù del presente stabilimento di questo tribunale; cioè il presidente nel pieno consesso del tribunale, e tutti gli altri in mano del presidente, con dichiarazione, che i medesimi, e ciascuno di essi debbano rinnovare il detto giuramento nella forma prescritta di sopra, ogni volta che fossero confermati.

9. Il presidente non avrà autorità di risolvere da se medesimo, nè pure per modo di provvisione, e le commissioni dovranno distribuirsi in pieno

tribunale, com'era solito praticarsi in collaterale. La decisione si farà alla pluralità de' voti, cominciando nel votare *ordine retrogrado*; cioè da quel deputato, che siede in ultimo luogo, di maniera che l'ultimo a votare sia il presidente. I decreti dovranno emanarsi sotto il nome dello stesso tribunale, e sottoscriversi da tutti cinque, secondo che parimente sederanno il presidente, ed i deputati in tribunale.

10. Questo tribunale non dovrà avere altra incumbenza, se non che:

1.° Di decidere e terminare le controversie intorno all'immunità locale, quando nasce dubbio, se il reo debba, o no, godere il beneficio dell'asilo, nella maniera spiegata nell'articolo 5 e 8 dell'immunità locale:

2.° Di decidere alcune delle cause spettanti a' cursori dei vescovi, ed altri ordinarî, nella maniera che si è detto a suo luogo.

3.° Di dichiarare *super qualitate assassinii*, commesso da un cherico, o altra persona ecclesiastica, quando il giudice laico previene nella cattura di esso, nella maniera che si stabilisce nell'articolo 3.° dell'immunità personale.

4.° Di soprantendere ed invigilare alla retta amministrazione de'luoghi pii laicali, cioè amministrati e governati da' laici, con decidere le liti, che posson nascere intorno al rendimento de' conti degli amministratori di essi, nella maniera spiegata nel capo V. di questo trattato.

5.° Nel caso da qualche comunità, o persona ecclesiastica si pretenda convenirle, *titulo vere oneroso*, maggior quantità di franchigia di quella, si assegna nel presente trattato: potrà riconoscere, se ciò sia vero, e determinare ciò, che sarà di giustizia, nella maniera spiegata nel capo dell'immunità reale articolo 20.

6.° D'invigilare all'adempimento de' legati pii, col procurare ne' casi particolari, nella maniera che stimerà più propria, che i renitenti a soddisfare, se saranno laici, da' loro competenti giudici laici sieno costretti all'adempimento de' legati pii; e se saranno ecclesiastici, da' loro rispettivi superiori, e giudici ecclesiastici. E finalmente d'invigilare all'osservanza del presente trattato, come si è detto di sopra.

11. Quando il vescovo nello spazio prefisso di un mese, da che gli sarà stato presentato il processo, non avrà dichiarato intorno alla qualità del delitto, se il rifugiato goda, o no; s'intenda *eo ipso* devoluto il giudizio a questo tribunale, conforme si stabilisce con l'art. 4 del capo 2.° del presente trattato. Come pure, che, avendo il vescovo fatta la detta dichiarazione, sia lecito a questo tribunale ricevere i ricorsi, che dalla medesima interponessero il fisco ecclesiastico, o il fisco laico, ed impinguare, ed ordinar nuovo processo, stimando così bene; e successivamente veduti gli atti, e sentite le parti, confermare, o infermare inappellabilmente i giudicati de' vescovi, a tenor di quello, che sta risoluto con l'art. 8.° del suddetto capo 2.°

12. In tutti i casi suddetti dovrà procedere il tribunale inappellabilmente, e privativamente a qualunque ministro, giudice, o tribunale, sì ecclesiastico, che laico, sia di qualsivoglia rango, anche di monsignor Nunzio, o di qualsivoglia altro giudice, o ministro anche deputato, o delegato da Sua Maestà, che pretendesse procedere per via di regia protezione, e di economica provvidenza: con dichiarazione, che qualunque atto si facesse in contrario da altri tribunali o giudici, così ecclesiastici, che secolari, tanto della città di Napoli, quanto del regno, sia nullo *ex defectu jurisdictionis*; ed in caso di inosservanza possano i tribunali, e giudici così laici, che ecclesiastici, residenti fuor della città di Napoli, inibirsi dal tribunal misto, ed a riguardo de' tribunali di Napoli spedirsi dal medesimo le ortatorie, le quali abbiano forza d'inibizione: di maniera che qualunque atto fatto da' medesimi tribunali, e giudici di Napoli, dopo le suddette ortatorie, sia *ipso facto* nullo *ex defectu jurisdictionis*, come sopra.

13. Eccettuate le materie di sopra espresse nell'art. 10 di questo capo, non potrà questo tribunale ingerirsi in nessuna maniera in tutte le altre, che appartengono alla giuridizione degli ordinarî (le quali debbano avere il loro libero corso, tanto per le prime istanze, quanto per li ricorsi, ed in grado di appellazione) nè ammettersi dal medesimo i ricorsi, o le appellazioni sotto qualunque pretesto, sotto pena di nullità di tutti gli atti, che si facessero in contrario, e di violazione del giuramento prestato per quest'effetto al presidente, e deputati.

14. Tutti gli atti, e spedizioni di questo tribunale, così giudiziali, che estragiudiziali, dovranno farsi onninamente *gratis*, senza potersi niente esigere per ragion di scrittura, sigillo, sottoscrizione, registro, studio di processo, o qualsivoglia altra cosa: alla riserva delle sole copie, che si dovranno tassare a ragione di grana due per facciata, che sia scritta di righi ventidue per ciascuna facciata di carattere comune.

15. Le spese, che sono necessarie per lo mantenimento del tribunale, subalterni, e tutt'altro, si dovranno fare ugualmente a conto di Sua Santità, ed a conto di Sua Maestà, con quegli espedienti, che sopra di ciò pareranno più proprî all'una ed all'altra potestà.

Cap. X. — *Deroga alle disposizioni contrarie al presente trattato.*

Per l'intera esecuzione del presente trattato resteranno rivocati, ed annullati, come in virtù di questo articolo si rivocano, ed annullano tutte le disposizioni, ordini, e decreti così pubblici, che privati, fatti dall'una e dall'altra potestà, in tutto ciò, in cui sono contrarî alla presente disposizione, ed a quanto si contiene nel presente trattato.

Dato dalle stanze del Palazzo Apostolico nel Quirinale in questo dì 2 di giugno 1741.

ADDIZIONE

Articoli segreti del trattato di accomodamento del 1741 tra la santa sede e la real corte di Napoli.

Art. 1. Desiderando Sua Santità, che siano osservati, e confermati rispettivamente a' Beneventani suoi fedelissimi sudditi da Sua Maestà i privilegi conceduti a' medesimi da' suoi serenissimi predecessori, e stabiliti ne' patti e condizioni apposte nell'investitura del regno di Napoli; la Maestà Sua assicura, che avrà tutta l'attenzione per le soddisfazioni di S. B. con questo bensì, che la città di Benevento destini persona a Napoli, che produca tutti i suoi documenti, per farli esaminare da' suoi ministri, e fatto che ne sarà l'esame, la Maestà Sua farà consapevole la S. B. per mezzo del cardinal Acquaviva, di quanto occorrerà.

2. Desiderando Sua Santità, che tanto in Napoli, che in tutto il regno si dia libera, e pronta esecuzione a tutte le Bolle, Brevi e spedizioni della corte di Roma, ed anche de'suoi tribunali, e ministri, Sua Maestà per la nota sua pietà, e religione assicura la Santità Sua, che darà gli ordini opportuni per la pronta esecuzione delle suddette spedizioni di Roma.

3. Dolendosi, che i vescovi, ed altri superiori ecclesiastici del clero così secolare, come regolare del regno, che i loro sudditi ecclesiastici sotto pretesto di violenza, ed oppressione per via di fatto ricorrono alla regia protezione, ancora quando da essi si è proceduto alla tela giudiziaria, e con processo, obbligando con ciò i medesimi superiori a comparire ne' tribunali dei ministri regi, per difendersi dall'accusa di persone per lo più torbide, discole, e disubbidienti, con molto discapito della disciplina ecclesiastica, e della giustizia; e desiderando Sua Santità, che si dia un adequato rimedio a tali inconvenienti; Sua Maestà per dare alla Santità Sua una nuova riprova del suo sincero desiderio di compiacerla, ordinerà, che ne' casi succedessero in avvenire simili ricorsi di violenze per via di fatto de' suddetti ecclesiastici contro de' loro superiori, ed anco per qualunque altro motivo, o pretesto, si rimettano da' suoi ministri al tribunale misto; inteso il parere del quale, prenderà poi la Maestà Sua quelle risoluzioni, che saranno più convenevoli per maggior servizio di Dio, e per la quiete, e tranquillità dei suoi popoli.

4. Riserbandosi Sua Santità la facoltà d'imporre pensioni per la somma di ducati napoletani ventimila sopra i vescovati, badie, e benefizi del regno di Napoli per conferirle a suo piacere, e de' suoi successori a' sudditi dello stato ecclesiastico: queste pensioni, come ancora quelle che in ugual somma sono accordate a Sua Maestà nella maniera detta nel concordato pubblico, non dovranno soggiacere per alcuna parte, benchè minima, a soffrire per la metà i pesi de' laici, ma ne debbano restare per questa rata esenti, tanto i pensionari, quanto coloro che posseggono i vescovati, badie, e benefizi, sopra i quali le dette pensioni saranno imposte.

5. Trovandosi nel regno di Napoli parecchi picciolissimi vescovati provveduti di sì scarse rendite, che i vescovi non possono mantenersi colla decenza dovuta al grado loro, Sua Santità per aderire anco alle istanze fattene in nome di Sua Maestà unirà con altri i più piccioli vescovati del detto regno con quelle condizioni, ed in quella maniera che saranno più convenevoli per il buon governo delle medesime chiese, e di tali piccioli vescovati da ridursi, dovrà nello spazio di un anno formarsi distinto foglio, che sia ancora di gradimento di Sua Maestà: così ancora si stenderà un catalogo di quei di *Nullius*, che dovranno supprimersi, e delle diocesi alle quali dovranno incorporarsi, senza alcun pregiudizio bensì di chi che sia in quanto

alle rendite, ed alla provvista de' benefizi: le quali condizioni dovranno più distintamente spiegarsi nel foglio, che con gradimento anche di Sua Maestà dovrà formarsi su tale materia, per determinare quali *Nullius* dovranno supprimersi, ed a quali diocesi dovranno incorporarsi. Distesi poi, e concordati che saranno i detti fogli, Sua Santità ne anderà facendo l' unione, e suppressione nella maniera che alla sua saviezza sembrerà più propria.

6. Quantunque nell' articolo primo delle materie beneficiali bastevolmente si trovi spiegato, che non solo tutti i vescovati, badie, ed altri benefici del regno di Napoli debbano darsi ai soli regnicoli oriundi del medesimo regno, e non mai a' forestieri, ma che anche tutte le pensioni, che in qualunque futuro tempo da Sua Santità, o da' suoi successori saranno riservate sopra de' medesimi benefici all' infuori solamente dei ducati ventimila, che nella maniera detta nel medesimo trattato, ed articolo Sua Santità si riserverà sopra de' medesimi benefici per poterli unicamente dare a' sudditi dello stato ecclesiastico; nulladimeno avendo Sua Maestà desiderato, che per impedire, che in qualunque futuro tempo non possa nascere alcuna difficoltà sopra l' intelligenza, e pratica di quanto nel detto articolo si stabilisce sul punto delle dette pensioni da doversi effettivamente, e realmente godere da' soli regnicoli, a riserva solamente de' suddetti ducati ventimila di moneta napolitana, tutto ciò si esprima con maggior chiarezza, Sua Santità nuovamente dice, e dichiara, che tale e non altro sia il vero senso del detto articolo, cioè, che l' indulto, che concederà la Santità Sua, sarà, che tanto i vescovati, badie e tutti gli altri benefici di qualunque natura si siano, quanto tutte le pensioni sopra de' medesimi si conferiscano a' soli regnicoli, a riserva solamente de' ducati ventimila di moneta napolitana, che Sua Santità nella maniera spiegata nel trattato riserverà per li sudditi dello stato ecclesiastico, e che in tal senso dovrà sempre intendersi, praticarsi, ed eseguirsi l' indulto, di cui si parla nel trattato del capitolo 8.° delle materie beneficiali nell' art. 1.°, il quale comincia: *Concederà Sua Santità ec.*

CAPUT ULTIMUM.

DE MONARCHIA SICILIAE.

CONCLUSIO UNICA.

Origine, et vicissitudinibus Monarchiae Siciliae enarratis, sensus constitutionis Benedicti XIII. exponitur, qua natura, officia, et modus procedendi Monarchiae ipsius distinguitur.

Undecimo declinante saeculo Urbanus II. exempla secutus priorum pacatae Ecclesiae saeculorum (*a*), munus Legati in Sicilia Episcopo Trainensi detulit, quoad viveret. Ast reclamantibus Metropolitis, ne sua jura offenderentur ob appellationum potissimum causas, quas judicabant Legati, querimonia accessit Rogerii Calabriae, et ejusdem Siciliae Comitis; qua factum est, ut Urbanus diplomate Salerni dato ann. 1093. in irritum missa Trainensis Episcopi legatione, eidem Rogerio, studio remunerandi praeclara merita ejus ob expulsos ab illa Saracenos, et vindicatas Romanae Sedi a Constantinopolitana omnes utriusque regni ejusdem Ecclesias concessit, ut nullus illuc amplius legatus Romanae Ecclesiae mitteretur (*b*); ipsum Rogerium vero, vel alterum, qui esset suus legitimus haeres futurus, Legatum creavit Sedis Aposto-

(*a*) Gregorius M. consueverat vices generales apostolicae Sedis mandare illi, cui patrimonium Ecclesiae Romanae commissum erat. Hoc vero in consuetudinem venit successorum suorum. (*Epist. D. Greg. ad Epist. in can. valde necessariam D. 9.*) Thomasinus vero ad rem ait: « Indubitatum B. » Stephanum Hungariae regem legationem apostolicam gessisse ». Bela Rex Hungariae idem instaurari privilegium poposcit a Greg. IX. Item Martinus V. Regem Poloniae Ladislaum, ac Vicoldum Magnum Lituaniae Ducem Vicarios Apostolicos in Russia constituit.

(*b*) Per totam scilicet Siciliam, et sui juris Calabriam. Ast ad solam Siciliam coercitam fuisse constat ab ipsis usque Nortmannorum temporibus, vi Concordati Hadrianum IV. inter et Guillelmum I. Siciliae regem, quo cautum reperitur, ut libere Ecclesia Romana haberet legationem in Apulia, et Calabria.

licae (*a*). Ita Reges Siciliae Legati nati ejusdem Sedis dicuntur, quod monarchiam appellant Siculi, et magistratum monarchiae spiritualis Judicem, seu inquisitorem vocitant. In controversiam inde ipsa monarchia deducta est; nos res hinc inde gestas cursim enarremus.

Et primo Cardinale Baronio duce non pauci impetere conati sunt illam, contenderuntque ab Anacleto pseudo-papa turpem ducere originem, nunquam ab Urbano II., cujus instrumentum mutilatum affirmant, datamque dumtaxat Rogerio, ejusque filiis; toties vero revocatam, quoties Siciliae Regnum in novam familiam transit. Insuper affirmant, quod pactum initum ab Hadriano IV. cum Gulilelmo I. ne Romana Ecclesia appellationem vel legationem haberet in Sicilia, Innocentius curam habuit abrogare literis investiturae ad reginam Constantiam, et Fridericum ejus filium datis (1). Ad haec dicunt, quod Honorius III. appellationis judicia in Siculis exercuit, et *vigesimas* super reditibus Ecclesiae Siculorum indixit, ac privilegia indulsit *salvis Romanae Ecclesiae juribus* (2). Praeterea Innocentium IV. legatum suum misisse illuc saeculo XIII. probant (3). Demum a Joann. XII. (4), et Martino V. (5) visitatores Apostolicos Siculis datos saeculo XV.; nec a Pontificibus Urbani II. successoribus omissum Nuntios mittere, qui varia S. Sedis mandata gererent in Sicilia, quos idem memorat Baronius.

Addunt, quod Siculorum ad Rom. Curiam appellationes, caeterasque legatis Apostolicis mandari consuetas facultates Paullus III., aliique Pontifices ad usque Clementem XI. vindicare sibi censuris contenderunt; imo pactis conventis investiturarum Sedem Apostolicam abrogasse ibi regiam legationis pontificiae dignitatem, salvo regio jurepatronatus secundum canones. Hoc idem enarrat Baronius (6).

At Cardinalis Ascanius Columna (7), nec non Siculi scri-

(*a*) Diplomatis tenor t. XI. Baronii legitur ad ann. 1099. illudque exhibent Fazzellus, aliique. *Hist. de rebus sicul. c. 29.*

(1) *Apud B. Chioccarell. t. I. arch.*

(2) *Hon. III. ep. 600. ad Syracus. episcop.*

(3) Baronius *in dissert. de monarch. Sicil.* laudat *Innocentii IV. epist. II. et III.*

(4) *Ibidem.*

(5) *Ex Vatic. Arch. Cod. 2341.*

(6) *Cit. loc.*

(7) *In judicio de monarch. Siciliae.*

ptores permulti (1) jura monarchiae strenue adversus Baronium potissimum vindicare studuerunt. Quod et exteri, inter quos Dupinius, præstiterunt. Hinc tenent Northmannos, æque ac Svevos, Aragonios, et Austriacos Reges Siciliae apostolica legatione potitos: memorantque plenam Siculos fidem adhibuisse Bullae Urbani II. transumptivae, postquam Barberius eam in Codicem retulit (a).

Tandem Clemens XI. ann. 1714. (parebat tum Sicilia Victorio Amadeo Duci Sabaudiae) edita constitutione *Romanus Pontifex* Siculam Monarchiam abolevit (2). Acribus inde contentionibus inter utramque potestatem exortis, eadem quaestio recruduit, scriptis in utramque partem libris. Ast Benedictus XIII. controversiam tandem composuit cum Carolo IV. Imp. edita constit. *Fideli* ann. 1728. quae concordiae vim habuit; pragmatica quippe Caroli II. probata fuit ann. 1729.

Sensum Constitutionis laudati Benedicti XIII. 3. Septembris 1728. editae, quae incipit *Fideli*, sic concinne exponit Gagliardus (3).

« §. 1. In primis plane decrevit, ut causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, *majoribus* » tantum exceptis, quae Romano Pontifici speciatim, ejusque delegatis reservatae *juxta canonicas sanctiones* sunt, in » ipso Siciliae regno ultra pharum cognoscantur, et terminentur. Ut nimirum omnes *non exemptorum* causae in primo » gradu *coram Ordinariis locorum* dumtaxat cognoscendae ab » eorum Curiis non avocentur, nisi per *legitimam appellationem* a sententia definitiva, aut ab interlocutoria, quae vim » definitivae habeat, vel ab actu, cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, vel praejudiciale » sit invertendo justum juris et judiciorum ordinem, aut nisi integro biennio a die motae litis remanserint coram ipsis » Ordinariis indecisae, quemadmodum a concilio Tridentino (4) decretum est. Si secus fiat, quaecunque appellatio, » inhibitio, aut sententia eo ipso nulla et irrita sit. *Exempto-*

(a) Regnante Ferdinando catholico Lucas Barberius in libro, quem inscripsit *Caputbrevium*, edidit exemplum diplomatis Urbani II.

(1) *Extant apud Graevium thesaur antiq. Ital. t. IX.*

(2) *T. II. Bull. part. II.*

(3) *Inst. J. E. L. 1. Tit. 22. de Legatis.*

(4) *Trid. in cap.* Causae omnes *XX. Sess. XXIV. de reform.*

» *rum* vero causas civiles, et criminales in primo etiam gradu
» *judex* ecclesiasticus a Rege nominatus et delegatus, qui *ju-*
» *dex monarchiae* dicitur, cognoscat tanquam Ordinarius.
» Tum a sententiis Ordinariorum ad metropolitanum appelle-
» tur, servata forma Tridentinae constitutionis ».

» §. 2. Postquam metropolitanus causas vel suffraganeo-
» rum in secundo gradu, vel suae ipsius dioecesis in primo
» gradu judicaverit: eas judex idem regius monarchiæ, qui sit
» in jure canonico doctor seu licentiatus, et in ecclesiastica
» dignitate constitutus, in gradu appellationis cognoscat,
» aliaque peragat mox exprimenda ».

» §. 3. Easdem causas tam exemptorum, quam non e-
» xemptorum in altero appellationis gradu *alter*, qui eis-
» dem qualitatibus praeditus sit, *ecclesiasticus* in utroque ju-
» re doctor vel licentiatus, quem Rex quoque delegaverit,
» cum tribus assessoribus in utroque jure versatis ab ipso Re-
» ge deputandis rite cognoscet, ac definiet. Et quoties aliud
» iteratae appellationis beneficium leges indulgeant, *tertius*
» cum tribus aliis assessoribus judicium adsumet, et *ita dein-*
» *ceps* quartus nimirum, quoadusque sententiae tres unifor-
» mes judicatam rem parientes silentium ipso jure indixerint
» succumbentibus ».

» §. 4. Appellantes in causa una ab Ordinariorum judicio
» nec metropolitano, nec judici monarchiae licebit quod ad
» alias causas, praeterquam in casibus a jure canonico prae-
» scriptis, eximere: sed ipsos jurisdictioni Ordinariorum
» suorum subjectos relinquant.

» §. 5. A decretis vel sententiis, quas tulerint Conser-
» vatores Regularium, liceat itidem appellare ad judicem
» monarchiae, et rursus ab hoc ad alterum; aliosque in gra-
» du ulteriori judicaturos cum jam dictis assessoribus. Con-
» servatores autem adigantur adamussim servare pontificias
» constitutiones Innocentii IV., Alexandri IV., Bonifacii
» VIII., et Gregorii XV., nec non Tridentinas ».

» §. 6. Appellationes non recipiendas edixit, *nisi per pu-*
» *blica documenta realiter exhibenda prius constiterit appella-*
» *tionem a sententia* definitiva, *vel habente* vim definitivae
» *aut a* gravamine *quod per definitivam reparari non possit, vel*
» *quod* praejudiciale *sit in casibus jure non prohibitis*, *per* le-
» gitimam personam, et *intra* statuta tempora *fuisset interpo-*
» *sitam aut prosecutam; nec praeterquam in casibus jure per-*

» *missis. Nec liceat inhibere Ordinariis, aut etiam simpliciter*
» *mandare, ut copia processus transmittatur etiam expensis ap-*
» *pellantis, nisi in casibus jure permissis* ».

» §. 7. Inhibitiones post legitimam appellationem non con-
» cedendas, *nisi cum insertione sententiae aut decreti, a quo*
» *provocatum fuerit: alias ipso jure sunt nullae, eisque im-*
» *pune liceat non parere*. At ubi authenticum illius exem-
» plum culpa judicis inferioris, vel actuarii habere non posse
» appellans conqueratur: tunc metropolitanus, aeque ac ju-
» dex appellationis rescribent, *ut soluta actorum mercede* in-
» fra brevem terminum petitum dent exemplum appellanti,
» et interim nihil innovetur ».

» §. 8. A decretis in *visitatione*, *vel pro correctione morum*
» editis appellationem *quod ad effectum suspensivum* vetat,
» nisi cum visitator parte citata et adhibita causae cogni-
» tione *judicialiter* processerit, et in aliis casibus a jure per-
» missis ».

» §. 9. Cum a *gravamine*, quod per definitivam repara-
» ri nequeat, vel quod *praejudiciale* sit, appellatur: non-
» nisi *visis actis* gravamen ostensuris admittendam appellatio-
» nem statuit ».

» §. 10. In causa *indebitae carcerationis* oretenus manda-
» tae permittit inhibitiones, quoties de mandato illius con-
» stiterit ex duorum testium depositionibus, vel de ea se-
» quuta ex documento notarii aut custodis carcerum. Addit
» in causis *comminatae injustae carcerationis*, vel *torturae*, vel
» *excommunicationis* inhibitiones expediendas fore *non gene-*
» *rales, et indefinitas*, sed *compulsoriales* tantum pro trans-
» missione copiae actorum addita clausula *et interim judex a*
» *quo ad ulteriora non procedat*: ut ubi ex actis evidens ap-
» pareat gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibi-
» tione, causam cognituro judice ad quem: alias ea remitta-
» tur ad ipsum primi gradus judicem ».

» §. 11. Acta originalia transmitti ad judicem appellatio-
» nis vetat, nisi causae natura flagitet, aut probabilis sus-
» picio falsitatis rite objecta: quae post finem litis ad Ordi-
» narium remittenda sunt, ut in ejus curiae tabulario adser-
» ventur ».

» §. 12. In eo ipso, ubi reperitur, carcere statuit ap-
» pellantem detinendum interea esse, donec judex appella-
» tionis *visis actis*, *causaque cognita* aliter decreverit. Alte-

» ra si appellatio contra *decretum excarcerationis* interpona-
» tur, ea tunc *effectum tantum devolutivum* favore libertatis
» producit ».

» §. 13. *Censuram ecclesiasticam* ut quilibet judex ap-
» pellationis etiam monarchiae delegatus revocare aut nullam
» declarare nonnisi *auditis partibus et causa cognita* possit.
» Eam si justam agnoverit, appellantem ad judicem ipsum *a*
» *quo* remittat pro absolutionis beneficio humiliter petendo,
» et rite post emendationem obtinendo. Ab injusta, vel dubia
» censura ad Ordinarium quoque remittere, brevem tunc ei
» terminum praefigendo ».

» §. 14. Si dubium vel facti, vel juris incidat, in con-
» troversa nullitate excommunicationis vel ab homine, vel
» a jure inflictae; judex appellationis *absolutionem ad caute-*
» *lam cum reincidentia et praestita cautione de stando juri et*
» *parendo mandatis Ecclesiae* indulgeat, vel *Ordinario* loci
» mandaturus, ut appellantem excommunicatum in eo ipso
» loco praesentem *intra tres dies absolvat*; vel *Confessario*,
» ille si inde absit, aut cum absolvere Ordinarius recusave-
» rit. Triduum vero decurrit ab eo die, quó mandata ejus-
» modi absolutionis non Ordinariis ipsis ob reverentiam, sed
» ipsorum cancellariis fuerint exhibita. Intereaque *cedulones*
» *tegantur duntaxat*, nisi mos in peculiaribus casibus postu-
» laverit eos amoveri ».

» §. 15. A sententia definitiva *contra verum contumacem*
» prolata non recipiatur appellatio, nec inhibitio, contumacia
» durante, concedatur ».

» §. 16. In criminalibus causis, ubi ex officio proces-
» serint Ordinarii, personam actoris in gradu appellationis
» gerat promotor fiscalis vel curiae metropolitanae, vel ju-
» dicis monarchiae, eoque non audito appellationis acta o-
» mnino irrita sint, et praecedentes Ordinariorum sententiæ
» executioni mandentur ».

» §. 17. Pauperibus litigantibus acta omnia gratis fiant,
» cum civilia, tum criminalia, copiae etiam transmittendae ad
» judices appellationis: ubi paupertas summarie probetur,
» vel alias constet arbitrio judicis ».

» §. 18. Regulares intra claustra delinquentes judicio
» superiorum regularium relinquantur juxta dispositionem
» Concilii Tridentini, et peculiarium statutorum. Extra
» claustra delinquentes, vel degentes ab Episcopis primum

» judicentur, et puniantur, mox in gradu appellationis a ju-
» dice monarchiae. In praelatos vero exemptos, qui nullum
» alium in Sicilia superiorem habent, hunc ipsum judicem
» tanquam Ordinarium procedere expositum superius est ».

» §. 19. Potestatem is habeat *in integrum restituendi*,
» prout juris fuerit, *quascumque personas* adversus senten-
» tias, res judicatas, et quoscumque contractus. 20. Juramenta
» quoque ad effectum agendi duntaxat relaxandi ex causa. 21.
» Insuper absolvendi omnino vel ad cautelam a quibuscumque
» censuris et poenis ecclesiasticis quoslibet servatis de jure ser-
» vandis, quemadmodum superius explicitum est. 22. A cen-
» suris etiam, et poenis in utroque foro ob homicidium, perju-
» rium, adulterium, incestum, fornicationem, aliudve flagi-
» tium contractis: usurarios quoque restitutis antea usuris in-
» juncta pro modo culpae poena salutari ».

» §. 23. Quod vero ad censuras latae sententiae summo
» Pontifici speciatim reservatas, a quibus Legati etiam a la-
» tere prohibentur absolvere, judex monarchiae possit ab-
» solutionem temporaneam *cum reincidentia ad effectum agen-
» di tantum*, *et ad cautelam* concedere recurrentibus a gra-
» vamine, quod in declaratoria censurarum ejusmodi reser-
» vatarum illatum sibi ii demonstraverint: necnon cognitio-
» nem assumere, an sententiae episcopales incursum earum
» declarantes fuerint validae, ac justae, an irritae, et injustae.
». Si eas non rite prolatas vitio nullitatis laborare solum co-
» gnoverint, Episcopo rescribat, *ut rite procedat ex integro*
» reservata post novam sententiam Sedi Apostolicae absolu-
» tione plenaria. Injustas vero, et nullas ubi deprehenderit,
» declaret in eas non incurrisse appellantes. Et versa vice si
» justam noverit, recurrentes pro absolutione ad Apostoli-
» cam Sedem remittat. Idipsum in secundo, et ulteriori gradu
» servabunt alii etiam a Rege dandi judices cum assessoribus
» supra jam dictis ».

» §. 24. Monitoria excommunicationis *contra occultos*, *et
» ignotos malefactores*, qui *satisfacere* differant, et *conscios non
» revelantes* praeterea ut concedat servata forma concilii Tri-
» dentini, et constitutionis S. Pii V. cautum est ».

» §. 25. Ut quaecumque vota (praeterquam castitatis, et
» religionis, et visitandi limina cum Ss. Apostolorum Petri,
» et Pauli de urbe, tum S. Jacobi in Compostella) valeat
» in alia pietatis opera commutare. Necnon largiri gratis o-

» mnino pauperibus tantum, qui labore manuum suarum vi-
» vunt, dispensationes in tertio et quarto consanguinitatis,
» vel affinitatis gradu ad matrimonia contrahenda. 26. Pro-
» ptereaque suis dispensationum litteris oratores absolvere
» a quibuslibet censuris ad effectum earum dumtaxat con-
» sequendum ».

» §. 27. In exequendis vero litteris apostolicis etiam su-
» per collatione beneficiorum vel saecularium, vel regula-
» rium, ubi certi sunt executores dati, nequeat se judex
» monarchiae ingerere, nisi a decreto executionis fuerit re-
» clamatum de illato gravamine, vel excussu ».

» §. 28. Non alios nisi unum in quacumque Episcopo-
» rum residentia, et praecipuis urbibus Trepano, Therme,
» Mile, et Masara seu Augusta subdelegatum ecclesiasticum
» deputare is poterit, exemtumque ab Ordinariis facere. 29.
» Nec exemtionis litteras patentes aliis dare *nisi ministris, et*
» *officialibus necessariis* ad tribunali monarchiae inserviendum
» in toto regno quinquaginta non excessuris; praeter illos,
» qui Curiae Panormitanae in primo, secundo, et tertio gra-
» du ecclesiasticis delegatis, et assessoribus inserviunt ».

» §. 30. In rebus quomodolibet spectantibus *discipli-*
» *nam, et observantiam regularem* personarum utriusque se-
» xus, distributionem officiorum, collocationem regularium,
» ordinationes circa chorum, et cancellos, clausuramque
» monalium, designationes cellarum, id genus alia, nil o-
» mnino se ingerat in quovis gradu etiam appellationis, et re-
» cursu. §. 31. Nec deputet praesides capitulorum, superio-
» res vel abbatissas, vicarios vel vicarias, vel qualescum-
» que officiales utriusque sexus ex quovis titulo. §. 32. Ne-
» que magistros, lectores, rectoresque studiorum, nec eos
» in possessione munerum vel officiorum confirmet, qui ea
» debent finito tempore statutis praescripto dimittere, vel
» sint a legitimis superioribus amoti. Nec judicium sumat
» nullitatis professionis tam ante quam post lapsum quin-
» quennii. Illae tantum causae regularium contentiosae, in
» quibus de jure appellandi locus est, *expleto cursu judicii*
» *in unoquoque ordine regulari* secundum constitutiones ipso-
» rum, ad monarchiae judicem devolvantur in gradu appel-
» lationis ritu jam dicto processurum ».

» §. 33. Quam in exemtos saeculares clericos jurisdi-
» ctionem Tridentina Synodus attribuit Episcopis ut Sedis

» Apostolicae delegatis, ejus usum non impediat judex mo-
» narchiae; tametsi eorumdem exemtorum causas et civiles,
» et criminales ex antedictis ipse cognoscit ac definit in pri-
» mo gradu, mox alii a Rege delegati in gradibus appella-
» tionum ».

» §. 34. Graviores Episcoporum, et Archiepiscoporum
» causae criminales supremo Romani Pontificis judicio co-
» gnoscendae, ac terminandae reservantur juxta legem Tri-
» dentinam (1). Minores vero criminales, et civiles causas,
» praesertim pensionum in quibus rei sunt Archiepiscopi vel
» Episcopi a metropolitis exemti, judex monarchiae in primo
» gradu cognoscit: si vero metropolitanis Episcopi subsunt,
» metropolitanus in primo, judex ipse in secundo gradu se-
» cundum antedicta procedit ».

» §. 35. Postremo cautum est, ut judex idem *nullas si-*
» *bi sumat partes etiam per modum provisionis*, *vel alio quovis*
» *praetextu contra ordinationes et mandata*, quae *propria* Pa-
» pae *manu per speciale rescriptum signata et subscripta erunt*;
nec eorum executionem, quantum in semetipso erit, *audeat*
» *impedire* vel retardare: sed qua par est observantia execu-
» tioni omnino demandentur (2).

FINIS PRIMI TOMI.

(1) *Trid. in cap.* Causae *5. sess. XXIV. de reform.*
(2) *Hactenus Benedicti XIII. constitutio vim concordiae habens in Sicilia.*

INDEX.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

ERRATA CORRIGE.

Pag. v. *vers.* 12. Prodomus - *lege* Prodromus. — *pag.* 45. *v.* 1. Certe - Constans. — *pag.* 56. *v.* 25. Dicto - Dicito. — *pag.* 65. *v.* 1. Infallibili - infallibilis. — *pag.* 213. *v.* 21. Camponendae - Componendae. — *pag.* 231. *v.* 24. Venditasse - Venditasse constat. — *pag.* 252. *v.* 1. Additas - Addictas.

RUM OI

. DISCIP.

LIA

XX.

mensis, sub nomi
dinalium partibu
et Albigenses pe

Librum Abbat
bigensium haeres
stianorum ad Pa

Ejus rei inquisitio Guilielmo Arch. Seno-
data est, qui re tota, concilio habito, exami-
tire pronunciarunt.

e appellatur. Ad hoc pertinet canon *utrius-*
r, temporales simul poenas et ...

Venduntur fol. 20 ¼ gr. 51.